ibliothek
onsburg

Hist. lit 30

LIBRARIA
SUPELLEX
HANC
AMATOR
HAC DELECTOR
GUILJ. SALDENUS
DE
LIBRIS
Joh. van den Berge Le. inv. fecit.

GUILJELMI SALDENI,

Ultrajectini,

DE

LIBRIS

Varioque eorum

USU & ABUSU

LIBRI DUO,

CUM

Indicibus neceſſariis.

AMSTELODAMI,
Ex Officina HENRICI & Viduæ THEODORI
BOOM, Anno cIↃ IↃC LXXXVIII.

Apulej. de *Deo Socratis*, pag. m. 341.

Encroſus *eſt quis? parenteis laudas.* Dives *eſt? non credo Fortunæ. Magis iſta dinumero.* Validus *eſt, ægritudine fatigabitur.* Pernix *eſt? abibit in ſenectutem.* Formoſus *eſt? expecta pauliſper, & non erit.* At *enim* bonis artibus doctus *& adprime eſt* eruditus, *&, quantum homini licet,* ſapiens *&* boni conſultus *eſt? tandem aliquando* ipſum virum *laudas. Hoc enim nec a* Patre *hæreditarium eſt, nec a* caſu *pendulum, nec a* ſuffragio *anniculum, nec a* corpore *caducum, nec ab* ætate *mutabile.*

Nobiliſſimo, Ampliſſimo
Conſultiſſimoque

DOMINO,

D. CASPARO FAGEL,

JC^to, Illuſtriſſ. ac Præpotent DD. Ordinum *Hollandiæ & Weſt-Friſiæ* SYNDICO, Magni SIGILLI Cuſtodi, FEUDORUM Præfecto, inque ſupremâ *Aggerum* RHENOLANDIÆ Curiâ Aſſeſſori, &c.

Nobiliſſime, Ampliſſime ac *Conſultiſſime* DOMINE,

UTrum illuſtre Tuum Nomen papyraceo huic fœtui præfigerem, animi dubius aliquamdiu fui. Diſſuadere id videbantur tum *argumenti, eo contenti, ſterilitas, indeque forte minus grati,* tum *magnis quibuſdam Viris* LIBROS *dedicandi mos uſque adeo jam vulgaris, ut in contemtum pene abierit. At ſuadebant*

debant id e contra rationes aliæ multo cogentiores, quæ & prævaluêre. Ille etenim Tu es, qui tot tantisque officiis (quidni dicam beneficiis) Deo gratiosè annuente, difficillimis antehac temporibus, quin etiamnum nimiopere dubiis, Universam Tibi Patriam devinxisti, ut publico qualicunque testimonio, oblatâ imprimis occasione, eorum gratanter meminisse, ut hic obiter fit, ne cuiquam quidem, nedum mihi, variis insuper aliis nexibus Tibi obstricto, fraudi esse debeat, imo ne possit quidem. Ille es, qui insignem Te, *uti avitæ* Libertatis *& repurgatæ* Religionis *assertorem & statorem, ita &* Literarum Literatorumque *semper præbuisti, ac in hunc usque diem præbes Mecœnatem; imo tantis bonos quosvis* Scriptores *in deliciis habes, ut iis non tantum sæpe immoreris, sed & plane immorereris, nisi agendorum omnigenarumque curarum, quæ totum sibi hominem vindicant, & vastissimum lectus implere possunt, reciprocantes*

cantes æstus, ne quid Respublica *detrimenti capiat, zelum illum quadantenus sufflaminarent. Te si quemquam in totâ Patriâ, (quod in omnium incurrit oculos) veluti agmine facto, infinita prope difficultatum publicarum circumcingit seges, indiesque*

aliena negotia centum
Per caput & circa saliunt latus.

Quæ tamen dum ardentissimum Tuum *in* Literas *affectum haudquaquam extinguunt, nemo quidem* Te *dignior videri mihi potuit, cui* LIBROS *hosce, eosque quidem de* LIBRIS, *quam officiosissimè devoverem. Ille tandem es, cui neque voluntas neque facultas deest,* Scriptores *quoscunque ingenuos contra* Theones, Archilochos, *quosvisque* Zoilos *ita defendendi, ut, fremente licet Orbe & Orco, in inserviendo* Conatibus *suis* Rei Literariæ, *non ausint tantum, sed & possint tutò perseverare. Possem & plura alia*

in laudes Tuas *hic congerere; ſed abſtineo, ne* Invidia *audiat, neque tentare quid velle videar, quod ut ab animo meo, aſſentari neſcio, alienum, ita & Tuæ modeſtiæ ingratum fore, perſuaſiſſimus ſum,*

Αἰνεμμένοι γὰρ οἱ γ' ἄθλοι, τρόπον τινὰ
Μισοῦσι αἰνοῦντας, ἂν ἄγαν αἰνῇς ἄγαν,

Boni enim, cum laudantur, aliquo modo
Oderunt eos, qui laudant, ſi *nimium* laudant,

ut loquitur Euripides. * *Hinc perge modo, uti facis,* Nobiliſſime, Ampliſſime *ac* Conſultiſſime DOMINE, *de egregio Publico, & ut de ſingulorum, ita & de Univerſi incolumitate bene mereri, hosque meos* Labores, *ſiquid apud* Te *valeam, ſerenâ fronte accipe. Qui quidem, utcunque multo viliores, quam ut tanto ſiſtantur Viro, indubitatum tamen gratiſſimi ac propenſiſſimi*

in

* Euripid. Anlid. verſ. 978. 979.

in Te *animi teſtimonium ſunt. Præterquam quod molâ etiam ſalsâ litare nonnunquam licitum ſit, ſi thura non ſuppetant*, Tuque, *pro ſolitâ* Tuâ *benignitate, quod pretio eorum deeſt, uti multum deeſt, Nominis* Tui *claritudine facile poſſis compenſare. De* Auguſto *autor eſt* Macrobius *, *quod oblato ſibi ab homine quodam, ſed trepidabundo, manumque ſuam tum potendente tum retrahente, Libello, ex eo quæſiverit*, an ſe putaret aſſem Elephanti dare? *Scilicet judicabat Imperator, parum decorum imo injurium eſſe, ad Principem* [*quidni ad qualemcunque etiam primarium Virum*] *ut ad feram, aut ad empuſam aliquam accedere, & dum ejus*, quod *offertur, diffiditur* dignitati, *ejus tamen*, cui *offertur, non fidere* bonitati. *Quâ itaque, ſimilive bonitate ſi mihi etiam niti hic liceat, caſtis Deum* T. O. M. *precibus interpellare non deſinam, ut in conclamatis hiſce ultimorum tempo-*

* Macrob. in Saturnal.

rum turbinibus diu multumque Patriæque nobisque Perſonam Tuam ſoſpitet, Teque ut in munere Tuo fidum, intrepidum & induſtrium, ita & terque quaterque felicem eſſe jubeat. Hagæ Com. *Ipſ. Calend.* April. *Anno a reparatâ Salute* CIↃIↃCLXXXVIII.

Nobiliſſ. & Ampliſſ. Nomini
Tuo obſequentiſſimus.

GUILJELMUS SALDENUS,
SS. Theoleg. Doctor.

ANTE-

ANTE-LOQUIUM.

HAbes hic, *Benevole Lector*, de LIBRIS varioque eorum USU & ABUSU *Libros* duos, ante annos aliquot horis ſubſecundariis, animique relaxandi gratiâ a me, ſi non perfectos, ſaltem inchoatos; quos ſicuti OTIIS meis THEOLOGICIS, anno hujus ſeculi CIↃIↃCLXXXIV editis, ſed miſerandum in modum (quod verbo hic non monere & deplorare juſta indignatio non patitur) Typothetarum dicam incuriâ an perfidiâ, ſub prælo defœdatis, προπαιδείας vice præmittere antehac decreveram, ut fidem, abhinc duo pene luſtra in CONCIONATORE meo SACRO datam, liberarem; ita poſtmodum nimium excreſcere eos videns, argumentumque continere non mere *Theologicum* ſed *generalius*, quoſcunque *Librorum* Scriptores & Lectores, multaſque alias materias concernens, uti tractationis etiam ratio, quippe *Hiſtoricum* ſæpe magis & *Philologum*, quam *Theologum* referens, ſatis indicat, calculum illum reduxi, ſatiuſque habui tanquam

po-

peculiare quoddam *Opuſculum*, primum quidem reſtrictius, jam vero diffuſius publico eos donare. Quoniam autem, ut dixi, OTIORUM meorum partem eos facere antehac conſtitueram, non eſt quod mireris, ſi eodem forte, quam quem *ibi* obſervavi, modo in *hiſce* etiam concinnandis proceſſiſſe me animadvertas: hoc eſt, Stylo me nonnunquam uſum eſſe liberiore, Græcorumque & Latinorum quorundam Scriptorum γνώμας, Poëtarumque utriusque linguæ non paucas veneres iis inſperſiſſe; ut nempe haud erudire Te tantum, ſed & oblectare aliquatenus poſſem: *Sermo* enim *eſt*, teſte Flacco,

linguâ concinnus utrâque
Suavior, ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.

Et alio loco:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo;

quod & *Æliano* laudi olim datum a Joachimo Camerario fuit: *Collegitque* (ita infit)

ſuo

ſuo utili labore
Quarum cognitione liberali
Non indigna viro bono parari,
Multarum multa monumenta rerum,
Et poſſunt animi inſtitui, & voluptas
Quæ conjuncta ferunt duo omne punctum.

Quinimo talia me quædam, paucis hic illic lineis a principali argumento digredientem, ipſique contextui quamplurima inſerentem, quæ in margine appingi alias ſolent, etiam intexuiſſe, quæ niſi de induſtriâ immiſſa eſſe Te monerem, forte æmulus quis tanquam prorſus ἀπροσδιόνυσα improbaret non tantum, ſed & odioſe exagitaret. Sicuti eventus abhinc quatuor præter propter annos manifeſtiſſime docuit, quam inclementer hanc ipſam ob cauſam a maledico quodam *Gallo* (qui aterne an albus fuerit neſcio) ſim habitus: uteunque haud mihi tantum, ſed pluribus etiam aliis, multo me ſuperioribus, ſimilem ob cauſam eadem ſubeunda ſors fuerit, uti ex hiſce Doctiſſ. *Actorum Lipſienſium* Collectorum verbis colligere eſt: *Septima* (inquiunt) *quæ nunc ſiſtitur* Simonianæ Criticæ, *cujus ſummam in Actis*

Act. Erudit. Lipſienſ. de Ao. 1686. p. 100. 101.

Ao

Aº 1682. *pag.* 94. *seqq. exhibuimus, eaque variis accessionibus conspicua* Editio *eundem cum* Quintâ *curatorem habet*, *Doctoris* Protestantis *utentem titulo. Quis ille sit scrutari velle instituti nostri non est. Facile vero ex* Præfatione *patet, scopum ejus alium non esse, quam Apologiam* Simonis *parare, & ostendere, ut pauci* Protestantium (*quos inter* Petrum Ambrunum, *paulo post memorandum numerat*) Simoni *rite hactenus responderint; nedum ille, qui* Examen *instituit* Methodorum Cleri Gallici, *aut* Saldenus *in* OTIIS, *qua vocat* Theologicis, *quos mitius non habet editor, quam* Lutherum, Bezam, Parisienses Reformatos, *&* Wasmuthum, *bilioſos, ut putat, versionum suarum, fontiumque & punctorum Biblicorum defensores.* Sic Illi. Ego vero amarulentam illam insectationem, plurimis licet infrunitis scommatibus & dicteriis ferruminatam, generosè hactenus contempsi, & deinceps contemturus sum; *tum* quod rationis illius scribendi in OTIORUM dictorum *Præfamine* causas adduxerim satis luculentas & cogentes, eandemque Viri cujusdam supra omnem exceptionem Magni (cui & alii, si res tanti esset, addi possent) exemplo contra malevolorum

rum quorumvis cavillationes abunde præmuniverim; *tum* quod complurium, post vulgatum illud *Opus*, Amicorum testimoniis & *Epistolis* certior factus sim, id ipsum, ob ipsissimum *tractationis* illum *modum*, qui usque adeo invisus imo ridiculus tenebrioni isti fuit, quamplurimis celebribus & doctissimis Viris haudquaquam displicuisse; imo vero hoc magis iis placuisse, quod uberiorem materiarum copiam & *varietatem* quibusvis φιλομαθέσι viâ illâ exhibitam esse deprehendissent; quâ quippe intercedente nullos non *Libros* commendabiliores semper esse haud ignorabant: *Jucundum* enim *nihil est* (dicit Publius Syrus) *nisi quod reficit* varietas; & *ne natura quidem ipsa* (judice Seneca) *ad* unam *formam semper opus suum præstat*, *sed ipsâ* varietate *se* jactat. Quicquid sit, in propatulo saltem est, Theologum πολυμαθέστατον *Franciscum Turrettinum* hâc de causâ tenues illos meos *Conatus* nequaquam contempsisse, uti publico elogio, quod in *Theologiâ* seu *Elenctică* alicubi iis scripsit, testatum fecit, hic non repetendo; quia ab eruditissimo meo Affine *Martino Hartingio*, qui pro eo, quo in me est effectu, contumelias a dicto sycophan-

Publ. Syr. in Fragm.

Senec. Natural. Quæstion. Libr. 7. cap. 27.

phantâ in me jactas, non potuit non acerbe ferre, alibi exhibitum est, licet locum, ubi invenire id sit, non adscripserit; quem proinde hic tantum addo. Optime equidem tam sibi, quam publico consulere mihi semper Scriptor visus est, si quæcunque in lucem emittit, ita disponat, ut se ne ulli quidem hominum gravem iis esse velle palam faciat; vel, si cuiquam forte talis unquam fuerit, culpam deprecari, maleque scripta, publicâ etiam nonnunquam παλινῳδίᾳ corrigere non detrectet, atrociſſimasque ab his illisve illatas injurias, nisi *crimen hæreſios* involvant (in hoc enim, juxta Hieronymum, *neminem oportet esse patientem*) flocci pendere, quin plane potius negligere se posse & malle ostendat, quam κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας ἀποδιδόναι, *malum pro malo & convitium pro convitio reddere*, vel quicquam facere, quod viro ingenuo indignum alias sit. Modo ne in eum id rapiatur sensum, quasi omnes illi, qui sic procedunt, ideo pro convictis habendi mox sint, omniaque illa, quæ ante scripserunt, quod de novo ea semper non reponant, condemnare, vel objectis calumniis, quibus nihil respondere forte

Turret. Theolog. Elenct. part. 3. Loc. 18. §. 15. pag. 537.

1 Petr. 3. 9.

forte libet, assentiri censendi essent: prout nunquam non invenias, qui moderatorum hanc ingeniorum μισοζυμίαν interpretari ita solent; verum uti odiosissimè, ita & iniquissime. Cum fieri persæpe possit, ut *Cogitata* quædam vel heterodoxa vel paradoxa, vel alio qualicunque modo bonarum mentium auriumque offensiva, *Autoribus* quibusdam tributa, tam manifeste in eorum *Scriptis* se prodant, ut prorsus exoculatos præfractoque præjudicio dementatos esse oporteat, qui ea videre in iis non possunt, atque adeo sine veritatis dispendio iis non possint non adscribi. Cum tamen e re sæpenumero non sit, ut vulnera illa identidem refricentur; imò ex adverso, ut aliquorum occurratur infirmitati, multum nonnunquam præstet, posito quod moniti de periculo eorum sint, quorum scire vel emendare ea interest, tacitus illa præterire, Scriptumque iis antehac oppositum aliquâ sui parte truncatum emittere, quam quæ bilem alicui moverunt, nullo licet *Scriptoris* merito, temere repetere: ne scil. re alias non illaudabili, imò aliâ forsan occasione quadantenus necessariâ,

ulla imperitioribus offendiculi præbeatur ansa, vel hominibus morosis & rixosis, quos non juvat duntaxat gravibus quibusdam disceptationibus, sed & meris sæpe *χειμαχίαις*, sive caprinis prœliis, id est, frivolis vitilitigationibus se ipsos aliosque fatigare, sine fine modoque contendendi, si non materia, occasio saltem subministretur. Tutò certe *tacere* dicendus est, qui nec adversarium suum convincere, nec prodesse publico *loquendo* potest. De nstituti mei, in evulgando hoc *Commentariolo*, ratione si quæras, de eâ paucula hæc observes *velim*: 1. Neutiquam eum in lucem a me emitti, ut per numerosum *Exemplorum* choragium quosvis pene *Librorum* Scriptores, Lectores, Æstimatores, Osores &c. ob oculos Tibi ponam; cum satis operosè ab aliis factum id sit e *Zuingero*, *Rhodigino*, *Fulgosio*, *Alstedio*, *Bejerlingio*, *Lycosthene*, *Melchiore Adamo*, *Honsdorffio* aliisque vel *Diaristis* vel *Encyclopædistis*, ut & nuperrimè a Rever. *D. Riddero*, Ecclesiæ *Roterodamensis*, dum viveret, Ministro, in Tractatu suo de *Eruditione*: sed ut tam *scriptionis* quam *lectionis* LIBRORUM justum fructuo-

sis-

sissimumque modum compendiariò Tibi indicem, nec nòn quoscunque discendi cupidos ad laudabilem & & optatum, quem sibi studiorum suorum propositêre portum, tenui hâc meâ opellâ veluti manuducam. Tametsi, dum præstare conatus hoc sum, non potuerim non etiam notabiliora quædam βιβλιοφίλων specimina, apud alios etiam obvia, in scenam hic rursus producere; ut quoque ex lege *contrariorum* de scribentium legentiumque *Vitiis*, præsertim de hodiernâ & vulgatâ nimis Μισοβιβλίᾳ ejusque primariis causis, *Ignaviâ*, Φιλαργυρίᾳ, *innovandi Prurigine*, *Eruditorum Thrasonismo* & *Invidiâ* susiuscule differere. Non paucis simul, pro more meo, aliorum sententiis suffragiisque, ad res, quæ tractantur, tum adstruendas tum illustrandas, in subsidium vocatis; *partim* ut me *cum multis* aliis quam *solum* sapere malle ostendam; cum fas sit, ut *plurium* consensus semper superet, sique in sententiarum pugnâ altera cum *ingenti* subsultet *turbâ*, altera vero cum *uno*, paucis saltem, in arenam descendat vindicibus, is sane, qui hanc illi præfert meritissimò in cœcorum

sedes videatur relegandus; *partim* ut Scriptorum illorum, apud quos uberior materiarum, quæ ὡς ἐν παρέργῳ hic tantum attinguntur, tractatio inveniri potest, indicinam Tibi faciam, uti alias etiam monui. *Sufficit* enim (ut bene alicubi observavit Sculte-
Scultet. Delic. Euang. Pragens. Cap. 13. tus) *nonnunquam* Autores *tantum* nominasse, *& loca indicasse. Scire enim ubi possis aliquid invenire, est magna pars eruditionis.* 2. Nonnullas etiam me celebrium Scriptorum *loquendi formulas*, aliis ἐμφατικωτέρας, haud simpliciter tantum adducere, sed quâ potui perspicuitate & brevitate aliquatenus etiam exponere & eviscerare; eo quod *Antiquitatem* aliquam vel *Græcam* vel *Romanam* non raro involvere, vel suam inde originem ducere visæ mihi sint; quam haud plane ignorare ea re legentium, minus imprimis exercitatorum, esse arbitratus sum. 3. Eorum me quoque nonnunquam pulsare κακοβυλίαν, quibus dentatâ in aliorum labores chartâ agere solenne nimis est, vel *superbiâ* inflatis, vel cæcâ & stolidâ ad id *invidiâ* concitatis, haud satis saltem sibi temperantibus, quin in quosvis a se dissentientes incurrant sæpe immoderatius,

tius, invehantur amarulentius. Ea enim prodolor jam vivimus tempora, calamitosa sane! quibus vix ullum offendas *Scriptorem*, cujuscunque disciplinæ sit, qui dum *Libris* cum aliquo conflictatur, quantocyus in sententiâ, quam tenet, asserendâ & tutandâ inferiorem se esse deprehendit, desertâ causâ, ad virulentissimâ veluti rabie in Adversarii, quocum lis sibi est, personam, mores, imò vel levissima sæpe scriptionis stylique ejus ἠττήματα debacchandum se non accingat. Tales, inquam, qui sic faciunt, nonnunquam hic etiam vapulant; quidsi forte hâc viâ perversus ille impetus, Reipublicæ Literariæ tam noxius, Scriptoribusque, *Theologis* imprimis, usque adeo probrosus ac indignus, Divinâ secundante gratiâ, cohiberi quadantenus possit; pudor minimum iis injici, qui suis hoc in negotio affectibus nimiopere forsan hactenus indulserunt. 4. Me etiam, dum de LIBRIS eorumque USU & ABUSU ago, tametsi cujusvis generis scripta quidem spectem, in ea tamen, quæ *Theologica* sunt (cum professione *Theologus* sim) digitum primariò in-

tendere, id est, in talia, quæ *Veritatem* Divinam genuinamque *Pietatem* illustrare, confirmare & promovere apta nata sunt, quibusque, ut subordinari, ita & subservire omnia alia debent. 5. Quodsi autem contingat, ut omnia, quæ hic apponuntur, fercula ad singulorum palatum non sint (uti quorumvis hominum applausum minime iis intendo, nedum emendico, cum non raro, juxta *Plutarchum*, τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν ἢ τοῖς σοφοῖς ἀπαρέσκειν, *multis placere sapientibus sit displicere*) vel, quod pejus est, *Zoilis* quibusdam hostiliter in ea insurgere volupe forte sit (prout istiusmodi hominum non minor nunc dierum, quam æstivâ tempestate muscarum in macello turba est) me nullo eos loco habiturum esse, sed unico hoc Incomparabilis *Gathakeri* effato, quo vix ullum dederis significantius, nullum generosius, cunctos eorum *Conatus* & molimina esse retusurum: *Judicia* (dicit) *eorum* [obtrectatorum] *& dicteria vel dictata nihili facio, quin pari loco habeo, quo* Cynicus *ille* (Demetrium designat apud Senecam) *imperitorum voces, quæ sursum an deorsum sonarent, sua nihil referre is existima-*

Gathaker. Cinn. in Præfat.

Senec. ad Lucil. Ep. 91.

ſtimabat. Compertum enim jam dudum ſatis habeo, nec illorum inſtituta placitaque mihi poſſe probari, nec mea illis non diſplicere. Obloquantur itaque, vellicent, arrodant, ſugillent, quantum libuerit, me intra fidei conſcientiaque ſepta couſiſtentem, munimentisque hiſce atque integumentis Echini inſtar, quod ille olim, involutum an convolutum undique dixerim, non magis attingent, afficient ſaltem, quam teſtudinis clypeum firmiſſimum, elephantisque corium duriſſimum veſparum aculei, culicumque etiam ligula penetrare nedum perforare valuerint. Plin. Libr. 6. cap. 17. Ambroſ. Hexaëm. Lib. 6. cap. 4. 6. Tandem me, quantâcunque attenderim diligentiâ, cavere non potuiſſe, quin multa tamen hic illic, cum poſtremæ limæ per abſentiam præeſſe non potuerim, irrepſerint *ζφάλματα*, quorum *levioribus* ut benigniter ignoſcas, *graviora* vero ac corrigas emendes obnixe rogatum Te volo. Parum quidem, ut a Magnis Viris obſervatum eſt, officere ea poſſunt; quoniam vel docti ſunt, qui LIBROS legunt, vel pigri & indocti. Docti facile lapſus illos deprehendunt & corrigunt; Indoctis ne proſunt quidem, quæ & valde incorrupta & ſtudioſiſſime edita ſunt. Verum tamen cum Operis, quod edi-

tur, nitori detrahere haud parum soleant, Autoremque aliquando vel ignorantiæ vel incuriæ suspectum reddere possint, consultum ac necessarium fere est, ut vel in Libri *calce* vel, quod magis mihi arridet, in *Capite* ejus ac *Præloquio* brevis eorum mentio instituatur. *Pagina* ergo 1. l. 18. & p. 6. lin. 3. 5. l. מְגִלָּה p. 7. l. ult. *l. lævigabant.* p. 16. l. 21. *l. Sapphûs.* p. 23. l. 6. *l. adminicula.* p. 25. l. 23. *l. venivissent.* p. 27. l. 20. *l. qualibet.* p. 28. l. 21. post *universum l. Orbem.* post *easque* del. *Orbem.* p. 37. 22. *l. Sed vero.* p. 51. l. 24. *l. dixerat.* p. 85. l. 1. *l. conjuncta.* p. 64. l. ult. *l. haud.* p. 80. l. 32. *l. fit.* p. 101. l. 1. *l. fessum.* p. 102. l. 8. *l.* παραδόξα. p. 105. l. 24. *l. gessit.* p. 127. l. 16. *l. obveniat.* p. 138. l. 3. *l. existimavit.* p. 140. l. 24. *l. vicerit,* pag. 141. l. 16. *l. ab Agellio.* pag. 149. l. 11. *l. Areopagitæ.* p. 171. l. 7. *l. laborârint.* p. 177. l. 31. *l. monente.* p. 184. l. 10. *l. vocem.* p. 197. l. 23. *l.* κεφάλαιον. Ibid. l. 33. *l. Scriptorum.* p. 199. l. 8. *l. Inveni.* p. 205. l. 4. *l. postea.* p. 215. post *dicatur* del? & post *sortitus* pon.? p. 223. l. 35. *l. quem.* p. 225. l. 25. *l. proprietatesque.* p. 233. l. 22. *l. ergo.* p. 246. l. 9. *l. magus.* p. 259. l. 27. *l* χαλκοτέρω

p. 278.

p. 278. l. 32. del. *tam.* p. 280. l. 19. *l. dicebat.* p. 288. l. 7. *l.* μεθοδείαις Ibid. l. 28. *l. eundem.* p. 289. l. 1. *l. Catechetica.* p. 313. l. 2. *l. Usserius.* p. 326. l. 7. *l.* ἧττον p. 337. l. 16. *l. negotiatoris.* p. 388. l. 7. *l. complurium.* p. 385. l. 22. *eorum.* p. 409. l. 12. *l. omnesque.* Atque his quidem præmissis, *Lector*, valere te porro jubeo, Deum Ter Optim. Mam. μόνον τὸν θεὸν γνώσεων, ex animo obtestans, ut quemadmodum cunctis ingenuorum Scriptorum in *scribendo*, ita & tuis in *legendo* laboribus jugiter adsit, tempusque, quod pro infinitâ sua bonitate & longanimitate largiri nobis huc usque dignatur, in sui gloriam, cognitionisque Divinæ & humanæ incrementum constanter & gnaviter impendere nos faciat. Hoc magis, quod non tam *atramento* quam *sanguine* in quibusdam Christianismi oris scribi jam cœptum sit, funestumque hoc Ecclesiæ periculum, ne dicam excidium, grassari si pergat, collapsuræ procul dubio tam *Literæ*, quam *Literati* paulatim sint, scribendique simul & legendi (nisi Deus gratiosè avertat) propediem forte adfuturus finis. Næ, si in ulla, in exulceratissima & profligatissima

hæcce

hæcce tempora graviſſimum *Apoſtoli* monitum quadrat : Βλέπετε πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοὶ, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι, πονηραί εἰσι. *Videte quomodo* circumſpecte *ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quia dies* M A L I *ſunt.*

ELENCHUS CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAP.

I. DE πολυγραφίᾳ. pag. 1

II. De Librorum. *multitudine* & Copiâ. 19

III. De Prudentiâ *in scribendis* Libris *observandâ*. 61

IV. De *scribendorum* Solidate. 97

V. De *scribendorum* Perspicuitate. 113

VI. De *scribendorum* Brevitate, *variisque eam assequendi viis*. 128

VII. De Librorum lectione *in genere*. 198

VIII. De *justo* & fructuoso *Librorum legendorum* modo. 214

IX. De singulari *quorundam in* Libros affectu. 255

LIBRI SECUNDI.

CAP.
I. DE μισοβιβλίᾳ, *ejusque* duplici *Causâ*, Ignaviâ & φιλαργυρίᾳ. 268
II. *De* Innovandi Prurigine, *tertiâ* μισοβιβλίας *Causâ*. 282
III. *De* Eruditorum Thrasoniſmo, *quartâ* μισοβιβλίας *Causâ*. 308
IV. *De* Eruditorum Invidiâ, *ultimâ* μισοβιβλίας *Cauſâ*. 377
V. *De* Vario Librorum *Fato*. 414

In

In præclaras Clarissimi

GUILJELMI SALDENI DE LIBRIS,

varioque eorum USU & ABUSU Cogitationes.

Diversis homines studiis votisque feruntur:
Indolis & sequitur semina quisque suæ.
Hic corradit opes, corrasas servat: in illâ
Quot numerat nummos, tot putat esse Deos.
Alter amat belli ludos, pugnasque cruentas;
Et cantat, Mavors cum cit ad arma viros.
Summa boni est aliis unctâ vixisse patellâ,
Et liquido Bacchi rore madere Patris.
Æschinus impurum gaudens intrare lupanar
Oscula Sirenum turpia quærit iners.
O stolidas animas, quæ vos dementia cepit!
Quis vos amentes devius error agit!
Hos decet Anticyras largè sorbere meracas,
Ne tales excors mens det in exitium.
Sed, *Saldene*, tibi summi fabricator Olympi
De meliore luto condita corda dedit.
Virtutum es fidus cultor rigidusque Satelles,
Et calamo & linguâ despuis in vitia.
Tu castos aliis moves suadere labores,
Quodque aliis suades ipse libenter agis.
Incoctumque geris generoso pectus honesto:

Hinc

Hinc te pigrities flagitioſa fugit.
Ingeniique tui rurſus jam parturit arbor,
Et comedenda dabit non mala mála brevi.
Te Scriptore liber bene coctus prodit in auras,
Scribere nos libros cum ratione docens
Hoc opus eximios authori apponet honores:
Famaque te nunquam diſſoluënda vehet.
Cumque tui attentus Libri contenta voluto,
Hos me verſiculos fundere Muſa jubet.
Multa quidem multi *ſcribunt*: ſed inania cum ſint,
Scriptores meritò ridiculos faciunt.
Copia librorum cui diſplicet ampla bonorum,
Is mihi diſtortâ mente Chorœbus erit.
Commendat ſcriptos valde *prudentia* libros,
Quâ ſine ne nauci ſcriptor habendus erit.
Dicere de rebus, perſonis parcere qui ſcit,
Illius in laudes area latâ patet.
Vipereo vanos odi plus ſanguine Battos,
Qui Siculis gerris futiliora crepant:
Sed *ſolidè* & *ſtrictim* ſcribit qui digna notatu,
Hujus eondecorent laurea ſerta caput.
Perſpicuos animi ſenſus qui prodere chartis
Novit, eum potius quam *tenebroſa* lego.
Sicut apis varios exugit ſedula flores,
Indeque convectat dulcia mella domum:
Sic nos per *varios Scriptores* currere par eſt,
Ut Sophiæ ingentes accumulemus opes.
Ordine ſcriptores recto reor eſſe *legendos*:
Maxima ſic pergens emolumenta capit.
Qui *Momi* mores imitatur lectòr, abito:
Lectori debet candor ineſſe probus.
Odimus *oſores librorum* ut limina Ditis:
Odimus & cunctos queis *nova ſola* placent.
Helleborum ſumat ſcriptor, qui vertice *criſtam*
Tollit, & inſano plenus amore ſui eſt.

Eheu,

Eheu, quot turgent ſucco *loliginis atræ*,
Lumine cum lævo ſcripta aliena vident!
Sæpe *ſiniſtra* manent præclaros *fata* labores:
Lectoris genio ſtautque cadunt que libri.
Hæc eadem ſi te dura infortunia tangant,
Scito virum fortem plurima velle pati.

MARTINUS HARLINGIUS,
Eccleſiaſtes Hornanus.

Eru-

Eruditissimi Ecclesiastis

GUILJELMI SALDENI

Encomium.

Ccipit, & meritò, duplos Saldenus *honores;*
Bis cingit doctum Laurea bella caput.
Hunc laudant Veteres, laudabunt atque Futuri:
Pensat namque illos, hos quoque multa docet.
Præmia defunctis quum dat; dat lumina vivis;
Sicque fuit Judex, sicque Magister erit.
Undique Saldenus *vocitatur magnus Apollo,*
Quem Cœli cupiunt, quem bene Terra beat.
Huc, inquit Cœlum, Saldene, *citissime scandas:*
Hic, inquit Tellus (sed mihi) vive diu.

PHILIPPUS LE NOIR,
Profugorum Ecclesiastes Hornanus.

DE LIBRIS.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De ΠΟΛΥΓΡΑΦΙΑ.

SUMMARIUM.

I. *Tractandorum* ſeries & ordo. II. *Scriptores cum* Cantoribus *comparati. Multi* rogati *non tantum ſed* & injuſſi *ad ſcribendum proni*, & *vice verſâ. Quid proprie* Cacoëthes? *Vox illa quo ſenſu a Juvenale uſurpata?* III. *Librorum* ἀνομαλολογία. *Unde* συνελίγμαξ & κυλίνδροι *dicti?* Compaginandi *eos apud Antiquos modus.* Vox בְּגִלָּיוֹן *unde?* IV. *Varia, in quâ ſcriptitatum olim eſt*, materia. *Ut è* philyris *craſſioribus* calcei, *ita è tenuioribus* Libri *fere confecti. Inteſtinum* Draconis *centum & viginti pedum in Bi-*

bliothecâ Constantinopolitanâ inventum, cui Homeri *Poëmata inscripta,* Libri *haud unimode à Veteribus* ornari *soliti.* Purpuræ *laus. Magistratus unde* purpurati *dicti? Literis* purpureis *quandoque scriptum, quandoque etiam* aureis. *Pumice* & plumbo *Libri expoliti.* Minium *quale apud* Romanos *ornamentum? Ab* Ægyptiis *ad* greges & arbores *suas, tempore Paschatis Judæorum, illinendas adhibitum. Imperatorum* Rescripta & *Librorum* tituli *eo fere conscripti.* Rubrica *apud Jureconsultos quid, qualisque ejus usus?* Lunula *in* Librorum *fronte nonnunquam designata.* Μίνις *vel* μήνιγξ *quid?* Jacobi Geusii, *de voce* Maandag *vel* Mendach *inde ortâ, conjectura non usque adeo probabilis. De Librorum* Umbilicis *Eruditorum discors sensus.* Adrianus Junius & Theodorus Almelo-

lovenius *laudati. Phraſiologia* rem ad umbilicum perducere *quid notet, & unde derivata?* V. Πολύγραφοι *plurimi. Quædam etiam è* ſequiori *ſexu.* Anna M. Schurmanna, Anna le Fevre, & Cornelia Voſſia *fœminæ* eruditione *& variis dotibus claræ.* Virgo *quædam ipſâ* Philoſophiæ *laureâ decorata.* VI. Lipſius *in* fœminarum φιλομαθίαν *iniquior notatus* Hypatiæ Philoſophæ *induſtria & diligentia. Vera* eruditio *non ad* uxores *a juſtis* Maritis *ſuis officiis præſtandis avertendas ſed eo propellendas accommodata.*

I. DE LIBRIS diſſertaturo hunc mihi propoſui obſervandum ordinem: *Priori* Opuſculi *Parte* vel *Libro* agam de Βιβλιοφίλοις; id eſt, de Librorum *æſtimatoribus* & *cultoribus*; referamque eo variorum, tam è *Veteribus*, quam è *Recentioribus* πολυγραφίαν, indeque obortam ingentem *Librorum* turbam; quam qui in pejorem partem rapiunt, refellam; *Multitudinis* Librorum *fructus* & commoda adjungam; tum quomodo ritè *ſcribendi* & *legendi* Libri ſint, oſtendam; tandem *ſingularem*

quorundam in Libros *affectum* addam. *Posteriori Parte* Μισοβίβλων quorundam tum exempla tum malitiosa *in Libros*, eorumque Scriptores, molimina adducam; præcipuas μισοβιβλίας causas *Ignaviam*, *Avaritiam*, *innovandi Pruriginem*, eruditorum *Thrasonismum* & *Invidiam* proponam; *Varium* denique *Librorum*, pro vario *Lectorum* genio, FATUM exponam.

Drus. Adagior. Hebr. Decur. 2. Adag. 10.

II. *Nos* (inquit Vir πολυγλωσσότατος Johannes Drusius) *communi vitio cum* Cantoribus *laboramus*, *ægre ad* scribendum *adducimur*, *ubi semel cæpimus*, *desistere nequimus*. Digitum procul dubio intendit in hæc *Horatii* verba:

Omnibus hoc vitium est Cantoribus, *inter amicos*
Ut nunquam inducant animum cantare rogati:
Injussi *nunquam desistant.*

Horat. Sat. Lib. 1. Satyr. 3.

At dubito, an hoc quibusvis tam *Cantoribus*, quam *Scriptoribus*, ita solenne quidem sit, ac *Autores* hi putant, quoad *prius* saltem effati membrum. Res enim docet, non minus *rogatos* quam *injussos* quamplurimos ad *scribendum* ferri, imò citato cursu ruere: Quapropter rectius fortè hunc de *tibicine Arabico* versiculum quadrare in *Cantorum* pariterque & *Scriptorum* gregem dixeris:

Erasm. Colloq. pag. m. 601.

Δραγμῆς μὲν ἀὐλεῖ, πλέων ἢ πέντε.
Dragma canit, sed quatuor compescitur.

q. d. paulo pretio ad *cantandum* provocatur, non nisi magnâ mercede desistit. *Tenet* quippe, juxta Juvenalem,

In-

Insanabile multos
Scribendi cacoëthes. Juvenal. Sat. 7.

id est, insuperabilis *scribendi* prurigo & ardor. *Conscribillantium gangrænam* scitè vocat Baudius, *scribendi scabiem* Erasmus. CACOËTHIS vox in malum fere sonat, notatque morem & *consuetudinem malam*: ἦθος enim *mos* est, & κακὸν *malum*. Medicorum filiis ulcus est, quod difficillimè curatur; quia in ipso ejus loco malignitas quædam est, quæ curari id prohibet, & partem affectam ita occupat, ut bonum etiam alimentum, quod in eam influit, plane corrumpat. *Pessimum id genus est* (inquit Celsus) *fereque id primum fit, quod* κακοήθεις *à Græcis nominatur.* Tralatitie; & aliquanto favorabilius vocabulo hoc utitur *Juvenalis*, pro tam impenso rei alicujus desiderio, quod, cum semel animum obsedit, extingui aut amoveri haud facilè potest. Baud. Epp. cent. 1. Ep. 4. Cels. de Re Medic. lib. 5.

III. *Libri* vel *Libelli* (ut pauca hæc de *voce* præmittam, cum, *Tullio* judice, *omnis, quæ rectâ ratione de re aliquâ suscipitur tractatio à definitione* nominis *proficisci debeat, ut intelligatur quid sit, de quo disputatur*) non tantùm Græcis dicuntur βίβλοι vel βιβλία, juxta *Eustathium*, ἐκ τῆ βίβλε, à *papyro*, ex quâ fieri solebant, vel ut alii volunt, à λεπυρὸν sive λέπυρον, quod *testam* vel *corticem* significat; sed & εἰλήματα, ab εἰλέω *volvo*, ut & κύλινδροι *volumina*, à κυλινδέω, quod coincidit cum εἰλέω, quia κύλινδρος formam convoluti referebant. Complicabant enim & *convolvebant* Veteres in rotundum, quæ scribebant: sicuti & hâc ipsâ ætate *Judæi* in Synа- Cicer. de Off. lib. 3. Amm. Marcellin. lib. 22. Psalm. 40. 8. Laert. in Epicur.

Sixt. Senenſ. Biblioth. lib. 2. fol. 92.

nagogis ſuis *Legem* in membranâ *convolutam* habent, & vox גָּלַל *volvere*, unde & גִּלָּה *volumen* Libris & Libellis applicatur Eſ. 34. 4. Magiſtri *Eſtheræ* Librum, Buxtorf. Synagog. Judaic. cap. 9. καὶ ἐξοχὴν *volumen* ſive גִּלָּה vocant; eamdemque ob cauſam *Libri* πτύσσω & ἀναπτύσσω, nonnunquam etiam ἀνελίττω Græcis dicuntur; quod nihil aliud eſt quam claudi & aperiri, proprie *complicari* & *explicari*. Ad *Librum* ſuum Martialis,

Martial. lib. 11. Epig. 1. & lib. 5. Ep. 6.

Vadas, ſed redeas inevolutus.

IV. Multa diſquiri hic jam poſſent de *Librorum* ORIGINE & PRIMIS SCRIPTORIBUS, ut & de variâ, in quâ ſcriptum olim fuit, MATERIA; ſed labore iſthoc ſuperſedeo: quod de *Prioribus* ipſe alibi dixerim, & de *Poſteriori* multis agat Clariſſ. *Salmuthus* in aureis ſuis de *Rebus Memorabilibus & deperditis* Commentariis, quorum hanc proinde ſummam hic tantum exhibeo: Scriptitatum, juxta ipſum, ab Antiquis eſt, in *arborum* vel *fruticum foliis*, in *philyris*, tenuioribus nempe, & quæ mediæ papyro propinquiores erant (è craſſioribus enim papyri membranis *calceos* Veterum nonnulli conficiebant, *Martiano Capellâ* teſte) in *plumbo*, in *linteis*, in *cerâ*, in *ebore*, in *lapidibus*, in *animalium* tum *pellibus*, hœdorum imprimis, caprarum, ovium, vitulorum, quandoque etiam aſinorum, tum *inteſtinis* (uti ſtupenda Bibliotheca Conſtantinopolitana, tempore *Baſiliſci* Imperatoris, inteſtinum *Draconis* habuiſſe di-

OTIA Theolog. lib. 1. Exerc. 1.

Salmuth. in Panciroll. p. 2. tit. 13. pag. mihi 52.

Martian. Capell. de nupt. Philolog. lib. 2.

dicitur magnitudine centum & viginti pedum, inscripta habens *Homeri* Poëmata, Iliadem & Odysseam) tandem etiam in *chartâ* & *membranis*. Quæ cuncta dictus Autor ordine ibi recenset, & eruditè exequitur, hic, ne actum agam, non repetenda. Verbum tantum addendum est de *Librorum ornatu* apud Antiquos usurpato. Haud raro *purpurâ* eos convestiebant: Martialis,

Martial. lib. 5. Ep. 6. & lib. 3. Ep. 2.

Ultro purpureum *petet* Libellum.

& alibi:

Et purpurâ *delicatâ velet.*

Primum, uti loquitur Pancirollus, *inter colores* purpura *locum obtinebat*, *& eorum quasi Rex existebat*; unde & magistratus *purpurati* dicti, *purpureis* fere vestibus olim induti, & *purpureis* cothurnis incedentes:

Pancirolli. Rer. Memorab. part. 1. tit. 1.

Lactant. lib. 4. cap. 7.

Purpureo *suræ rutilant fulgente cothurno*,

uti habet *Corippus* apud *Balduinum*, Imperialem *Justini* Junioris habitum describens. Quin & *purpureis* nonnunquam *literis* scribebant. Ovidius:

Balduin. de calc. Antiq. cap. 10. pag. m. 94.

Stamina barbarica suspendit candida tela,
Purpureasque *notas filis intexuit albis*:

Ovid. Metamorph. lib. 6. fab. 7.

quandoque etiam *aureis*, auri saltem colorem & fulgorem referentibus. Sic *Baldus* de Privilegii cujusdam instrumento: *Totum* (inquit) *encaustо muricis inscriptum erat*, *quod præbuit diversissimam speciem*, *modo nigri*, *modo rubri*, *aliquando etiam* aurei, *prout quisque vertisset id instrumentum*. Pumice etiam plumboque *poliebant* & levi-

Bald. in Rubric. C. quæ res vendi non possunt.

gabant *Libros*, ne nempe ſcabrities vel ſcribentis manum vel legentis oculum offenderet. Hinc Catullus,

Catull. lib. 1. ad Var.

Novi umbilici, loca rubra, membrana
Directa plumbo, *&* pumice *omnia æquata.*

Inſcriptiones & titulos *minio* ſcribebant:

Ovid. Triſt. lib. 1. Eleg. 1.

Nec titulus minio, *nec cedro charta notetur.*

Erat hoc inter ornamenta & pigmenta magnæ autoritatis, Romanis olim ſacra. *Cinnabaris* aliter dicitur, Græcis μίλτος, noſtratibus *Vermilioen*; Coloris eſt ſummè *rubri*, à ſanguineo haud multum diſtantis; unde & mos, quoniam Iſraelitæ *Paſchatis* tempore ſuperliminaria ſua *ſanguine* illeverunt, apud *Ægyptios* idololatras, dimanavit, quod greges & arbores ſuas, non ſanguine, ſed *minio*, veluti alexiterio, in Judæorum *Paſchate*, primo ſcilicet vere, illinere etiam inſtituerint, teſte *Epiphanio*. In *Triumphis* præcipue adhibebatur, quin ipſa triumphantium *corpora* eo illinebantur, ut magnifici & ætherei coloris eſſe viderentur. Quemadmodum & Imperatores *miniatis* literis *Reſcripta* ſua conſignabant, ut in Principibus omnia ſemper majora quam in privatis eſſe appareret. *Rubricam* vocant Jureconſulti, per quam ipſum *titulum* fere intelligunt, utpote quem *minio* vel alio colore rubro (*Phœniceum* quidam dicunt) olim pingebant; neque id facilioris tantum diſtinctionis & memoriæ juvandæ gratiâ, ſed ut *Legibus* quoque, capitibus earum *ſinopide*

Plin. lib. 33. cap. 7.

Epiphan. in Hæreſ. Nazaræor. Tom. 1. l. 1.

Alex. ab Alexand. Genial. Dier. Lib. 6. cap. 6. pag. m. 643.

Tiraquell. in Alex. d. loc.

Briſſon. de verb. ſignif. col. 519.

aut

aut *cinnabari* notatis & insignitis, majestatem quandam accrescere facerent. Persius:

Excepto siquid Masuri rubrica *notavit.* Pers. Satyr. 5.

Prout etiam in Libri fine *coronidem*, ita in fronte *Lunulam* sæpe adhibebant. De quo sic Turnebus: *Veteres ut in* calce *Librorum* coronidem *adpingebant*, *ita*, *ut suspicor*, *in fronte* Lunulam *ad ornatum designabant. Hujus suspicionis causam nobis* Ausonius *præbet*, *ita scribens in commemorat. Profess. Burdigalens.* 26. Turneb. Advers. Lib. 22. cap. 10. pag. m. 715.

Quos legis à primâ deductos menide *libri*,
Doctores patriæ scito fuisse meæ. Plat. de Leg. lib. 7.

Menis lunula est, μηνίσκος juxta *Aristophanem*, *Hesychium*, *Polybium*. Non ausim asserere, à Veteribus factum id forsan esse, quod *libros* suos, hoc ornatu insignitos, fortunatiores fore sperârint, quoniam *Lunam* vel, ut nonnunquam etiam legitur, *Lunum* DIS suis accensebant, uti notum est. Doctiss. Geusius *Mene*, mercatorum idolum (Ravanellus habet *Meni*) huc etiam refert, per quod *Lunam* intelligi vult, atque inde derivari *diem Lunæ*, Belgis *Maandag*. q. d. *Mendag*, ab hoc *Mene*. Sed conjectura hæc, nostro judicio, non usque adeo probabilis est. Addebant tandem *umbilicos*, ita Papinius Statius: Aristoph. in Avib. Hesych. in voc. Polyb. lib. 3. Gaffarell. curiosit. Inaud. cap. 11. pag. m. 216. Selden. de DIS Syr. p. 240. 284. Geus. de Victim. Human. part. 1. cap. 6. Ravanell. Bibl. part. 2. p. 52.

Noster purpureus, *novusque chartâ*,
Et binis decoratus umbilicis.

Stat. Sylvar. lib. 4. Sylv. 9. quod in medio *circumvoluti* fere essent voluminis, ut *umbilicus* in corpore humano *medius* est in ventre. Erant hi, uti quidam volunt, ornamenta quædam ossea, lignea vel eburnea, *umbilici* figuram imitantia, quæ *voluminibus*, cum jam plane absoluta essent, adjungebantur. Iterum Martialis:

Scriver. in Martial. lib. 1. Ep. 67.

Quid prodest mihi tam macer Libellus,
Nullo crassior ut sit umbilico?

Martial lib. 2. Ep. 6. In quantum ergo librorum partes circum ligneum teretem furculum, vel osseum vel buxinum, nonnunquam etiam cupressinum convolvebantur, Libros Antiqui *volumina* dicebant, furculi vero capitulum, vel ipsum furculum, sive bacillum (uti alii vocant) *umbilicum* nuncupabant. Qui, cum explicaretur volumen, in *fine* erat, in *medio* autem cum in spiram collectam obvolveretur, ejusque capita, volumine complicato, hinc inde quadantenus prostabant. Unde & *cornua* forte nonnullis dicti *umbilici*, quod, uti *cornua* supra bovis, arietis, vel tauri caput, ita hi supra complicatum *volumen* prominerent; vel etiam quod è materiâ *corneâ* subinde constarent, non ita ex æreâ, argenteâ, vel aureâ, uti hodie: Ovidius,

Pier. Hieroglyph. lib. 34.

Rader. in Martial. lib. 2. Ep. 7.

Salmuth. ad Panciroll. p. 2. tit. 42.

Ovid. Trist. Eleg. 1. *Candida nec nigrâ* cornua *fronte geras.*

& adhuc Martialis:

Martial. lib. 11. Epig. 107. *Explicitum nobis usque ad sua* cornua *librum,*
Et quasi perlectum, Simpliciane, *geras.*

Sim-

Simpliciſſimè rem expedit Adrianus Junius, *Umbilicos* deſcribens, quod ſint *lamellæ, quas librorum* involucris *veteres extrinſecus adhibebant, ſive ad ornatum, ſive contra attritum.* Nos dicimus *het beſlag van een boek.* Quibus verbis ab iis, quæ mox diximus, abire aliquatenus videtur, cum μικρὰ illa ἐλάσματα ſive *lamellæ*, libris extrinſecus additæ, in *convolutis* voluminibus locum habere vix potuerint, multo minus earum capitula ſupra alias *libri* partes prominere; haud ſaltem, ſi tale *librorum* ornamentum per eas intelligatur, quale apud nos hodie in uſu eſt. A cunctis his divortit Eruditiſſimus *Almelovenius*, Antiquitatum tam *ſacrarum* quam *profanarum* ruſpator ſagaciſſimus & diligentiſſimus, qui *umbilicos* veteribus fuiſſe exiſtimat (conjicit ſaltem) non *librorum* quædam ornamenta, ſed *funiculos* aut ligamina ſerica, lintea, coriacea, quibus circumligabantur volumina, ut ritè clauſa nitidius à ſordibus conſervarentur, & commodius ſeponerentur. Doctum ſe conjecturam illam dicit à Celeberrimo Viro *Iſaaco Voſſio*, ſumptamque eſſe ſimilitudinem à fœtuum animalium *umbilicis*; quos inter & *funiculos* hoſce hanc inſtituit comparationem: Quod 1. ut *umbilici* corporis animalium occupant *medium*, ita & *funiculi* hi librorum. 2. Quod ut *umbilicorum* in animalium fœtu uſus eſt, ut ſuſtentent & firment, ita etiam eſſe circumligationis horum *funiculorum.* 3. Quod ut *umbilici* animalium tenuiores & prolixiores ſunt, ita & in libris *funiculi*, ut eo firmius & facilius

Jun. Nomenclat. cap. 32.

Almeloven. Opuſc. pag. 155. 156.

Voſſ. Not. in Catull. pag. 54.

cilius constringi possint. Atque hinc proverbii (*ad umbilicum rem perducere*) originem tum derivat, quod explicat per rem *finire* & *perficere*; & optime quidem, quia nunquam tale *ligaculum* libris olim affigebatur, ut neque & hodie affigitur, nisi opere plane perfecto & absoluto, ac ita quidem, ut in scriptura non tantum, sed ne in ornatu quidem quicquam deficiat. Mihi quidem videtur, inter omnes hâc de re Doctorum sententias, specietenus utut διαφώνους, tantam pugnam non esse, quin facile componi possint; hoc magis, quod præcipuæ inter *funiculos* hosce *Vossianos* & *umbilicos* convenientiæ in iis, quæ alii per *hos* intellecta volunt, locum etiam habeant, ut ex dictis palam est.

V. Interim plurimi ἐκ παύνυ ἀρχαίας extitêre, qui *Juvenalis* hoc effatum exemplo studioque suo confirmarunt, homines, inquam, πολυγράφους, id est, pluribus condendis & scribendis *Libris* dediti: Zeno, Stoicorum Pater, usque ad *septingenta quinque* συγγράμματα sive Opuscula evulgavit. Nec multo pauciora *Chrysippo Solensi* tribuit Laërtius. Epicuri scribendi pruritus ad volumina *ter centena* usque processit, quorum unumquodque varia insuper συγγράμματα continebat. *Libri* Aristotelis, teste eodem *Laërtio*, ad *quadringentorum* pene numerum pervenerunt, *de quibus nihil ambigitur*, præter complura alia *volumina*, quæ adscribi ipsi solent. De se ipso testis est *Tullius* in Epistolis ad Atticum, *quod incredibile sit, quantum scripserit die, quin etiam noctibus: nihil enim* (inquit) *est somni.* De Ga-

Laërt. de Philosoph. vit. pag. m. 164. 270.

Cicer. Attic. 213. a.

Galeno, Medicorum Principe, narrant, *libros* ipsum *de Re Medicâ* supra *quadringentos* de aliis disciplinis *ducentos quadraginta* conscripsisse. Unus Servius Sulpitius, è *Jurisconsultorum* ordine, *centum & octoginta* Libros de *Jure Civili* posteris reliquit. Et quid ipse Jurisconsultorum *Pandectæ*, antequam *Justiniani* curâ ad centum quinquaginta fere versuum, id est, periodorum & sententiarum redactæ fuerunt? *Erant* (inquit Celeberrimus *D. Paulus Voet*, benevolentissimus olim meus Præceptor & fautor) *duo millia voluminum, & trecies centena millia versuum.* Aristarchus Grammaticus sub Ptolomæo *Philometore* (alii dicunt sub Ptolomæo *Euergetâ*, adhuc alii sub Ptolomæo *Philopatore*) supra *mille* Commentarios literis consignavit. Callimachus Cyrenæus ultra *octies centena millia* librorum conscripsit. Inter Hebræos Esra, præter *quatuor supra ducentos* alios Libros, *duos & septuaginta* de solâ *Kabbalâ* vulgasse dicitur. Hieronymus *sex* librorum Origenis *millia* legisse se affirmat. Theophrastus *trecenta* volumina publici juris fecit. Didymus Grammaticus *quatuor millium* librorum author extitit: licet alii *ter mille* & *quingentos* tantùm numerent. Tot saltem scripsit, ut numeri eorum *immemor* tandem factus sit; quare & βιβλιολάθας posthea dictus. De Chrysanto Sardiano refert *Eunapius*, quod licet octogenario major, tantum tamen *librorum* numerum propriâ manu exararit, ut extremi digitorum ejus articuli, ob juge scribendi exercitium incurvescere cœperint, ipseque sub

Fernel. in Oper. Præfat.

Voet. ad Institut. pag. 15.

Lomej. de Bibliothec. cap. 13. pag. m. 373.

Genebrard. Geograph. lib. 2.

Athenæ. Δειπνοσοφ. lib. 4.

Montagn. Essais Liv. 3. Chap. 9.

Drexel. Aurifod. part. 1. cap. 17.

sub scriptionis mole intermortuus tandem sit. Mercurius Trismegistus, (de quo pluribus alibi) de universa, uti fertur, sapientiâ *sex* Librorum *millia quadringentos viginti quinque* in dias luminis auras protrusit. Johanni denique Wiclefo *ducenta* volumina adscripta legimus.

Oti. Theol. lib. 1. Exercit. 1.

VI. Quinimo ipse sequior sexus scripturientium numerum auxit. Habuit is olim mulieres *Poëtrias*, *Musicas*, *Vates*, *Philosophas*, variarum rerum *artiumque inventrices*, dicendi *facultate eximias*, *Medicas* &c. quæ etiam, quæ in recessu habebant, nonnunquam publico non inviderunt. Compendio de iis agit *Forcianarum Quæstionum* Autor sub nomine *Philalethis Polytopiensis*, qui videndus. Ex hoc fuit *Euridice*, fœmina Illyrica, quæ quamvis senio confecta, & multorum liberorum, jam modo adultorum, mater esset, ad *literas* nihilominus ita applicuit animum, ut ob eruditionis monumenta inter claras mulieres referri merita sit; ut & *Angela Veronensis*, quæ *Eclogas* quasdam; *Anyta*, quæ Carmina Græca; *Areta*, quæ *quadraginta Libros*; *Argineta* quæ res gestas *Dionysii*; *Alkonora*, quæ Epistolas aliquot ad *Cælestinum* I; *Isota Novarolla*, quæ præter literas *ad Nicolaum* V. & *Pium* II. Pontifices Romanos datas, Dialogum, quo disputabatur, *Utrum gravius peccarit Adam an Eva*, orbi erudito exhibuit; *Anna Comnena*, quæ Historiam Patris sui *Alexii Comneni* Imperatoris, quindecim Libris comprehensam, edidit; *Cassandra Veneta*, de quâ apud Hottingerum *Politianus*, quod pro *lana* Librum, pro *fuso* calamum, pro

Quæst. Forcian. lib. 2. pag. 48.

Hottinger. H. E. part. v. pag. 5.

acu ſtylum ſolita fuerit tractitare, multorum tum Carminum Latinorum, tum peculiaris de *Scientiarum ordine* Tractatus concinnatrix. Mitto *Theanas* varias, *Thuriam*, *Cretenſem*, *Locrenſem*, *Pamphilem* Socratidis uxorem, *Eudoxiam* Leontii Athenienſis filiam, *Aſpaſiam Mileſiam*, *Zenobiam*, Palmyrenorum Reginam, pluresque alias, quæ non eruditione tantùm, ſed & *ſcriptis* ſuo quæque tempore inclaruerunt, quarumque Catalogum ex *Bejerlingio*, *Riddero* dictiſque *Forcianis Quæſtionibus*, aliiſque hic retexere nec volupe eſt, nec opus. *Univerſi* ſaltem *Virginalis Cœtus* ſtudiorum laude non minus boniſque artibus quam moribus & vitæ probitate conſpicui, mentionem facit *Baldus Pirkheymerus*, in Epiſtolâ ad Sororem ſuam. E recentioribus duæ ſuprà alias excelluerunt ANNÆ: *Una* eſt *Anna Maria Schurmanna*, Urbis Scholæque Ultrajectinæ ſplendidiſſimum pridem decus, cujus *Epiſtolas*, quatuor linguis exaratas, in lucem ante annos aliquot emiſit *ὁ πάνυ Spanhemius*, quibus poſtmodum, haud multo ante illuſtriſſimæ Virginis obitum, *Εὐκλήεια* ejus acceſſit. Hanc paucos abhinc annos hoc celebravit encomio magnus noſter Hugenius;

Fulgoſ. lib. 3. cap. 3. pag. m. 278.

Ridd. de Erudit. cap. 3. pag. 142.

Bejerling. in litt. M.

Pirkheymer. Ep. ad Charitat. Oper. Fulgent. præfix.

Hugen. Paræneſ. ad Illuſtriſſim. Virgin.

ANNA *Dei dono Patriæ decus, Orbis ad ortum,*
Orbis ad occaſum, non novus, ANNA *ſtupor.*
Virgo ſacras inter, ſed cui non ulla ſacrarum
Vel par ingenio, vel pietate prior;
ANNA *(quis ignorat?) omni vernacula terra,*
Cujus

Cujus ab uno omnis ore loquela sonat;
Cujus ab uno omnis calamo variante character
Nascitur, Hebræus quem stupet esse suum,
Roma suum, Graji, Æthiopes, Arabesque, Syrique,
Notaque vix aliis nomine turba suum:
ANNA, *cui Divina diu mysteria longus*
Pandit, & à tenerâ Virginitate labos,
Pandit & humanas, quas qui gustaverit, artes,
Inter magna Virûm nomina censueris.

Altera est *Anna le Fevre*, Tanaquilli Fabri filia, quæ in *Delphini* usum non tantum Latinos quosdam Scriptores, *Flori* nempe Res Romanas, *Sexti Aurelii Victoris* Romanæ Historiæ compendium, *Dictys Cretensis* de Bello Trojano, *Daretisque Phrygii* de excidio Trojæ monumenta elegantibus notis illustravit; sed &, quam erudita jure habenda sit, undecim præter propter abhinc annos venustissimâ *Callimachi*, & nuperrime *Anacreontis* & *Sapphiis* cultissimâ è *Græcâ* in *Gallicam* linguam transfusione, doctisque, quas adjecit, observationibus, ut & concinnâ *Plauti* Comediarum translatione, cum notis & examine ad Theatri leges, abunde testatum fecit. Quibus sane *duabus* eruditis mulieribus nefas esset, si hæc *tertia* non accenseretur, *Cornelia* nempe *Vossia*, summi nostri *Vossii* filia, quæ quippe, uti pulchra, elegantissimisque moribus prædita, ita & docta litterisque perpolita fuit, ditasset que procul dubio ingeniosis quibusdam pignoribus literatum aliquando Orbem, nisi Parcarum invidia obstitisset, illaque in lacu *Leidensi*, fractâ

Præfat. Matth. Voss. Annal. Holland. præfix.

fractâ glacie, infelicibus aquis fuisset suffocata. Qui certe casus hoc procul dubio magno Parenti luctuosior fuit, quod, præter exoptatissimam hanc *filiam*, pauculos intra annos *quatuor* insuper *liberorum* jam vernantis & florentis ætatis jacturam fecerit, ut alicubi queritur. Imò verò ob ipsissimam hanc *mulierum* eruditionem, & in *scribendis Libris* industriam, haud defuerunt; qui ex eodem sexu summis literatorum honoribus quasdam condecorarunt. Ita *Carolus Renaldinus* Petavii lectissimam Virginem *Helenam Lucretiam Corneliam Piscopiam*, ob insignia quæ dederat, eruditionis suæ specimina, *Philosophiæ* laureâ, omnium cum applausu, publicè donavit. Prout idem Autor alibi de *Doctoratu in Theologiâ*, fœminis conferendo, peculiariter etiam agit.

Voss. de Idololatr. Gentil. part. III. in Præfat.

Renaldin. Orat. peculiar. & Mathemat. Analytic. art. part. III.

VII. Ussit, quantum video, suo tempore *Lipsium* fœmellarum hæc eruditio, literarumque studium; sic enim ait: *Quid bonæ spei reliquum, ubi etiam* fœminæ *passim in* libris *&* literis! *Atqui eo ventum.* Hausit id forsan è Talmudicorum deliramentis, quorum dictatum est; *Non est sapientia mulieri nisi in colo suâ, quia scriptum est* Exod. 35: 25. *Præterea singulæ* mulieres *industriæ*, neverunt *manibus suis.* Sed nescio quare; cum laudabile id potius sit, quam culpabile, reique communi, speciatim *Literariæ* minime noxium. Commendare saltem sexum potest, alias contemptiorem; virosque laudabili veluti zelotypiâ inflammare, ne ab iis, quas tantis alias dotibus, ac viros, haud dignata

Lipsi. Not. in Politic. pag. m. 46.

Buxtorf. Lex. Talmud. columnn. 1742.

eſt natura, induſtriæ ſtudiorumque laude ſuperari ſe ſinant. Imò verò extiterunt ex ipſo hoc grege, quæ, tantum abeſt, ut rei communi ullatenus obfuerint, bono publico, non *ſcriptis* tantum, ſed & *vivâ voce* egregiè inſervierunt, dona ſuâ inſigni cum fructu quibusvis etiam aliis communicantes. Multarum exemplis demonſtrari id poſſet, ſed ſufficiet impræſens una *Hypatia Philoſopha*, de quâ ſic *Socrates*: Ἦν τις γυνὴ ἐν τῇ Αλεξανδρείᾳ, τοὔνομα Ὑπατία. αὕτη Θέονος μὴν τοῦ φιλοσόφου θυγάτηρ ἦν. ἐπὶ τοσοῦτον δὲ προὔβη παιδείας, ὡς ὑπερακόντισαι τοὺς κατ' αὐτὴν φιλοσόφους, τὴν δὲ πλατονικὴν ἀπὸ Πλωτίνου, καταγομένην διατριβὴν διαδέξασθαι· καὶ πάντα τὰ φιλόσοφα μαθήματα τοῖς βουλομένοις ἐκτίθεσθαι. *Mulier quædam fuit Alexandriæ, nomine* Hypatia, *Theonis Philoſophi filia. Hæc ad tantam eruditionem pervenerat, ut omnes ſui temporis Philoſophos longo intervallo ſuperaret, & in Platonicam Scholam à* Plotino *deductam ſuccederet, cunctaſque Philoſophiæ diſciplinas auditoribus exponeret.* Ineptitudo ad *familiæ* adminiſtrationem, quam imprimis eruditioni *fœmineæ* quidam opponunt, indignum & iniquum in teneriorem ſexum ſcomma tantum eſt, nullâ ratione, nullâ experientiâ nixum: cum nulla genuina *eruditio* eſſe poſſit, quæ, uti eâ imbutum officii ſui conſcium reddit, ita eum vel eam, ad officio illo rite defungendum, non ſimul etiam impellat. Fatetur etiam de ſe ipſo *Eraſmus*, quod à *Lipſianâ* hac ſententiâ primum non abhorruerit; ſed reduxit poſtmodum calculum, ut non uno loco in *Epiſtolis* ſuis oſtendit. Inter alia alicubi

Socrat. Hiſt. E. lib. 7. cap. 15.

Eraſm. Epp. lib. 17. Ep. 7.

alicubi sic fatur, quod huc maxime facit: *Neque video, cur maritis sit metuendum, ne minus habeant uxores morigeras, si* Doctas *habeant, nisi si qui tales sint ut ea velint, exigere ab uxoribus, quæ non sunt exigenda à probis matronis. Imò meâ sententiâ nihil est intractabilius* inscitiâ. *Certe hoc præstat animus* cultura studiorum *exercitatus, ut intelligat æquas probasque rationes, videatque, quid deceat, quid expediat.*

CAP. II.

De Librorum Multitudine & *Copiâ.*

SUMMARIUM.

I. *A multis* Scriptoribus *scripta* multa. *Bibliothecæ* Constantinopolitana, Alexandrina, Sereni Sammonici, Pamphili Martyris, Aldi Manutii, Maximiliani Imperatoris &c. *Librorum* numero *insignes.* II. *Si tanta olim* Librorum *turba, ergo hoc tempore multo major. Unum* Bibliorum *exemplar quanti ante Typographiam inventam divenditum? Difficilis* Libros

scribendi *apud Antiquos ratio.* Richardi Simonii *de Pentateucho* uno volumine *tantum comprehenso, figmentum explosum. Quo sensu* uni *nonnunquam Scriptori Librorum aliquot* millia *adscripta? Βιβλία δίπλυχα quæ?* Typographia *quando & a quo primum inventa?* Eruditorum *super eo conflictus.* Faciendi Libros nullus finis. III. Multitudinis *Librorum* incommoda *a quibusdam objecta.* Cartesius, Petrarcha, Ælianus Suetonius, Anonymus *quis, de* Germaniâ militedestitutâ, *nec non* Erasmus *ad partes vocati.* Librorum *usus* Reipub. administrationi *non præjudicat. Regni* Sinarum *celebritas unde? Felices Respublicæ, quæ a Philosophis reguntur. Rex* illiteratus *asinus coronatus.* Amalosunthæ, *Gothorum Reginæ, elogium. Regis* Theodorici *asinina stupiditas.*

piditas. Nec armis Literæ nec literis arma opponenda. Principes *varii rebus simul* bellicis, & eruditione *illustres.* Memoriæ *exercendæ & excolendæ obsunt non libri. Sapientiam non in* Libris *sed in* pectoribus *asservare in laude apud* Tartaros *positum.* IV. Usus & abusus *librorum recte distinguendi. Genuini librorum* judices *qui?* Piccarti & Gellii *de hoc effata. Cur* Christus *Servator nihil scripserit? Epistola ad Regem* Abgarum, *tribui ei solita* ὑποβολιμαῖον, *non germana. Inter Paganos* Pythagoras & Socrates *nihil scripserunt.* V. *Sola* πολυγραφία *pro* Eruditionis ἐλλείμματι *non habenda. Ut laudabilis tamen* obsequii & diligentiæ *indicium æstimanda.* Lactantius & Coccejus *laudati. A* scribendis *libris cur multi alieniores?* Lazarus Bonami-

cus *vir doctus quidem, sed vanus & irreligiosus. Cur nihil* scripto *reliquerit? Quomodo ab* Erasmo *ad calamum provocatus?* Augustinus & Petrus Venerabilis *Librorum* scriptioni *addicti.* VI. *In* scribendis *Libris non tam* gloriæ propriæ *quam* utilitatis publicæ *ratio habenda.* Andreæ Hyperii *exemplum huc faciens.* B. Alcuini *aurea verba.* VII. *Libri* vere boni *descriptio. Nulli commendabiliores* amici, *quam libri.* Auscultationis & Lectionis *Librorum collatio.* Hujus *supra* illam *prærogativæ.* Libri *tam* animi *quam* corporis *medicamina. Quod* Baptistæ Fulgosii, Hieronymi, Alphonsi & Ferdinandi, Siciliæ & Hispaniæ Regum, *nec non* M. Terentii Varronis *exemplis comprobatur.* Libri *in* conviviis *olim lecti.* VIII. Libri *ex remotissimis*

oris

oris βιβλιοφίλους *ad Autores eorum viſendos & videndos attrahere ſoliti. Scientiarum comparandarum & propagandarum æternæque famæ obtinendæ optima admunicula ſunt. Cur latentem in* chartâ *Spiritum* Indi *ſuſpiciant? Quid ſit* ætatem ferre? *Quo ſenſu* Libris *id conveniat? Immortales non tantum ſe ipſos boni Scriptores reddunt, ſed & eos ſæpe, quibus* Libros *ſuos inſcribunt. Multos obſcuro loco natos ſolis* Libris *inclaruiſſe variis ſpeciminibus oſtenditur.* Novi homines *apud* Romanos *qui?* Caroli Molinæi *laus.*

1. Estque proculdubio ipſa hæc variorum & variarum πολυγραφία, quæ jam retro aliquot ſeculis terrarum Orbem infinitâ pene *Librorum* turbâ implevit. Mirandum quid videtur, quod *Bibliotheca* Conſtantinopolitana *duodecim* Librorum *millia* dicatur comprehendiſſe. At quam minutula hæc fuit, comparatione ad alias longe

instructiores facta? Quæ *Alexandriæ* fuit anno, post Mundum conditum, 3704, juxta aliorum calculum, 3680, a *Ptolomæo*, Ægypti Rege, instituta 400000, sive ut alii, 700000 volumina continuit; quæ omnia, cum diriperetur ea Civitas, bello *Alexandrino* priore, non sponte, neque operâ consultâ, sed (teste A. Gellio) *a militibus forte auxiliaribus*, incensa fuerunt. Licet alii sint, qui non sine colore *trecenta* adhuc eorum *millia* ab incendio servata fuisse existimarunt. *Serenus Sammonicus* Gordiano Juniori Librorum 62000 *Bibliothecam* testamento legavit. *Pamphilus Martyr*, Cæsariensis Presbyter, cujus vitam tribus *Libris* delineavit *Eusebius*, triginta *Librorum millia* solus possedit: *Aldus Manutius* octoginta millium *Librorum* Academiam *Pisanam* hæredem instituit. Complexa est *Maximiliani* I. Imperatoris Bibliotheca *Libros* quinquagies mille, tum typis impressos, tum manuscriptos. Quinimo ipsa Bibliotheca *Constantinopolitana* (de quâ mox) *Theodosii* Junioris curâ, qui conquirendorum Librorum studio & desiderio *Ptolomæo* inferior non fuit, adeo aucta & exornata tandem fuit, ut decem *Librorum* myriades dicatur continuisse. Alii *centum viginti millia* habent.

Gell. lib. 6. cap. 17.

Petr. Messi. lib. 3. cap. 3.

II. Quod si autem priscis illis temporibus tot modo *voluminibus* scatuerit Mundus, quot non jam quidem saburratum eum esse existimes? cum tanto plures elapsi sint anni, tot res calamo dignæ acciderint, quæ antea non fuerunt, scientiæ & disciplinæ adeo auctæ & multiplicatæ sint,

Fritsch de Erudit. Vit. cap. 6.

sint, carnalisque φιλολμία, quæ multis unicus ad *scribendum* stimulus sæpe est, millecuplo forsan magis mortalium animos occupet, quam simplicioribus istis temporibus. Accedente insuper, juxta calculum communem, Anno 1440. *Typographiæ* feliciſſimo adminiculo, quod antegressa tempora ignorarunt. *Olim enim* (observante Guidone Pancirollo) *necesse erat omnia* calamo *describi*; *quem in usum multæ institutæ erant tabernæ, in quibus nihil agebatur aliud, quam ut scriberetur, id quod multi* laboris & sumptuum *erat*, & *libros* non nisi cariſſimo pretio divendi faciebat. Biblia enim *Johannes Fustus* (quem furto *Harlemo* abstuliſſe *Typographicam* supellectilem, & in Germaniam transportaſſe autor est *Lydius*) a se excusa, & *Lutetiam Parisiorum* delata, principio *sexaginta* coronatis, postea minoris vendidit; cum antea unicum *Bibliorum* exemplar, manu impigri scribæ descriptum, *quadringentis* aut *quingentis* coronatis veniret. *Tantum quippe* (inquit Polydorus Virgilius) *uno die ab uno homine imprimitur, quantum vix toto anno describi a pluribus posset*: sive, uti *Campianus Aprutinus* apud Aventinum,

Panciroll. Rer. Deperd. lib. 2. tit. 12.

Lyd. Belg. Glorioſ. p. 256. ex Salmutho.

Polyd. Virgil. de Rer. Invent. lib. cap. 7.

Imprimit ille die, quantum non scribitur anno.

Aventin. Annal. Bojor. lib. 7.

Unde & colligere tum est, cum supra tot *Libros*, imo Librorum aliquot *millia* quibusdam adscripsimus, id eo capiendum sensu non esse, quasi *Libri* illi omnes *spissa* quædam fuerint Opera, vel utcun-

que minutiores, justum tamen qualecunque *volumen* semper constituerint, absit. E. G. tale forsan, quale *Pentateuchum* nuper fecit *Richardus Simon*, quem *unum* tantum constituisse *volumen* vult, ad hodiernos *Judæos* provocans, *qui in Synagogis suis*, uti ait, *uno volumine omnes libros Mosis describunt.* Ob quod figmentum sequentem in modum eum exsibilat Isaacus Vossius: *Adeone* (dicit) *illi* [Hebræi] *insaniverunt, ut sibi tam prolixa & enormia construerent* volumina, *quæ nec manu teneri, nec mento, ut solebant, subjici, & exigente, ut sæpe fit, necessitate, tota tamen in quantumvis longâ explicari non possunt porticu? Qualia fere sunt istæc, quæ in* Judæorum *vulgo visuntur Synagogis, ad pompam potius & stultam ostentationem, quam ad aliquem paratæ usum, cum tantæ sint vastitatis, ut a duobus vix gestentur, aperiantur nisi a multis, legantur vero a nullis.* Absit, inquam, ut hæc ita capiamus. Neque enim *Typographiæ* defectus, neque immensus fere, qui in describendis *Libris* subeundus erat, labor (ut *sumptus* taceam) ferre potuerunt, ut tot numerò scripta, eaque quidem ejusdem Autoris, in lucem prodirent. Adde quod (uti dictum est) *convolverentur* antiquitus *Libri* (hinc enim *volumina* dicti) at quis commode *convolvi* posse dicat vastum aliquod corpus utut chartaceum, qualia tamen sæpe *Libri* non erant? *libelli* autem exigui & paucorum foliorum facile *complicantur* & *convolvuntur*; unde & hi, licet maxime tenues, quin *bina* tantum folia habentes, βιβλία δίπλυχα, id est, *bis*

Voss. Resp. ad iterat. Simon. Obj. pag. 37o.

D. Cleric. Orat. 10. p. m. 124. 125.

Lomej. de Bibliothec. cap. 7. pag. m. 121. 122.

bis complicata volumina nuncupati tamen sunt, a δὶς & πλύνειν, quod est *bis complicare* & convolvere. Quâ de causâ & hi similesque *Libelli* intelligendi quandoque sunt, cum de tanto *Librorum*, ab uno homine exaratorum, numero fermo nonnunquam instituitur. *Libri* saltem *Sibyllini*, usque adeo apud *Romanos* celebres, haud multis singuli *foliis* constiterunt; quare & *folia* potius quam *Libri* nonnullis dicti sunt. Quum etiam *Libri* e variis passim conflati sint partibus, quarum unamquamque *Librum* vulgo dicimus, V.G. *Æneidos* Virgilii XII. Libros, *Georgicorum* IV. Libros (τμήματα, κεφάλαια. λόγους *Græci* vocant, quidam etiam βιβλία, ut *Antoninus Pius* singulas aurei sui Operis *de Rebus suis* partes ita inscripsit) fidem utique non superabunt, quæ de tot *Librorum* myriadibus supra diximus; si quælibet Operis alicujus κεφάλαια, τμήματα, & sectiones, harum saltem potiores & prolixiores *Librorum* quoque nomine apud Scriptores nonnunquam venire statuamus & credamus. Cuinam autem inventæ hujus *Typographicæ* artis adscribenda gloria sit, an *Chinensibus*, ut voluit Maphæus, an *Johanni Guthenbergio* Moguntino, an *Laurentio Costero* (quem quo fundo D. Clericus *Castræum* vocet, non capio) anceps quæstio est, de quâ

Juvenal. Satyr. 8.

Maphæ Hist. Indic. lib. 6.

Cleric. Orat. 12.

Historici certant, & adhuc sub judice lis est,

neque

—— Opis est nostræ tantas componere lites;

Tametsi

Salmuth ad Pancitoll. lib. 2. Tit. 12. Boxhorn. Hist. Belgic. pag. m. 175.

Tametsi, omnibus ritè expensis, dissimulare non possim, me ob rationes non leves (quæ apud alios videndæ) in eorum propendere partes, qui *Harlemensi* nostro *Laurentio* eam attribuunt Quicquid sit, dubio saltem caret, ex quo insigne hocce artificium innotescere *Europæis* nostris cœpit, scriptorum librorumque *numerum* in immensum fere excrevisse.

Hottinger. H.E. part. IV. pag. m. 45.

Quâ de causâ, si unquam, jam saltem cum Regum sapientissimo jure dixeris, *Faciendi* Libros *nullum finem esse*.

Eccles. 12. 14. Grot in ill. loc.

In quem locum Grotius: *Si hæc eâ ætate dixit* [Salomo] *quid non diceret, si nostras Bibliothecas inspiceret?* Quodsi enim ea tantum considéremus *Scripta*, quorum solis nobis *Christianis* copia suppetit, jure certè Divi *Iohannis* effatum iis applicuerimus: *Ne mundum quidem capere posse, qui scripti sunt, Libros*, Johan. 21. 25.

Lomej. de Biblioth. cap. 10. pag. m. 315.

Consuli hâc super re potest Clar. *Lomejerus*, qui plurimas per universum Orbem dispersas, easque quidem instructissimas memorat *Bibliothecas*.

Hoornb. Vet. & Nov. lib 1. cap. 1. pag. 27.

Unam addo tantum *Bodlejanam*; cujus & idem Vir Eruditiss. mentionem facit, sed librorum, quos complexa est, *numerum* non addit, qui sane stupendus fuit. Volumina ejus ad *undecim* vel *duodecim millia*, quorum pleraque in *Folio*, assurrexisse autor est Celebertimus *Hoornbekius*.

III. Quare & offendiculo hactenus non paucis fuit, quod, præter numerosam hanc qualiumcunque scriptorum antiquorum copiam, tot adhuc indies vulgari *volumina* videant, ut *Libris* hactenus Lectores & officinis emptores magis, quam illis *Libri*,

bri, & emptoribus officinæ deesse videantur. Imo vero (ut alicubi Bodinus) *quo quisque magis in* scribendo *ineptus est eo majorem* Librorum *multitudinem sæpe effundat.* Nam præterquam quod sub ingenti & ἀβασταχλῳ pene *Librorum* mole plus satis ingemiscere mundum putent, ipsa experientiâ doceri se arbitrantur, juxta laudatum mox Salomonem, *Lectionem multam carnis defatigationem* tantum *esse*, memoriam vehementer gravare, cogitationes distrahere, propriæ & accuratæ meditationis exercitium intervertere, legentium judicium scribentium cogitatis nimium mancipare, sive (quod dicere solitum fuisse *Cartesium*, novæ Philosophiæ artificem, ferunt) *Literarum studium, veterumque librorum lectionem peregrinationi apud exteras Gentes similem esse, cui dum nimium quidam indulgent, in propriâ patriâ hospites atque extranei tandem fiunt*; quinimo non pauca sagacissima cæteroquin ingenia ita sæpe obruere, ut post infinitæ fere lectionis devoratum tædium, vix quicquam aliud videantur effeciisse, quam quod rerum lectarum naturam rationemque intrinsecam nequaquam sæpe intelligentia, aliorum tantum cerebello serviliter nimis inhabitent, *Ingens* (inquit Petrarcha) *copia* Librorum, *sed ingens etiam* laboris *copia & quietis inopia. Huc illuc circumagendum ingenium; his atque illis prægravanda memoria; quid vis dicam?* Libri *quosdam ad* scientiam *quosdam ad* insaniam *deduxerunt*,

Fox. Histor. Rer. in Ecclesia gestar. part. 1. in Præfat.

Bodin. Method. Histor. in Præfat.

Vriesl. Introduct. Histor. ad Philosoph. Cartes. part. 6. §. 37.

Montagn. Ess. Liv. 3. Chap. 9.

Petrarch. Dialog. 45.

Montagn. Eſſ. Liv. 1. Chapit. 24.

runt, dum plus hauriunt, quam digerunt, ut ſtomachis ſic etiam ingeniis nauſea ſæpe magis nocuit, quam fames. Nec qui cauſantur deſunt, *Librorum* multiplicem uſum *Rei* etiam *publicæ* noxium eſſe, eo quod animos

Camerar. Medit. Hiſt. Cent. 3. cap. 72.

enervet, motusque bellicoſos, pro aris focisque tutandis, plus juſto ſufflaminet & extinguat. Iterum Bodinus: *Et quidem ſæpiſſime contigit, ut quæ nationes* arma *diutiſſime coluerant, poſteaquam* literas *amplecti cœperunt, animi vim ac robur amiſerint.* Spectavit huc procul dubio pugnaciſſima *Gothorum* Gens, dum rogum flammis undique jam conceptis ardentem, cui ingentem præſtantiſſimorum *Librorum* numerum concremandum jam jam impoſitura erat, extinxit, *eo ſe magis hoſtibus nocituram rata, quo plures iis* Libros, *quibus ceu ſuaviſſimo ſirenum cantu ſopiti, armorum uſum dediſcere paulatim poſſent,* relinquerent.

Bodin. Tract cit. cap. 4. pag. 47.

Ælian. Var. Hiſtor. lib. 12. cap. 50.

Ut & de *Lacedæmoniis* autor eſt *Ælianus*, quod *Literarum rudes eſſe geſtierint, ut quævis corporum exercitia ac ſpeciatim arma minus impedite poſſent tractitare*; & de *Agrippinâ*, Neronis Matre, Suetonius, quod *a Philoſophiâ* juvenem Principem *averterit, monens imperaturo contrariam eſſe.* Imò veluti criminis inſtar *Amaloſunthæ*, Theodorici *Gothorum* Regis filiæ, a Regni ſui Proceribus imputatum fuit, quod *Athalaricum* filium ſuum, innutriri literis procuraſſet, quoniam *virum fortem & bellicoſum, non inter* Literas *ſed arma verſari fas eſſe* arbitrabantur. Scripſit paucos abhinc annos ὁ Νῦν Tractatulum, cui hunc fecit titulum: *Germania* Milite *deſtituta*,

Procop. de Reb. Gothic.

Sueton. in Neron. cap. 52.

Joh. Mag. Lib 20.

&

& Literarum *ſuâ ceu mole laborans;* ubi duo præcipue eſſe dicit *e Literatorum Copiâ* non vano timore metuenda. Primum eſt, *ne mera aliquando barbaries inde ingruat; quod,* uti putat, *Literatorum affluens copia non poſſit non Literarum ſtudiorumque contemtum generare.* Alterum eſt, *ne in Regnorum & Rerumpublicarum detrimentum copia illa cedat. Tandem enim* auguratur *omnes ſubditos fore doctos, quod rationes politicæ ſive ſtatus non ferunt,* ob rationes quas ibi adducit, hic non repetendas. Anonym. German. militi. deſtitut. pag. 11. 17. 18. 20.

Dixerat paulò ante, *inter illuſtria, quæ tum,* dum hoc ſcriberet, *Germaniam affligebant mala eſſe nimiam iſtam* literis incumbentium *turbam, & oneroſum ſatis* Academiarum *in Regionibus illis numerum*: e contra *Germaniam in ſummum decus & autoritatem eo præcipue tempore eſſe evectam, cum in ſudore & ſanguine prævaluit virtus, quoque* gladio *magis, quam* calamo, *armis potius quam linguâ & ſcriptis, infirmis iſtis libertatis propugnatoribus eſt decertatum.* Ita ille. Id. pag. 57.

Imo ipſe *Eraſmus*, qui, ſi quiſquam, deperiit alias eruditionem, in hæc tamen alicubi erupit verba: *Ad quæ* (gerenda nempe *Principum* & *Reip.* ſplendida munia) *parum frequenter appoſiti evadunt, qui* Libris *ac* Diſciplinis *inſenuerunt: Nam umbris aſſueti, neſcio quo pacto ſtupeſcunt, ac veluti glaucomate oculis oborto mentis vertiginem quandam patiuntur, quoties in pulverem ac ſolem, hoc eſt, ad* civilia munia *aſciſcuntur.* Eraſm. Epiſt. lib. 27. Ep. 7.

At vero verſantur, qui hæc ſibi mutuo opponunt, armis literas, & Literis arma, in ſpiſſo errore, procul nimis a *Senecæ* judicio

dicio recedentes, cujus hæc verba sunt. *Etsi nostra magis refert fortiores fieri quam doctos, tamen alterum sine altero non fit. Non enim aliunde venit animi robur, quam a bonis artibus & contemplatione.* Quum enim felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, e singulorum civium felicitate constet, singulorum autem felicitas in excolendâ exercendâque virtute præcipue sita sit, & ad perfectam virtutem consequendam necessariam quandam præcursionem adhibeant *Literæ* & *Libri*, consequi profecto debet, nisi in quâ *Literarum* cultura vigeat, florere Rempublicam nullam posse. Imo vero harum *imperitiam* Religioni *non tantum sed & ipsi* Reipublicæ *caliginem in* Galliâ *olim offudisse* dixit *Casparus Colinius*, magnus Regni illius *Amirallius*, in carnificinâ *Parisiensi*, Anno 1572. perfide trucidatus. Quam ob causam & tum demum beatas Respublicas *Plato* dixit, cum *Philosophi illas regerent, aut qui eas regerent, philosopharentur.* Sicuti laudatus mox *Vossius* regni *Sinarum* stupendam celebritatem, ac incredibilem pene hominum naviumque multitudinem hinc plane etiam derivat: *Incredibilia* (inquit) *hæc possent videri, sed iis, qui nesciunt, apud* Sinas *Platonicam semper viguisse Rempublicam, & jam a tot annorum millibus* solos *ibi fere regnasse* Philosophos, *aut* Philosophiæ amantes. *Illi fuere Regni assessores & Consiliarii, illi satellites. Nulla ibi hereditaria nobilitas, soli apud Sinas* Literati *sunt nobiles, quorum posteri si indocti & ignavi fuerint, ad pristinam denuo relabuntur*

Senec. Ep. 71. Plutarch. in Lysandr.

Muret. Vol. 1. Orat. 2.

Farnes. de Simulac. Reip. lib. 1. cap. 13. & lib. 4. cap. 2.

Hist. Vit. ejus pag. m. 231.

Voss. Variar. Observat. p. 58.

buntur conditionem, & plebeis accenſentur. Et quid Georgius Rittershuſius, Jureconſultorum Aquila? *Sane* (inquit) *niſi exulteratiſſimis hiſce belli civilis temporibus ſint Principes, qui* Muſas *Bellonæ furore disjectas turbataſque comiter excipiant, qui* Rei Literariæ *Antiſtites, aris focisque belli injuriâ, non delictorum atrocitate pulſos juvent ac foveant, quique in locum peſſundatarum, & neſcio quo tranſlatarum* Bibliothecarum *novas ſubſtituant, quod aliud Germaniæ noſtræ erit fatum, quam* Græciæ, *in quâ provincia nobiliſſima* Muſæ *Gratiæque, Pacis filiæ, domicilium ſuum tamdiu retinuerunt ac Barbariei reſtiterunt, donec, Martis ſævitiâ & bellorum inteſtinorum immanitate omnia ſurſum deorſum verterentur?* Facit huc quoque quod de Romanorum quodam Rege (*Cunrado* an *Frederico* dubitatur) refert *Johannes Sarisburienſis*, nempe monuiſſe eum *Francorum* Regem, ut filios ſuos Liberalibus diſciplinis imbuendos traderet: Regem enim *illiteratum* haud aliud eſſe, quam *aſinum coronatum*: *malitioſè* nempe *illiteratum*, neque ingenii alias ſagacitate, rerumque experientia ad Reip. gubernacula tenenda ritè inſtructum. Adeoque quam ſane grave eſſe debuerit Reginæ mox dictæ, Regni ſui ſucceſſorem bonis *Literis* inſtituendum non curare, hinc facile colligas, quod eruditorum non vulgaris æſtimatrix non tantum, ſed & ipſamet *Literis* perpolita fuerit; ita quidem, ut ſine veneratione videri, ſine ſtupore a circumſtantibus audiri haud potuerit; imò omnes omnium *Gentium*, quibuſcum Ro-

Rittershuſ. de Jur. Azyl. in Dedicat.

Joh. Sariſburienſ. Policrat. lib. 4. cap. 6.

Honſdorf. Theat. Hiſtoric. pag. 357. 358.

Parx. Lexic. Critic. in Præfat.

mano Imperio commercium erat, linguas probè pernoverit. Maluiſſent forte lepidi illi Proceres talem Regem, qualis *Theodoricus* fuerat, qui adeo a Muſis alienus, Literarum omnium expers, ingenioque tam obtuſo fuit, ut in decem Regni ſui annos *quatuor literas* ſubſcriptionis *Edicti* ſui addiſcere non potuerit, ſed laminam auream interraſilem fieri ſibi juſſeſerit, *quatuor* illas *literas* habentem, atque hâc poſitâ ſuper chartâ, ſi ſcribere vellet, pennam per eam duceret, ut ſubſcriptio ejus tantum videretur. Talem, inquam, ſimilemve Regem forte

——— *Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ,*

id eſt, quivis gnathones aulici, quibus Principes ſuos naſo more Bubali circumducere volupe eſt, câ tantummodo fini, ut ipſi ſoli potiores eſſe poſſint, heroſque ſuos in manu ſuâ retineant; atque hi ipſorum tantummodo oculis omnia pervideant. At hoc quidem quam parum conveniat generoſi pectoris Principi, exemplo ſuo non obſcure innuit olim T. *Manlius Torquatus*, qui, cum Conſul declaratus eſſet, excuſavit valetudinem *oculorum*, ideoque ſummum Imperium detrectavit, eo quod indignum duceret, ei capita & fortunas cæterorum committi, qui *alienis oculis* gerere omnia teneretur. Et quid audio? an ad bella & prælia inepti, quibus Literæ *Librique* in deliciis ſunt? quo colore id dicitur? Imo contrarium in liquido eſt.

est. Quid enim *Socrates*, *Plato*, *Xenophon*, nonne egregiam in bello suis præstiterunt operam? Quid Græciæ illa propugnacula, *Pericles*, *Themistocles*, *Epaminondas*, quem Justinus *summum* & *Philosophum* & *Imperatorem* dixit? Quid Romani Imperii columina, *Scipiones*, *Luculli*, *Fabii*, *Marcelli*, &c. si quiquam Martii pulli, an *Literarum rudes* extiterunt? Quid tandem *Cæsar Julius*, de quo ambiguum est, fortitudinisne an *eruditionis* laude præstiterit? *Equites Romani* (inquit Lipsius) *animi cultum assumebant*, & mente *non* manu *solum conspici volebant*. Marcus Antoninus Philosophus *Literarum* semper studiosus fuit, maxime Philosophiæ; nec propterea ipsa Philosophia à rebus *imperii & bellicis* ipsum retardávit. Intellexisse se *Literarum* vim, etiam belli tempore, indicarunt olim *Mityleni*, dum quos populos gladio subigebant, nullâ aliâ afficiebant pœnâ, nisi ut ne liberos suos *Literas* edocerent. Rex etiam Alphonsus interrogatus, plusne *Libris* an *armis* deberet? respondit: *E* libris *se & arma & armorum jura didicisse*: cumque e Consiliariis suis quidam dixisset, *Regum non esse* Literas *addiscere*, *satisfacere eos*, *si* Literatos & doctos *tantum foveant*, indignabunde respondit: *Vox bovis est non hominis*. Quare & *Julianus* Imperator, cum *Jovem* pingi in lararío suo curasset, de Cœlo purpuram & coronam deferentem, Martem & Mercurium, se respicientes, appingi etiam voluit, id est, *armorum & studiorum* antistites. Et de *Augusto* Ausonius:

Justin. lib. 7.

Vellej. Paterc. Histor. Roman. lib. 1. pag. m. 29.

Justinian. in Procem. Institut.

Lips. de Magnitud. Roman. lib. 4. cap. 10.

Philipp. Bergom. Supplement. Chronic. lib. 8.

Grot. in notis ad Prolegom. Tract. de Iur. Bell. & Pac.

Cagnol. de Rect. Princip. Institut. pag. 27. 37.

Cuspin. in Vit. Julian.

Auson. Epig. 1.

Bellandi fandique potens Auguſtus *honorem*
Bis meret, ut geminet *titulos, qui prælia Muſis*
Temperat, & Gethicum moderatur Apolline Martem.

Wipo in Panegyric. ad Henric. III.

Scilicet
Infeſtas Gentes vicit Romana poteſtas
Olim conſiliis: *non ſemper vicerat armis.*

Gronov. in Senec. Tragic. in Dedicat.

Omnium proinde ſumma huc redit, ut meritiſſimo pronunciat Celeberrimus noſter Gronovius, *Regnantibus opportuniſſimas, propriam nobilium pectorum polituram, & unicum ingenii ad magnæ fortunæ cultum excitandum inſtrumentum* Literas *eſſe.* At, præter jam dictam, aliam adhuc ob cauſam *Librorum* multitudini infeſtum ſe præbuit *Antiſthenes.* Hic enim amicum quendam deplorantem, quod *Commentarios* ſuos perdidiſſet, haud aliis quam hiſce ſolatus eſt verbis: *Oportet eos* animo *potius, quam* chartis *inſcriptos fuiſſe.* Subindicans in causâ *Librorum copiam* haud raro fuiſſe, uti etiamnum eſt, quod *memoriam* noſtram, tantæ utilitatis pignus, neglectius habeamus, minus ſaltem, quam par eſt, applicemus & exerceamus. Quam in rem ſic *Julius Cæſar*, loquens de Veteribus *Germanis*, qui in *Druidum* diſciplinam ſe dederant: *Nec eſſe* (dicit) *exiſtimant ea Literis mandare, cum in reliquis fere Rebuſp. privatiſque rationibus, Græcis Literis utuntur. Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgum diſciplinam inferre velint, neque eos, qui diſcunt,* Literis *confiſos minus*

Eraſm. Apophtegm. lib. 7. p. 607.

Cæſar de Bello Gallic. lib. 6. pag. 168.

minus memoriæ *ſtudere, quod fere pleriſque accidit, ut præſidio* Literarum *diligentiam in perdiſcendo ac* memoriam *remittant.* Plutarch. Op. part. 2. pag. 328. Etiam *Socrates* nihil unquam ſcripſiſſe fertur, quòd *Librorum turbam* Sapientiæ ſtudioſis obeſſe magis, quam prodeſſe exiſtimaret. Uti & in *Tartaris* Turcas laudi ducere teſtis eſt *Busbequius*, quod, *cum cæteræ nationes in* Libris *ſcriptam ſapientiam ſuam habeant, ſolæ illi* Libros *ſuos devorent, & ſapientiam in* pectoribus *ſuis aſſervent.* Busbeq. Ep. 4. Juvenalis: Juvenal. Satyr. 7.

Hinc oblita modi milleſima *pagina ſurgit*
Omnibus, & creſcit multâ damnoſa *papyro.*

IV. Verum enim vero, utcunque omnia quæ obtendi ſic ſolent, plane negari non poſſint, cenſendum tamen non eſt, in multiplicis tum *ſcriptionis* tum *lectionis* Librorum præjudicium rapi ea oportere; quum *Librorum* accidentia tantum ſint, neque ex eorum uſu ſed mero *abuſu* conſequi ſoleant. At vero

Uſus *habet laudem, crimen* abuſus *habet*

Alioquin enim omnem divitiarum, honorum, ſcientiarumque abundantiam eodem condemnaveris pede; cum & hanc poſſidentium uſu, vel potius abuſu, non levia poſt ſe incommoda nonnunquam trahere in propatulo ſit; imo *ne quicquam* quidem (uti alicubi Seneca) *tam manifeſtæ utilitatis invenire ſit, quod non in contrarium transferre hominum malorum culpa poſſit.* Senec. Ep. 23. Cui confine Auguſtini hoc eſt: *Abſit, ut quæ propter bonum ac licitum facinus, ſi quid*

Auguſtin. Quæſt. in Matth.

per hoc, præter noſtram voluntatem, cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioqui nec ferramenta domeſtica & agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe vel alterum perimat; nec arbor aut reſtis, ne quis ſe inde ſuſpendat; nec feneſtra facienda eſt, ne per hanc ſe quiſquam præcipitet. Et paulo poſt: *Quid enim eſt in uſu hominum bono & licito, unde non poſſit etiam pernicies irrogari?* Prout etiam *Anonymus* ille (de quo ante) omnia, quæ in *Literarum* Librorumque præjudicium diſſeruiſſe ſupra viſus eſt, non de eorum *uſu* ſed *abuſu* intellecta tantum vult: *Mihi* (inquit) *hic ſermo tantum eſt de bonarum Literarum* abuſu, *qui in tanta iis vacantium multitudine etiam conſiſtit* Et *Eraſmum* quod attinet, plenius is mentem ſuam alibi explicat, moxque allegata verba emollit. Sic ſcribit ad *Saxoniæ* Duces, *Uti ab his viris, quos fortunæ calculus* mundi gabernaculis *admovit, haud exegerim anxiam atque exactam* Scholaſticarum diſciplinarum *cognitionem*, in *quibus qui conſenuerunt, eos fere ſenſu etiam communi carere videmus, tantum abeſt, ut tractandis rerum habenis ſint idonei; ita vehementer ab iſtis diſſentio, qui* Reges *prorſus ab omni* Librorum *commercio, ceu re noxiâ, ablegant; perinde quaſi hoc demum vere* Regium *ſit, nihil omnino vel ſcire, vel agere, præter aleam, venatus, moriones & ſordidas voluptates, &c.* Præterquam quod multum etiam interſit, quomodo tum in Scripta tum in Scriptores animati ſint, qui de lucubrationibus aliorum deprompturi ſunt judicium: Appoſitè de hoc *Piccartus*:

Anonym. pag. 6.

Eraſm. Epiſt. lib. 28. Ep. 16.

Alio-

Aboleantur (dicit) *Libri non pii, & in Deum contumelioſi, & ſtuprandis liberalibus moribus apti; ſed vigeant, vivantque & gratâ mente volvantur* Libri *boni, judiciumque de illis ferant quibus* oculus mentis *nulla ſuffuſione, id eſt, præjudicio eſt vitiatus.* Nec qui (adde) quid ſit *Libros ſcribere*, plane ignari ſunt. Quemadmodum enim pictas tabellas, earumque ductus, lineamenta, colores ſtudiosè intuentem picturæ minime neſcium eſſe oportet, ut rite judicium de iis ferat; cùm acutiſſimi cujuſque ſenſus & oculos multa fugere ſæpe poſſint, ita quoque neceſſe eſt, ut in Eruditorum *lucubrationibus* verſati aliquamdiu ſint, qui vertutes earum & vitia notare velint, libroſque *ſcribendi* periculum ipſi aliquando fecerint, ſaltem quomodo tractari debeant, conſiderato uſu edocti quadantenus ſint. Eſt enim alias, ut tanquam cœci de coloribus tantum judicent. Huc ſpectans *Agellius* meritiſſimo de *Noctibus* ſuis *Atticis* ſic loquitur: *Longe optimum erit, ut qui in* lectitando, ſcribendo, commentando *nunquam voluptates nunquam labores ceperunt, nullas hoc genus vigilias vigilarunt, neque ullis inter ejuſdem Muſæ æmulos tentationibus diſceptationibuſque pertunctando, ſcribendo elimati ſunt, ſed intemperiarum negotiorumque pleni ſunt, abeant a* Noctibus *his procul; atque alia ſibi oblectamenta quærant. Vetus adagium eſt, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino ſui.* Notum eſt, quid *Apelles* ſutori, cruris efformationem reprehendenti, olim reſponderit, *Ne ſutor ultra crepidam.* Uti & *Stratonicus*, Mynaco, de

Piccart. Obſervat. Hiſtorico-polit. decad. 7. cap. 13.

Bodin. Tractat. citat. pag. 50.

Gell. N. A. Lib. 20. cap. 11. pag. m. 639.

Plin. Hiſtor. Nat. lib. 35. cap. 10. Athen. lib. 8.

Plutarch. de virt. mor.

Musicâ secum disceptanti dixit: ὀλίγον προσέχειν, αὐτῷ ἔφη, ὅτι ἀνάτερον τοῦ σφυροῦ λέγει. *Parum se facere, quid ille dicat, cum supra* talum *loquatur.* *Et Plutarchus* alicubi:

Ἐν ἅρμασι μὲν ἵππος, ἐν δ' ἀρότρῳ βοῦς.

Currum equus, *aratrum* bos *trahat:*

Ut neque pondus habet, quod quidam *Christi* etiam Servatoris *exemplum* hic obtendant, cum nempe tot dictis factisque licet celeberrimum nequicquam tamen *scripsisse*; uti & Pagani olim satis invidiose Christianis id objiciebant in præjudicium *Religionis* ipsorum. Non enim nos dicimus *scriptionis* munus cuivis incumbere, multo minus, Christianum esse non posse, qui exarandis *Libris* non vacet vel vacaverit; vel Christum se nobis in *Scriptoris* exemplar proposuisse; pertendimus *libertatis* & expedientiæ officium id esse, non *absolutæ necessitatis.* Nihil *ipse* quidem scripsit Christus, sed per *amanuenses* suos Euangelistas & Apostolos *plurima*, ut in liquido est; & verba *Lucæ* manifeste indicant: Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι Adeo ut quod ipse *Scriptione* abstinuerit, non processerit e bonitatis ipsius defectu, sed abundantiâ; quod nempe honore hoc dignari voluerit miserellos homines, ut mysteriorum & revelationum suarum instrumenta essent. Ritè Augustinus: *Cum* illi *scripserunt quæ* ille *ostendit & dixit, nequaquam dicendum est, quod* ipse *non scripserit, quandoquidem* membra ejus *id operata sunt quod* dictante capite *cognoverunt.* Et frustra certe Pagani *Religioni Christianæ* id fraudi esse voluerunt, cum

Rivet. Catholi. Orthod. part. 1. pag. m. 40.

Luc. 1. 2.

Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 1. pag. 30.

Augustin. de Consens. Euangelist. lib. 1. cap. 35. & 7.

& sa-

& sapientissimi inter ipsos fuerint, E. G. *Pythagoras* & *Socrates*, &c. qui nihil unquam scripserunt, quod tamen Religioni suæ non dicent præjudicare. Nihil addo de Servatoris ad *Abgarum* Epistolâ, quia pro ὑποβολιμαίῳ illam habeo: quâ in opinione hoc quidem magis confirmor, quod qui contrarium tenent, sententiam suam putidissimis *fabulis* coinquinarint; quas inter excellit, quam habet *Petrus de Natalibus*, qui refert, Christi hanc *Epistolam* tantæ virtutis in urbe *Edessa* fuisse, ut ab ejus missæ tempore nullus hæreticus vel Judæus vel idolorum cultor vivere potuerit, imo se urbis illius incolæ adversus hostes suos eâ muniverint, ad primum eorum adventum curantes, ut *Epistola* hæc, Christi manu ut dicunt, exarata, publice ex muris per puerum legeretur; quo facto mox hostes aufugisse fingitur.

Euseb. Hist. Eccles. lib. 1. cap. 15. & 13.

Petr. de Natalib. Catalog. Sanct. lib. 4. cap. 43.

V. Nemo equidem tam crassæ naris, sensusque communis adeo expers est, ut solam πολυγραφίαν pro genuinæ eruditionis κριτηρίῳ habeat; cum esse proculdubio, quis possit ἐκ πώγωνος σοφὸς, *barbetenus* tantum *sapiens*; qui & doctum se esse jactat, & conatu publico ostendere aliquando præsumit, cui jure oggeras, οὐδὲ τὸν αἰσώπου πεπάτηκας, *Ne Æsopum quidem trivisti*, id est, neque natare neque *Literas* hactenus novisti. At in plerisque tamen haud illaudabilis diligentiæ, industriæque, nec non animi in aliorum obsequium bonumque propendentis argumentum eam esse, vix est quod dubites. Bene hanc in rem Lactantius: *Si sane* (sic ille) *sapienti optanda est vita*,

profecto nullam aliam ob causam vivere, *optaverim, quam ut aliquid efficiam quod vitâ dignum sit, & quod* utilitatem *legentibus, etsi non ad eloquentiam (quia tenuis in nobis eloquentiæ rivus est) ad vivendum tamen adferat, quod est maxime necessarium; quo profecto satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implesse, si labor meus* aliquos *homines ab erroribus liberatos ad iter Cœleste direxerit.* Neque aliter ingeniatus fuit Clariss. Coccejus: *Nullum* (inquit) *in corpore humano tam vile membrum est, quod non vicinis atque etiam integro corpori insignem usum præstet. Hæc cogitatio cui non animum accendat, ad aliquid honestum & in commune utile moliendum. Ego sane impetrare ab animo meo nunquam potui, ut proverbium illud, quamvis omnium ore celebratum, λάθε βιώσας verum esse & sequendum putarem. Talpæ, vespertilionis, lumbrici latere est, non hominis. Leonum feritatem, luporum, ursorum truculentiam nocte latebrisque damnavit natura; Luci hominem, homini lucem dedit. Obtende inertiæ tuæ istud proverbium, qui talentum tuum in sudario abscondis, quando Dominus lucrum a te flagitabit.* Intercedere quidem *gloriolæ* qualis qualis captatio aliquando potest; sed quis eam iterum non tam *scriptionis*, nedum *Scriptorum* vel *Librorum*, quam *Scribentium* vitium esse non animadvertit? Præterquam quod non usque adeo improbabile sit, quin non minus sæpe a quam plurimis *Librorum scriptio* e merâ gloriæ cupidine intermittatur, quam eodem ex principio suscipi eam ab aliis deprehendimus. Sunt, qui hanc

Lactant. de Opific. mund. cap. ult. f.

Gell. lib. 12. cap. 1.

Coccej. Ep. Dedicat. Comment. in Sanhedr. & Maccoth præmiss.

hanc ob causam eâ abstinent, quod vix ullam sibi laudem accessuram inde esse prævideant; vel metuant forte, ne insignis eruditionis famæ, qua inclarescere alias inter homines cœperant, lucubrationibus suis respondere, riteque satisfacere non possint; vel, uti Erasmus, *quod* gloriæ *proventum suscipiendis Laboribus minorem futurum esse existiment.* Theocritus olim rogatus, cur *Libros* nullos scriberet, respondit: *quoniam uti libet, non possum, uti vero possum, non libet.* Nimirum aliam *dicendi* rationem esse hi homines putant, *scribendi* aliam; quod *dicitur* facile præterfluere, nec tam anxiâ indigere limâ; quod autem *scribitur*, in exemplum edi, adeoque tersum & ad unguem exasciatum esse debere, quod venturum sit in Eruditorum manus, judicesque ipsius artis artifices habiturum: præsertim si controversa res sit, de quâ agitur; quo casu vix satis caveri posse credunt, ne qua sermonis vel tractationis pars adversarii alicujus ictibus pateat, ad omnem vulneris infligendi occasionem locumque nunquam non intenti. Est vero quod Legentium subire censuras plurimi detrectent, ipsi in aliorum censuras licet propensissimi, quas effugere se posse putant, dum, uti ille apud Plautum, *nesciunt id quod sciunt*, adeóque foras non prodeunt, sed cochlearum instar intra testas suas se continent: Sicuti *Aristarchus Grammaticus* neminem non reprehendebat, nihil interim ipse scribens, ne reprehendi ab aliis posset, ut nonnulli volunt: licet alii sint, ac plerique quidem, qui πολυγρά-

Erasm. Chiliad. 3. Centur. 1. ad 1.

Stobæ. Serm. 19.

Quintil. lib. 12. cap. 10.

Plaut. Bacchid. Act. 2. scen. 3.

φοις,

φοις ipsum accensent, ut supra diximus. In tales jure dixeris, quod in *Lælium* olim Martialis:

Martial. lib. 4. Epigr. 92.

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua;

vel *Isyphallycum* hoc,

Quod meus *hortus habet sumas impune licebit,*
Si dederis nobis quod tuus *hortus habet.*

Quemadmodum haud absimilem ob causam *Lazarum Bonamicum*, virum alias apprime doctum, sed nimis crebro & impudenter aliena omnia perstringentem, ad calamum provocavit *Erasmus* noster hisce Servatoris verbis (sed quibus mallem abstinuisset) *Lazare prodi foras*: q. d. in scenam *scriptis* tuis prodi, & experire, an meliora aliis sis præstiturus. Tametsi enim hic *Bonamicus*, summus quippe Poëta & Orator, imo Scholæ *Patavinæ* suo tempore decus, insigni eruditionis apparatu instructus, inque *docendo* assiduus & indefessus esset, in *scribendo* tamen *nullus* fuit, nec quicquam publico donavit: non quod nequiret, sed quod cuticulam curans, mundanisque voluptatibus mancipatus, pretiosas suas horas, *scribendis libris* debitas, chartularum pictarum ludo aleâque absumeret. Quod tamen usque adeo mirum in homine isto non fuit, cum vix ullâ *S. Scripturæ* (quæ uti omnis laxitatis repagulum, ita & pri-

Scardrer. Histor. Patavin. lib. 2.

Manl. Collect. tom. 4. pag. 92.

& primarium ad vitam pie & temperatè agendam incentivum & adminiculum est, reverentiâ ductus fuerit. Rogatus enim a nonnemine, *quomodo* Davidis *ipsi placerent Psalmi? placere* quidem dixit, *sed nihilo meliores esse, quam* Pindari *Poëmata.* Adhuc sunt, quos noxia quædam *μικροψυχία a scribendo* retinet, quique vix quicquam de se ipsis sperantes, suscipiendi operis difficultate deterrentur; uti Medicorum regula est, *occultationem rerum vix aliunde quam ex* animi dejectione *proficisci. Increduli quidem* (inquit Fabius) *& de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant, facere sibi* scribendi *difficultatem. Cum haud promtum sit dicere, utros peccare validius putem, quibus* omnia *sua placent, an quibus nihil.* Sed animum pusillanimibus istiusmodi addit alicubi *Baudius* hisce gravissimis verbis: *Debemus quidem spe & studiis consectari* optima *quæque, sed si quem eximia vis ingenii defecerit, non ideo debet* desperatione *debilitari. Si non dabitur ad eorum famam adspirare, quos literatus orbis* admiratur, *pulchrum est in* secundis tertiisque *consistere, præsertim in tantâ Doctorum penuriâ, ubi magnæ laudis instar habetur, inter* mediocres *censeri. Qui præstat id quod potest, summam omnem officii implevit, nec pudentis nec cordati hominis est amplius quid postulare.* Prima *sequentem* (ait Tullius) *honestum est in* secundis *&* tertiis *consistere.* Et Horatius:

Gregor. Michael. in Not. ad Gaffarell. pag. m. 110.

Paret. de Medicin. Laudib. & Utilit.

Quintil. lib 10. cap. 3.

Baud. Epist. Centur. III. Epist. 78.

Cicer. de Orat. Perfect.

Non possis oculo quantum contendere Lynceus;
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;

Horat. Ep. 1.

Nec

Nec quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosâ corpus nolis prohibere chiragrâ,
Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.

Quicquid sit, ab evulgandis saltem *Libris*, etiam plurimis, ac ejusdem quidem argumenti, Patrum judicioſissimus *Augustinus* alienus non fuit, ut tum proprio exemplo, *tum πολυθρυλλήτῳ* hoc effato testatum fecit: *Utile est plures* Libros *a pluribus fieri, diverso stylo, non diversâ fide, etiam de Quæstionibus* iisdem, *ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur in omnium manus veniunt. Et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere vellent*, eos *non inveniant* Libros, *in* hos *saltem incidant.* Et fecit ipse quod monuit, uti dixi. *Victor* enim *multorum Librorum confectorem* cum vocat; adscribitque ei, quod, præter innumerabiles *Epistolas*, Expositionem totius *Psalterii* & Tractatus populares, quos *Homilias* Græci dicunt, quorum enumerare numerum satis impossibile est, *ducentos triginta duos* Libros conscripserit. In eundem sensum differit *Petrus Cluniacensis*, alias *Venerabilis* dictus, cujus hæc verba sunt. *Seratur in* chartulâ *Verbi Divini seminarium, quod maturis segetibus, hoc est*, Libris *perfectis, multiplicatis frugibus esurientes Lectores repleat, & sic panis Cœlestis lethalem animæ famem repellat, sic plane, sic verbi Divini potes fieri Prædicator taciturnus, & linguâ silente, in multorum populorum*

Augustin. de Trinit. Libr. 1.

Victor. lib. 1.

Spizel. de Eruditor. Vitiis pag. 389.

populorum auribus, manus tua clamosis vocibus personabit. Clausis tenebris in spelæo tuo, & in codicibus tuis terras & maria peragrabis. In publicis Ecclesiæ conventibus Lectoris ore Verbum Dei de sublimi loco inclamabis, inque remotis claustrorum & domiciliorum angulis, illud idem servis Dei silentibus insusurrabis.

VI. Neque famæ vel gloriæ propriæ primaria hic ratio habenda, e contra contemnenda ea potius est. Cujus illustre exemplum antehac præbuit Theologus suâ ætate celeberrimus *Andreas Hyperius*, de quo testis est *Justus Vultejus*, quod ideo post mortem demum in lucem prodire sua voluerit, quia *gloriam* sibi *nullam* nec *vulgi applausus* iis captabat. *Hos enim* (inquit) *si tanti faciendas esse putasset, utique* vivo *ei frui illis licuisset.* Sed attendenda est *utilitas publica*, in quam omnes, uti ex *Coccejo* mox observatum, ingenii ac studiorum suorum fructus conferre quique debent. Claudianus:

Vultej. in Dedic. Oper. Hyper. præfix.

Claudian. in Honor. Cos. 4.

——— *consule cunctis,*
Non tibi, *nec* tua te *moveant, sed* publica *vota.*

Non interest quidem, ab iis, qui *postea* nascentur, sermones de nobis fore, cum ab iis nullus fuerit, qui *ante* nati sunt; verum interest aliis prodesse, quantum possumus, neque iis tantum, qui nobiscum vivunt, sed etiam tum loci tum temporis intervallo remotis: atque adeo universum genus humanum, siquid est opis in nobis, ad rerum honestarum cognitionem incitari, & ad solidam Divinorum imprimis oraculorum

rum notitiam sibi comparandam adjuvari. *Solet quippe* Charitas (juxta hoc *Alcuini* Caroli M. olim præceptoris) *litteris appellare, quos oculis cernere non valet, quia apices* chartarum *amoris magnitudinem exprimere conantur, ut* oculis *legatur in* syllabis, *quod videri non potest in mentibus.* Quin (ut Idem alibi) *Deus absentibus* scriptionem *in subsidium & solatium dedit, ut per* chartas *loqui possint, & necessaria proferre in cor aliorum.* Quod tum quidem præcipui usus est, cum a castigandis & corrigendis ex officio moribus, Magnatum imprimis & Principum, turpi quadam ἀνθρωπαρεσκίᾳ quis retrahitur; ut dum *os* ejus loqui renuit, muta *charta* & *Libri*, rubere & timere nescii, pro eo loquantur.

Alcuin. Ep. 46. & 66.

Facit huc id *Plutarchi*: Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρήνει, τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι, καὶ ἀναγινώσκειν· ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν, ἃ θαῤῥοῦσι φράζειν, πάντα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. *Demetrius Phalereus Ptolomæum Regem admonebat, ut conscriptos de Regno Imperioque* Libros *sibi compararet, & legeret. Nam quæ* amici *non audent monere Reges, ea in* Libris *descripta esse.*

Plutarch. in Apophtegmat.

Caguol. de Rect. Princip. Institut. §. 23. pag. 33.

VII. Et vin' scire, quid *Liber* vere *bonus* sit, quantumque Reip. beneficium, en graphicam & honorificentissimam ejus descriptionem dicam, an circumscriptionem, apud *Lucam de Pennâ*, haud indignam, ut ut prolixiorem, quæ hic inseratur: LIBER *est* (inquit) *lumen* cordis, & *speculum* corporis, Virtutum *repertorium*, vitiorum

Luc. de Penn. in Rubric. C. de Navigat. S. Naucler. lib. 2.

con-

confusorium, *corona* prudentum, *diadema* sapientum, *honorificentia* Doctorum, *clarificentia* Rectorum, *comes* itineris, *domesticus testis*, *socius* colloquentis, *collega* præsidentis, *vas* plenum sapientiæ, *via recta* eloquentiæ, *hortus* plenus fructibus, *principium* intelligentiæ, *fundamentum memoriæ*, hostis *oblivionis*, amicus *recordationis*, vocatus *properat*, jussusque *festinat*, rogatus *respondens*, fideliter *obediens*, contra fortunas *luctator*, atque verus tui *ductor*, hortus *conclusus* & fons *signatus*, puteus *aquæ vivæ*, paradisus absque *ruina*, ædificans te *gnarum*, si reperit *ignarum*, nunquam patitur *fastidium*, etsi graves eum *nimium*. Imò quos unquam inveneris commendabiliores amicos, quam *Libros*? Cum his te concludere in angulum aliquem potes, turbam ventosam fugiens, aut cum illis dulcia quædam mussitans, aut eos aliquid insusurrantes audiens, iiscumque non secus ac cum te ipso loquens. Arcana ipsi sua celant, nunquam non commissa summâ cum fide continent, nihil foras, quæ liberius inter familiares effundere solemus, renunciant; vocati præsto sunt, non vocati se non ingerunt; jussi loquuntur, injussi tacent; nihil assentantur, fingunt nihil; nihil dissimulant, vitia tua tibi libere indicant, neminem obtrectant; aut jucunda dicunt, aut salutaria; in secundis rebus moderantur, consolantur in afflictis; cum mutabili fortunâ nunquam mutantur. *Quæ potest esse*, (inquit Hieronymus Cagnolus) *vita jucundior, aut certe commodior, quam* legere *semper aut* scribere, *& antiquitatis res cognoscere*, *præ-*

Cagnol. de Rect. Princip. Instit. §. 23. P. 33.

præsentesque cum posteris loqui, atque in omne tempus quod & præteritum est & futurum, nostrum facere? Habet quidem & *auscultatio*; quâ ex Præceptorum *ore* addiscenda haurimus, eximia sua commoda; minore quippe tum valetudinis, tum ingenii, tum oculorum jacturâ constant, quam quæ *lectione* percipimus; præsertim si talis quis doceat, quem admirabundi audimus, vel affectu non vulgari prosequimur. Hujus enim *auscultationis* ope est, citraque omnem *lectionem*, quod, præter multos alios, *Didymus Alexandrinus*, Philosophus & Poëta, qui seculo quarto floruit, ἀπὸ βλέφας sensu visus orbatus, *Poëticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam*, syllogismos *Aristotelicos, eloquentiam* denique *Platonis* feliciter imbiberit. Verum tamen quæ *legendo* e *Libris* discuntur, tum plura tum limatiora fere sunt. Tantum enim discere ex iis cuique datur, quantum *ingenii* celeritate assequi, & *memoriæ* felicitate complecti potest. Neque gravantur unquam hi Præceptores operam suam petentibus impertire; sed uti *uberior* ita *paratior* eorum semper est copia. Licet etiam quæ ab his promuntur pressius inspicere, licet singula eorum retractare, licet ad libellam & regulam exigere, quando libet, quousque libet: quod quæ *vox* nobis subministrat, non ita ferunt. Taceo quod, juxta Poëtam, *segnius* etiam

Theodoret. H. E. lib. 3. cap. 27.

Horat. de Art. Poëtic. vers. 180.

irritent animos demissa per aures,

Quam

Quam quæ sunt oculis *subjecta fidelibus*

Ita quidem ut nullas opes, nulla sceptra quisquam vere φιλοβιβλος cum fructuosâ hâc desidiâ facile commutaverit. Ψυχῆς ἰατρεῖα, φαρμακοπολεῖα, id est, *animæ officinæ meditæ* libri sunt; quod Bibliothecæ suæ fronti Ægypti Rex *Osymanduas*, aliter *Simandius* olim inscripsit, ut *Diodorus Siculus* autor est: Regis enim illius sepulchrum describens sic infit, Ἔξεστι παράρχειν τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκων, ἐφ' αἷς ἐπιγεγράφθαι ψυχῆς ἰατρεῖον. Uti & Chrysostomus *medicamenta animæ* Libros dixit. Ad rem Ovidius:

Diod. Sicul. lib. 1. cap. 49. Valerian. Hieroglph. lib. 41. cap. 4. Chrysost. in Colossens. Homil. 9.

Quot frutices sylvæ, quod flavas Tibris *arenas,*
Millia quot Martis *gramina campus habet,*
Tot mala pertulimus! quorum medicina *quiesque*
Nulla nisi in studio *est, Pieridumque morâ.*

Ovid. Trist. lib. 1.

Atque hoc ipsum est, quod, uti ante de *Dionysio Juniore* fecerat, de seipso etiam testatur Baptista Fulgosius: *Si* (inquit) *permultorum aliorum, qui monumentis suis testatum hoc idem reliquerunt* (ex Literis *librisque* patientiam addiscI) *scripta non ostenderent, ego unus ita esse docere mortales experimento meo possum. Genuensium enim Principatu meorum scelere dejectus, omnibus ad levandam* animi ægritudinem *tentatis, nihil quod non modo salutem, sed ne* solamen *quidem* spon-

Fulgos. Præfat. ad Fil. Memorabil. præmiss.

ſponderet, niſi in Lectione *inveni.* Duo *enim potiſſimum ex eâ conſecutus ſum:* Unum *quod legendis aliorum caſibus, unum me non eſſe perſpexi, in quem Fortuna ſævire voluerit*; alterum, *quod dum* legerem, *dum aliorum geſta recenſerem, tanquam e militari viâ in ſeceſſum divertenti, aliquantiſper malorum* oblivio *animum ſubibat.* A quo haud multum abludit, quod de ſe quoque habet Hieronymus: *Poſt noctium* (dicit) *crebras vigilias, poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat*, Plautus (paulo ante dixerat Tullius) *ſumebatur in manus*; ſcil. ut in eorum *lectione* & uſu, animo afflictus, doloris qualecunque levamen inveniret. Refert id quidem S. ille Pater ad *infelicitatis ſuæ* (uti loquitur) *Hiſtoriam*: ſed agnoviſſe ſe eo tamen innuit, quod in *Librorum* volutatione & tractatione *triſtitiæ leniendæ* & minuendæ *remedium* aliquod reſideat. Imò de *Alphonſo*, Siciliæ Rege, autor eſt *Panormitanus*, quod cum ipſum, febriculâ laborantem, lectulus teneret, ſolâ *Quinti Curtii* Lectione, nullo alio adhibito medicamento, ipſam corporis valetudinem recuperavit. Quod & *Ferdinando*, Hiſpaniæ Regi, e *Titi Livii* lectione obtigiſſe autor eſt *Bodinus*. Spectavit huc etiam Antiquorum mos in *Conviviis* uſurpatus, juxta quem ſe invicem non tantum ſermonibus ac ſpeciatim quidem ænigmatibus exercebant (cujus & ipſa S. Scriptura teſtis eſt) ſed & *Libros* quoſdam ad menſam familiarem deferre ſolebant; ut non cibo tantum potuque, ſed & *legendo* ac-

Hieronym. Ep. ad Euſtoch. Oper. tom. 1. fol. 66.

Bodin. Method. Hiſtor. in Proœm. pag. 5.

Panormit. in Vit. Alphonſ.

Hyper. Opuſc. Theolog. tom. 1. pag. 141.

accumbentes recrearent. Ita Seneca: *Varius nobis sermo fuit in convivio*: lectus *deinde* liber *Quinti Sextii Patris &c.* Et *Cornelius Nepos* in vitâ Attici: *Nemo unquam sine aliqua* lectione *apud ipsum cœnatus est, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur.* Adde & hoc Plinii: *Super hanc cœnam* Liber legebatur *indeque aliquid adnotabatur.* Plus dicam: Librorum usu ipsa nonnunquam *vita* veluti *producta* videtur. Sic M. *Terentii Varronis* monitum sonat, *Legendo autem & scribendo* vitam *producito*: metaphorâ a fabris desumptâ, qui ferrum cudendo malleis producunt & extendunt. Nonius Marcellus per *prolatare* explicat. Quin hunc ipsum fructum idem ille *Varro* retulisse inde dicitur; ad *octavum* enim & *octogesimum* annum *legendo* & *scribendo* vitam perduxit; & ne extrema etiam hora infructuosa esset, in lectulo suo compositus, *scriptione* occupatus spiritum emisit.

Senec. Ep. 64.

C. Nepos. Attic. cap. 14. pag. m. 386.

Plin. Epist. lib. 3. ep. 5.

Varron. Fragment. pag. 15.

Non. Marcell. Observat. in ill. loc.

Auson. Popm. C ject. ibid pag. 156.

VIII. Adhuc adde, quod ex remotissimis oris visendi & videndi illustres *Scriptores* desiderio cunctos inflammare soleant *Libri*, qui genuini eorum Literarumque æstimatores sunt. Sic *Apollonius Tyanæus*, Philosophus Pythagoricus, cujus vitam descripsit *Philostratus*, intravit *Persas*, pertransivit *Caucasum*, *Albanos*, *Scythas*, *Massagetas*, opulentissima *Indiæ* regna penetravit, & ad extremum, latissimo *Phison* amne transmisso, pervenit ad *Brachmanas*, ut *Hiarcham* in throno sedentem, inter paucos discipulos de *Naturâ*, de *Moribus*, ac de *cursu Dierum & Siderum*

Dilherr. Elect. Sacr. lib. 2. c. 5.

audiret docentem. Et *legimus* (inquit Hieronymus) *in Veteribus Historiis, quosdam lustrasse Provincias, novos adiisse Populos, maria transiisse, ut eos, quos ex* Libris *noverant*, coram *quoque* viderent. *Sic &* Architam Tarentinum *adiit, eamque oram* Italiæ, *quæ quondam* Magna Græcia *dicebatur, laboriosissime peragravit; ut qui* Athenis *magister erat & potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens* aliena *verecunde discere, quam* sua *impudenter ingerere.* De *Melanchtone* Sulcerus: *Ceu Ognius* (alii habent *Ogmius* Hercules, qui eloquentiæ symbolum fuit) *catenâ quadam minime ingratâ ex remotissimis Orbis Christiani plagis ad se pertraxit discendi avidos, pertractosque retinuit citra fastidium, quod non dubitarent fructum se relaturos, si limen optimi & doctissimi Viri tererent, ut sapiens faciendum monet, & multis non parum profuit.* Tandem vivaces eprælantium Virorum reliquiæ *Libri* sunt, quibus immortalitate donatur quicquid, publicæ rei alias proficuum, temporis lapsu certo interciderat. *Ingeniorum effigies, veraque ac æterna monumenta* vocat Hieronymus: *Ingenii egregia facinora, uti anima, immortalia sunt*, inquit *Sallustius.* Et Propertius:

Hieryn. Epist. ad Paulin.

Sulcer. ad Manl. Collectan.

Hieronym. ad Marcell.

Sallust. de Bell. Jugurthin.

Ingenio stat sine morte *decus.*

Propert. lib. 3. Eleg. 1.

Evanescunt è contra facile in auras, quæ ore tantum proferimus; vel, si maxime in audientium descendant memoriam, cum iis morientibus orbe tamen excedunt. Iterum

rum Voſſius: *Quæ ſolo* auditu *propagantur* Traditiones *raro ſolent ad duo vel tria perſtare ſecula Siquis omnium Gentium percurrat* Annales, *ne unum quidem inveniet exemplum, quo probari poſſit, rei alicujus memoriam inter mortales per plura ſæcula integram fuiſſe conſervatam abſque* Literarum *beneficio.* E contra quæ *Chartis* membranisque inſcribuntur, ætatem ferunt, imo eâdem pene operâ haud magno temporis intervallo ad extremas usque Inſulas, quà

Voſſ. Tract. Citat. pag. 297. 298.

medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus,

pervagari poſſunt, modo juſta ſubſidiorum & adminiculorum copia non deſit. *Ingens* (habet alicubi Magnus noſter Spanhemius) *beneficium ſane eſt* Litterarum *uſus*, æternus *Plinio creditus, quo factum, ut in abſentes, & remotiſſimos Orbis incolas, & ad ſeram poſteritatem ſermo hominum ſeſe diffundat, horumque & ſtudia & geſta in omne ævum itura transmittantur. Quod adeo in ſtuporem dedit* Indorum *Gentem, ut cum* Hiſpanos *animadvertgerent, per mutos illos interpretes, de longinquis rebus & factis, & locis edoceri, latentem aliquem in* Chartâ *ſpiritum, vi humanâ majorem, ſuſpexerint, ac reformidarint.* Ergo, uti dixi, *Libri μεγιστοι, ætatem ferunt*, eruditi nempe & politi: ita quidem, ut lapſu temporis non vileſcant, ſed ejusdem valoris maneant; phraſi a *vino* mutuo ſumptâ, quod, ſi bonum ſit, non evaneſcit, ſed *in vi & gratiâ ſuâ perſeverat*,

Spanhem. Sermon. Academ. dict. 29. Octob. Ao. 1674.

Benzon. Hiſt Nov. Orb. Lib. 2. cap. 13.

Ciaccon. de Triclin. pag. m. 66.

ut loquitur *Ciacconius*. Per *ætatem portare* & *pati* exprimunt *Seneca* & *Apulejus*. Hujus verba sunt; *Quod* ætatem portat *bellule* (*hoc est, quod investis & imberbis est*) *propterea tibi puer semper videtur*? Illius: *Ariston dicebat, malle se adolescentem tristem quam hilarem & amabilem*: Vinum *enim bonum fieri, quod recens, durum atque asperum visum est, non pati* ætatem *quod in dolio placuit*. Tametsi enim aliquorum *Scriptorum* respectu haud plane falsum *Ausonianum* hoc sit,

Apul. lib. 1. de Cupidin.

Senec. Epist. Lib. 5. Ep. 56.

Auson. Ep. 34.

etiam monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis, Nominibus*que venit.*

Non tamen cum omnibus ita comparatum est. Dantur enim, quorum catena adamantina est, quam *Parcarum* forfex incidit nunquam, nec incidere potest. Ostendesis hodie *Romanæ* magnificentiæ admiranda illa, quæ famæ dedicavit ambitiosa antiquitas, arcus, trophæa, columnas, porticus, theatra, amphitheatra, naumachias, nymphæa, palatia, thermas, pyramides &c. de quibus operosè *Lipsius* aliique: lucernâ indigeas claro die investigandis eorum vestigiis; in ingluviem descenderunt vetustatis, devorantis omnia, non nisi nominibus solis in Orbe amplius conspicua. At quid *Scripta* multa, etiam seculis aliquot ante ea, quæ mox memoravi, exarata? tanquam in primo adhuc sunt flore, vigent, vivuntque cum suis Autoribus, ab oblivionis falce, vetustatisque morsu plane intacta. Specimen hujus hoc habe è Celeberrimo Cle-

Lipsi. de Magnitud. Roman. pass.

Clerico: *Addam* (inquit) *& aliud, hodie etiamnum hic apud nos extare* (designat, uti puto, *Genevam*) Homeri *manuscriptum in chartâ nostrate, quod* octingentorum *annorum antiquitatem excedat.* Quod hoc certe observatu dignius est, quia ipsam etiam materiam, in quâ scriptum est, spectat, chartaque illa, quam *nostratem* vocat *Autor*, tam parum soliditatis habet, ut ne per seculum quidem, nedum per *octo* secula durare posse videatur. Ejusdem rei testis est *Venusinus* vates, Latinæ fidicen Lytæ: Dav. Cleric. Orat. 10. pag. 127. Horat. Lib. 3. Od. 30.

Exegi monumentum ingens ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum *series, & fuga temporum.*
Non omnis moriar. &c.

Et *Martialis* ad Epigrammatum suorum Lectorem:

Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris,
Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi *mulio ridet equos.*
At chartis *nec* furta *nocent, &* secula *prosunt;*
Solaque non norunt hæc monumenta *mori.*

Martial. Ep. Lib. 10. Epigr. 2.

Neque abnuit Tibullus:

Tibull. Lib. Eleg. 4.

— *Quem referunt Musæ*, vivet *dum robora Tellus*,
Dum cœlum stellas, *dum vehit amnis aquas.*

neque Naso:

Ovid. Amor. Lib. 1. Eleg. 10.

Scinduntur vestes, *gemmæ franguntur & aurum*;
— *Carmina*, *quam tribuet fama*, perennis *erit.*

Plin. Lib. 6. Ep. 16.

Plinius *æternitatem Scriptorum* memorat, vocatque *beatos* quibus datum est; *aut facere scribenda*, *aut* scribere *legenda*; *beatissimos vero quibus utrumque.*
Ut paucis dem, LIBRI

Ὅισιν κλέος ἠδὲ, καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή.
Præsentem tribuunt famam tribuentque futuram.

Quâ de causâ haud etiam aliunde, quam hinc, sibi nominis aliquid quærere voluit *Thomas Gathakerus*, splendidissimum Ecclesiæ *Anglicanæ* lumen, ut vitæ ejus Autor testatur. *Mirum* (sic ille) *videri possit*, *illum*, *qui necessariorum precibus flecti non potuit*, *ut effigiem suam penicillo cælove exprimi pateretur*, *neque ullum sibi poni* monumentum *voluit*, *præter illa*, *quæ ipse æternum duratura statuerat*; *Libros volo eruditione perinde ac pietate refertissimos.* Lineis insistere forsan voluit Vir Summus *Spartiatis Agesilai*, qui neque pictam etiam neque fictam sibi imaginem fieri passus est, sed so-

Gathak. vit. in princip.

Cagnol. de Rect. Princip. Instit. §. 129.

solorum Librorum opere inclarescere gestiit; licet hic tantum *alienorum*, *Gathakerus* vero (quod multo gloriosius est) *propriorum*. Imo vero opere quovis semper superfuturo etiam eos ipsos *immortales* reddunt *Scriptores*, quorum nominibus *inscribere* id dignari tantum solent: Sic *Præfator*, quisquis sit, Historiæ Romanæ Velleji Paterculi: *An vero non est* immortalitate *donare*, *semper victurum Opus* inscribere *cuipiam? Reviviscit nunc cum Vellejo* M. Vicinius, *cujus nomen ex hominum memoriâ nemo delebit*, *quamdiu supererunt* Velleji *monumenta*. Et Phædrus ad *Particulonem* suum:

Præfat. in Vell. Patercul.

Particulo *nomen chartis victurum meis*,
Latinis dum manebit pretium literis.

Phædr. Fab. 5.

Exemplis hæc non adstruo, quia ubique obvia sunt: Ex Antiquis *Æschines*, *Demosthenes*, *Euripides*, *Theophrastus Philosophus*, *Menedemus Atheniensis*, *Virgilius*, *Horatius*, *aliique* plures, obscuro licet loco nati, illustre tamen nomen *Scriptis* suis sibi compararunt *novique* quasi *homines* facti sunt. Dicebantur tales *Romanis*, qui, cum clarum genus non haberent, neque ullis majorum imaginibus commendarentur, propriâ tamen virtute & industriâ inclarescebant. Seipsum ita vocavit Cicero: *Me primum* hominem novum *Consulem fecistis*, *& eum locum*, *quem Nobilitas præsidiis firmatum*, *atque omni ratione obvallatum tenebat*, *me duce*, *rescidistis*, *virtutique in posterum patere voluistis*. Appiano καινός, ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνώριμος dicitur. Interim

Valer. Max. lib. 3. cap. 4.

Fulgos. Rer. Memorab. lib. 3 cap 4

Cicer. de Leg. Agrar. Orat. 2.

Appian. Histor. Lib. 21.

Minut. in Octav. pag. 289.

terim *novus homo* cum *novello homine* non est confundendus, qui plane aliud significat, hominem nempe vix ex utero progressum, sive, uti Prudentius

Prudent. de Roman. Martyr.

Vix hominis caput
Infantis.

Euseb. Hist. Eccles. Lib. 3. cap. 9.

Flavio etiam Josepho, utcumque gente *Judæus* esset, ob *Literarum* tamen *monumenta*, ab ipsis veluti hostibus suis *Romanis* honoris *statua* erecta est de quo sic habet Eusebius: ὁ δὲ οὐ μόνοις τοῖς ὁμοεθνέσιν ἀλλὰ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις γνωρίμων ἀνὴρ ἐπιδοξότατος, ὡς αὐτὸν μὲν ἀναθήσει ἀνδριάντι ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων τιμηθήναι πόλεως τὰς συγγραφὰς αὐτῷ λόγους βιβλιοθήκης ἀξιωθῆναι: quod sic transtulit Ruffinus: *Constat hunc virum* (Josephum) *per idem tempus, non solum apud Judæos, proprios cives, verum etiam apud* Romanos *habitum esse nobilissimum, ita ut* Literarum merito *in urbe* Româ *etiam* statuâ *donaretur, & libri ejus Bibliothecæ traderentur.* E recentioribus unum tantummodo adjicio *Carolum Molinæum*, Gallorum Jurisconsultorum facile Principem; Hic, cum præter ingenii perennia monumenta plurima, tempore Henrici II. *Libellum* etiam pro Patriæ Ecclesiæque libertate vindicandâ edidisset, eoque Pontificem, antea infestum, placasset, eopse *Libello* immortalem sibi memoriam non meruit tantum, sed & acquisivit. Audi super eo exclamantem *Antonium Matthæum*, eruditione & Scriptis non minus celebrem: *Quem* (inquit) *triginta millia virorum non*

Quintil. Lib. 11. cap. 3.

Volaterran. Lib. 15.

do-

domuerunt, hunc invictus Molinæi *calamus expugnavit. O memorabilem victoriam! o triumphum admirandum! Nunc tandem arma togæ cedant! nunc laurea concedat stylo! habent Jurisperiti, quo ferociæ militari os occludant, quo togam a contumeliis sagi vindicare possint. Hanc adeo lauream tibi,* Molinæe, *debemus: vivis vivesque* extento ævo, *& disjectis ducum trophæis, arente lauro, eversis statuis, tua gloria* in æternum *virescet.* Ant. Matth. Orat. 15. p. 408. 409.

CAP. III.

De Prudentiâ *in scribendis* Libris *observandâ.*

SUMMARIUM.

I. Prudentiæ *hujus* quatuor *partes.* (a) *Scriptio* deliberata *esse debet, non* præcipitata. *Variorum de Canone hoc placita.* Hieronymus *a* Vossio *taxatus.* Ἅμιππα θοείζειν *quid!* Homerus *cur* vomens *pictus?* Rhodiginus *notatus.* Virgilii *laus. Scriptores* μυσοπαχθεῖς *qui? Ut &* festinati Libri *apud* Martialem? *Nihil* ordinatum

quod

quod præcipitatum. Canis festinans cœcos parit catulos, *in quos jactum?* *Theodoreti* Historia Ecclesiastica *nonnullis minus grata*, & *quare?* Itali *quidam cur Latine loqui* ex tempore *renuerint?* *Intereunt* citius *Libri* festinantius *exarati.* Horti Adonii *quales?* *Tentandæ Scriptori* Vires suæ *antequam ad Opus se accingat.* *Nihil natura* magnum & depolitum *fieri voluit*, & cito. II. Isocratis, Catulli, Virgilii, Sannazarii, Augustini, Diodori Siculi, Origenis, Michaëlis Etmulleri, Joh. Caspari Suiceri *in scribendo* cunctatio *laudata.* Johannes Morinus *Libri*, *a se nimis* juvene *conscripti*, *serâ* nimis *pœnitentia* ductus. Ciceronis *laudabilis prudentia.* *Carmina quorundam vernantibus annis a se edita, postmodum condemnata & retractata.*

ta. Æneæ Sylvii *dictum.* Bernardi *monitum commendatum. Non omnia ſcripta* maturata *pro* præcipitatis *habenda.* Papinii Statii *extemporanea in fundendis Carminibus vena.* Sylva *Latinis idem quod* χέδιον *Græcis.* Antonii Mureti *in ſcribendo* promptitudo & *facilitas admiranda.* III. (b) *Scriptio* thetica *eſſe debet, non* Hypothetica. *Inſtitutio hominum per* fabulas & apologos *hinc orta.* Fabulatorum *omnium princeps Æſopus.* Demoſthenes, Menenius Agrippa, Cardinalis Sedunienſis, Phædrus, Avienus, *laudati. Quibuſdam tamen caſibus, quædam à* theſi *ad* Hypotheſin μεβάσεις *non illicita.* IV. (c) *Scriptio* lenis *eſſe debet* & *manſueta.* Salmaſii, Joſephi Scaligeri, Lutheri *aliorumque plurium nimia in ſcribendo* acrimonia *pulſata.* Loc. Eſa. 29. 21.

21. lux addita. Gronovii & Morini *modestia laudata. Optima scriptoris Christiani* victoria & vindicta. Arrianus, Epictetus, Chrysostomus *ad partes vocati.* V. (d) *Scriptio* Methodica *esse debet* & rite ordinata. *Quod quibus iterum* partibus *constet, quibusque in* Libris *opus præcipue sit, explicatur. Ut justæ in scribendis legendisque Libris* methodi *neglectus perquam* noxius, *ita curata ejus observatio valde* est utilis. *Scriptioni imprimis* facilitatem venustatemque *addit* & memoriam *juvat. Quod* Josephi Scaligeri *experientiâ adstruitur. Etiam in* Scripturarum *tractatione* εὐμεθοδίαν *non negligenda. Quod qui inficias eunt refutantur.* Cautio *observanda.*

I. PRoinde si curaretur tantum sollicite, ne *mali* scriberentur *Libri*, vel boni *haud male* scriberentur, sed in eorum elaboratione

tione Prudentiæ, Soliditatis, Perſpicuitatis & Brevitatis juſta ſemper ratio haberetur, nulla forſan ſupereſſet cauſa, de *nimiâ* eorum *turbâ* multum quiritandi. *Prudentiæ* ante omnia hic litandum, hiſce præcipue partibus abſolvendæ (1) Scriptio *deliberata* eſſe debet, non *præcipitata*, id eſt, temere nunquam nimiſque præpropere ad *ſcribendum* applicandus eſt animus, (Scriptoris ſive *ætatem* ſive ſcriptionis *argumentum modumque* ſpectes) eſt enim hoc χερσὶν ἀνίπτοισι, *illotis manibus* ad opus accedere; ſed diſcendum imbibendumque prius bene, quod *librorum* ope docere alios inſtituimus; ſique ullibi, hic obſervanda Antiquorum regula eſt, quam in rebus bellicis *Auguſtus* crebrò jactitabat: Σπεῦδε βραδέως, *Feſtina lente.* Queritur alicubi *Hieronymus*, quod ſeculo ſuo eſſent, qui omnia præſumerent, ſcripturas lacerarent, & docerent antequam ipſi eas addidiciſſent. *Diſcunt* (inquit) *prô pudor a Fœminis, quod viros doceant, & ne parum hoc ſit, quidam facilitate verborum: imo audaciâ ediſſerunt aliis, quæ* ipſi *non intelligunt.* Monetque alibi: *Ne cito ad* ſcribendum *proſilias, ſed multo tempore* diſce, *quod doceas.* Licet obſervatum a quibuſdam ſit, Magnum illum Doctorem, ad id, quod alios allegatis verbis monet; vix ipſum ſemper curate ſatis attendiſſe. Sic enim de eo Voſſius: *Quemadmodum & contra Hieronymus*, feſtinantiſſime *in* chartas *conjiciens quicquid ei nocte unâ non ſemper zelus, qui juxta conſcientiam* eſt, *ſed etiam ſplendida dictaverat bilis, nunc quidem negat fieri* &c. Neque reum hic

Sueton. in Auguſt. cap. 25.

Hieronym. Ep. 103. & de Vit. Monaſt. ad Ruſtic.

Voſſ. Theſ. Theologic. pag. 169.

quadantenus se fuisse, infitetur ipse *Erasmus*, licet culpam ex parte in naturam, consuetudinem & Typographos rejiciat: *Hi mihi* (dicit) *fere extorquent ovum antequam pepererim; &, siquid conceptum est, non sinunt fœtum* matureſcere, *sed invitâ Lucinâ cogunt per abortum ejitere.* Sic ibi, minus dissimulanter alio loco: *Quid Erasmus Roterodamus? abjicit ac* præcipitat *omnia, nec parit, sed* abortit, *interdum justum volumen scribit, stans pede in uno, nec unquam imperare potest animo suo, ut semel relegat quod scripsit, nec aliud, quam scribit, cum post diutinam lectionem demum ad calamum sit veniendum, idque raro.* Ἄμπωτα ϑερίζειν Græci id vocant, id est, simul ac ager obduci cœperit herba, extemplo eum demetere, ut nempe tenuissimâ illâ & intempestivâ opellâ aliis auxilio esse possimus. Sive; uti apud *Horatium* est, *cotes imitari*, qui sic faciunt, dicendi sunt, quas aciem ferramentis communicare experientiâ docemur, quam ipsæ non habent:

Eraſm. Epp. lib. 29. Ep. 91. & lib. 20. Epist. 15.

Bucholcer. Indic. Chronolog. pagm. 514.

Quintil. lib. 10. c. 3. Plaut. milit. Glorios. 2, 2.

Horat. de Art. poetic.

Fungar vice cotis acutum.
Reddere, quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Vel instar *salicis* esse, de quâ autor est Plinius, quod *ocyssime semen amittat, antequam* maturitatem *omnino sentiat*, unde Homero ὠλισθηρὸς Latinis *frugiperda* dicta est. Pictor quondam Palaton (Παλάτων habet *Ælianus*, quod *corruptum* pictoris *nomen* dicit *Schefferus*, adducens pro se *Rhodigi-*

Plin. lib. 16. cap. 20. Homer. Odyss. x.

Ælian. Var. Histor. lib. 13. cap. 22.

num

num & *Hartungum*) Homerum *vomentem* depinxit, quod de fundendorum carminum ejus *celeritate* interpretati quidam sunt, ipsique vitio verterunt; sed alii, & melius quidem, ad instructissimam ejus venam referre id maluerunt, quæ quippe tam abunde fluebat, ut omnibus post se Poëtis copiosam versificandi materiam suppeditârit. Sic *Ælianus* mox laudatus: Γαλάτων ὁ ζώγραφος ἔγραψε τὸν Ὅμηρον αὐτὸν ἐμοῦντα, τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμημεσμένα ἀρυομένους, id est: *Galaton pictor* Homerum pinxit evomentem, *reliquos Poëtas ea*, que *ipse* evomuisset, *haurientes*. A quo, juxta *Ovidium*,

Scheffer. in Not. ad Ælian.

Rhodigin. Lection. Antiqu. lib. 21. cap. 44.

Dilherr. Dispp. Academ. pag. 391.

ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis fonte rigantur aquis.

Ovid. Amor. lib. 3. Eleg. 9.

sive, uti *Manilius*, cujus

ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit.
Amnemque in teneros ausa est deducere rivos,
Unius fœcunda bonis.

Manil. lib. 2.

Interpretatur id *Cælius* de iis tantum, quæ *rejiciebantur ab Homero*, sed dubito, an bene. Præsupponit minimum illa interpretatio, non tantum *copiose instructam* Homeri venam fuisse, sed ex parte etiam *depravatam*, talia nempe etiam continentem, quæ tanquam non bona, supervacanea saltem, *evomere* opus habuerit; ut & Poëtas alios nihil, nisi quod *Homero* minus di-

Rhodigin. loc. cit.

gnum vel gratum fuerit, mutuo ab eo sumpsisse: cui omnes Scriptores reclamant. Testantibus e contra nonnullis, qualiumcunque bonorum carminum materiam ita ab eo defluxisse, ut solus POETA dici meritus sit. Ita de eo Paterculus: *Clarissimum deinde* Homeri *illuxit lumen ingenii, sine exemplo maximum, qui magnitudine operum, & fulgore carminum solus appellari* Poëta *meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus sit.* Tribuitur a *Julio Cæsare Scaligero* hæc ipsa prærogativa, inter Poëtas *Latinos, Virgilio*, de quo sic ait: *Cum a Superioribus unoque* Virgilio *exhausta essent argumenta omnia, ipsæ dicendi leges, omnes excussæ veneres, coacti sunt (qui hos sequebantur) nove eadem dicere, ne idem dicere viderentur; quare necesse fuerit, ut illa gratia simul periret cum ipsâ simplicitate.* Quicquid de *Homero* sit, *Marco* saltem *Antonio* probri vice adscriptum fuit, quod *Librum* suum de *Ebrietate* non tam composuisset, quam *evomuisset.* Cicero bibliopæos istiusmodi ὑπερσπονδίους sive præproperos μουσοπατοίκτους vocitavit, quasi *subito Musarum furore percitos* dixeris. Multo equidem facilius est, brevi spatio *librum*, quam librum *novo lectore dignum* ad posteros transmittere. Estque res, teste Epicteto, *non exigui periculi, mox evomere quæ non concoxeris:* Μέγας ὁ κίνδινος εὐθὺς ἐξεμέσαι, ὁ οὐκ ἔπεψας. Certe haud semel accidit, ut qui maxime olim Scriptis suis inclaruerant, omnem eruditionis suæ famam dilapidarint turpiter, eo quod, cum res aliquas cedro

Vell. Paterc. Hist. Rom. lib. 1. pagm. 15.

Scalig. Poëtic. lib. 5. cap. 6.

Cicer. ad Quint. Frat. lib. 2. Ep. 9.

Epictet. Enchirid. c. 69.

dro & marmore dignissimas antea evulgassent, nimis postea *præcipitanter*, & tumultuariò chartis quædam illeverint, quæ ante dictis haud quaquam convenirent; *libros* utpote depromentes non nisi subitâ & repentinâ operâ confectos, quin (ut mox de *Erasmo* dictum) immaturo pene abortu ante in lucem sæpe editos, quam satos est conceptos, *festinatos libellos* eos dicit *Martialis*. Neque mirum hoc; cum, juxta Apulejum, *nihil subitum simul & elaboratum* esse possit; vel, uti Seneca, nihil ordinatum sit, *quod præcipitatur nimium* & properat.

Bernard. in Cantic. Sermon. 18.

Martial. Ep. lib. 2. Ep. 91.

Apulej. de Deo Socrat.

Bene *Poëta*:

Judicium præceps insani judicis index,
Omnia sunt longis *discutienda moris.*

Et alius:

teneras mora *percoquit uvas,*
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.

Alias *canis festinans cæcos parit catulos*, quod in eos olim jactum, qui nimio *festinandi* studio rem parum absolutam in lucem emittebant; *ut siquis Operis parum elimati præcipitaret editionem*, inquit *Erasmus*. De *Theodoreto*, Episcopo Syro, narrant Eruditi, quod *Historiam* suam *Ecclesiasticam* concinnans, in rerum gestarum commemoratione hallucinatus sæpe sit, non tantum, quod peculiari animi turbulentiâ; sed *festinatione* etiam *nimiâ*, id est, intra tremestre spatium, Opus illud absolvisset.

Senec. Ep. 40.

Erasm. in Adag. & in Colloq. pag. m. 676.

Garner. apud Lipsiens. ad ann. 1685.

Uti id ipsum etiam est, quod in *Johannis Foxi* Historiâ reprehenditur a Celeberrimo *Burneto*, Cujus verba, Latine reddita, sic sonant: FOXI. *magni Operis autoris, scopus fuit, Ecclesiasticorum sui temporis corruptionem & tyrannidem, nec non Reformatorum persecutiones & fortitudinem publico exponere. Sed vero, dum* festinantius *scripsit, iniistiusmodi quosdam prolapsus est errores ut imperfecta Historia ipsius sit: tametsi hoc ipsi laudis tribuere debeam, quod, Operibus ipsius cum* Indicibus *collatis, accuratam in ipso fidem observaverim.* Ita nimium qui hic *festinat*, serius fere quod molitur conficit, hoc est, nec sæpe lectoribus suis satisfacit, nec sibi forsan ipsi. Quamobrem neque alia procul dubio subfuit causa, quod antehac *Itali* quidam Literati, utcunque pulchre *Latine* callerent, in familiari tamen congressu, ut *Latine* loquerentur, adduci nunquam potuerint, quam quod verererentur, ne ex tempore & sine prævià meditatione, loquentes, minus nitidè & politè loquerentur. Novi (inquit de iis idem Erasmus) nonnullos *Venetiæ*, atque inter hos quidem *Bernardum Ocricularium*, *civem Florentinum*, *cujus* Historias *si legisses*, *dixisses alterum* Sallustium, *aut certe* Sallustii *temporibus scriptas. Nunquam tamen* ab *homine impetrare potui*, *ut mecum* Latine *loqueretur*: *subinde interpellabam*, surdo loqueris, *Vir præclare*, vulgaris linguæ vestratis tam sum ignarus, quam Indicæ. *Verbum* Latinum *nunquam potui ab eo extunde e.* Ne addam, *cito* etiam plerumque interire, quæ *citò* minis exarata sunt. Quâ de

Burnet. Histor. Reformat. in Angl. Præfat.

Erasm. Apophtegm. lib. 8.

Lipsi. in Præfat. ad Politic.

de causa *Plato* Scriptorum hujusmodi pleraque cum *hortis Adoniis* comparavit, qui *subito* & uno die nati, *subito* & celerrime etiam peribant. Πλάτων (ita Stobæus) τὰ πολλὰ ὧν τινες συγγράφουσι, τοῖς ἀδονικοῖς κήποις εἴκαζεν, οἱ τὴν ἀρχὴν ἐφήμερον ἔχοντες, ῥαδίως μαραίνονται. Scilicet poma serotina longas vincunt hyemes, dum præcocia in cadivis cito putridisque numerantur. Ergo necesse est, ut vires ante omnia faciat prudens *Scriptor*, quæ elaborando Operi sufficiant, nec exiguo usu exhauriri facile possint, Horatius:

Stobæ. in Eth. Eclog.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Horat. de Art. Poetic. vers. 38. 39.

Nec μεγαλόφρονας (uti habet *Isocrates*) νόμιζε, μὴ τοὺς μείζω περιβαλλομένους, ὧν οἷοιτ' εἰσὶ κατάσχειν, *magnanimos esse existimes, qui majora* viribus suis *suscipiunt*; e contra, *Gregorio* teste, *in præcipitio pedem porrigit, quisquis mensurarum suarum limitem non attendit*; docetque non raro eventus, multo magis arduum sæpe negotium esse, quod tentamus, quam animo ante præcepimus. Sapienter Seneca: *Proderit nobis* Democriti, *illud salutare præceptum, quo monstratur tranquillitas, si neque privatim neque* publice *multa aut* majora viribus nostris *egerimus.* Phœbus *Phaëtonti*:

Isocrat. ad Nicocl.

Gregor. Moral. lib. 28. cap. 12.

Senec. de Irâ lib. 3. cap. 6.

Clem. Alex. ex Euripid. Pædag. lib. 3. cap. 2.

Τῶν ἡνιῶν, παῖ, μὴ θίγῃς ἄπειρος ὤν,
Μηδὲ ἀναβῇς τὸν δίφρον, ἐλαύνειν μὴ μαθόν.

Ah parce habenas tangere ignarâ manu,
Currusque, Fili, scandere equitandi, rudis.

Hujus ergo justam rationem si non habeat *Scriptor*, utique in viri illius errorem incidit, cujus meminit Historia Euangelica, qui turrim ædificare volens, non prius sedens computat sumptus, quos, ad opus suum perficiendum necessarios habet. Nihil est, quod rerum natura *magnum* simul ac depolitum effici voluit, & *cito*; verum pulcherrimo cuique operi difficultatem quandam & *moram* proposuit; quæ & ipsa nascendi hanc legem fecit, ut *majora* animalia *diutius* semper parentum visceribus contineri, irrefragabili experientia doceamur. *An nescis* (sic Baudius Meursio suo) *arbores eas* diu *crescere, quæ multa virûm volvenda sæcula durant?*

Luc. 14. 28.

Baud. Epp. Cent. 1. Ep. 67.

II. Estque proinde hinc, quod sapientioribus Scriptoribus tardigenulus plerumque incessus vehementer hic placuerit; ita ut notabile fere tempus, nonnunquam etiam diuturnum, *Commentariis* suis scribendis impenderint, ut commendabiliores eos redderent. Isocrates *denos*, vel, ut aliis placet, *quindenos* annos uno scribendo *Panegyrico* insumpsit. Catullus de *Cinnæ* sui *Smyrnâ*, libello perexiguo, habet:

Plutarch. de glor. Atheniens. c. fin.

Catull. Carmin. 96.

Smyrna mei Cinnæ nonum post denique mensem,
Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem.

id

id est, *novem* perpetuis elaborata est annis. Unde exisse putat *Turnebus* generale hoc *Horatii* præceptum vel consilium: Turneb. Advers. lib. 17.

si quid tamen olim
Scripseris, in Meri *descendat judicis aureis,*
Et Patris, & nostras, nonumque *prematur in annum.*

In quo tamen suffragantem non habet *Erasmum*, ut ex hisce ejus verbis colligere est: *Horatiano præcepto non ita valde commoveor: Hoc enim præcepit iis, qui ad ingenii laudem scribunt. Nos præter utilitatem* Lectoris *nihil spectamus. Præcepit iis, qui* carmen *conscriberent, in quo, teste* Plinio, *summa desideratur eloquentia; Nos* Adagiorum *commentarios colligimus. Quanquam equidem arbitror, curam, quam requirit* Horatius, *non* temporum spatiis, *sed* intentione *metiendam esse.* Uti etiam *Protagoras* pictor totum *septennium* in pingendo *Jalysso* impendit, antequam summam ei manum imponeret, ita & Virgilius *Bucolica* sua annis *septem*, suam *Æneida* non nisi *undecennio* elaboravit: & prius ipse, rigidissimus suorum censor & judex, scriptionem egregiam ad rogum damnavit; quo & periisset certò, nisi *Augustus* eam conservatam *Tuccæ* & *Vario* corrigendam tradidisset, qui nihil tamen addere ei ausi sunt, solum quod abundare videbatur dementes. Sic Octavius: Erasm. Adag. Chiliad. III. Cent. 1. Ælian. Var. Histor. lib. 12. cap. 41. Donat. in Vit. Virgil.

Frangatur potius legum veneranda poteſtas,
Quam tot congeſtos noctesque dieſque labores.
Hauſerit una dies.

Et paulo ante

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes?
Magnaque docti loqui morietur Muſa Maronis?

Interceſſerant quippe Viri illuſtres, imo tota *Roma* votis ſuis apud *Cæſarem*, ne Reſpublica literaria inſigni iſtoc pignore defraudaretur:

Cornel. Gall. ad Auguſt. de Virgilii Æneid.

Roma rogat precibus, totus tibi ſupplicat Orbis,
Ne pereant flammis tot monumenta Ducum:
Atque iterum Trojam, ſed major flamma cremabit,
Fac laudes Italum, fac tua facta legi;
Æneamque ſuo fac major nuncius ornet:
Plus ſatis poſſunt Cæſaris ora Dei.

Hottinger. Hiſtor. E. part. 1. pag. m. 240.

Jacobus Sannazarius, aliter *Sannazarius Parthenopæus* dictus, vel *Actius Sincerus Parthenopæus*, præteriti ſeculi Scriptor, tres *Libros* de *Partu Virgineo* publico donavit, ſed nonniſi *viginti* annorum limâ perpolitos. Prout & excellentiſſimum *Auguſtini* de *Civitate Dei* opus per varios annos eum tenuit;

nuit, uti & *Diodorum Siculum* Historia sua per *triginta* annos. Ne quid de *Eripidis*, aliorumque multorum inter *Veteres*, quin & nonnullorum inter *Recentiores* in scribendo curâ & morâ adjiciam. *Duo* tantum e nuperrimorum Scriptorum ordine addendi sunt illustres Germani: Unus est *Michaël Ettmullerus*, Medicus Lipsiensis, cujus hoc laudabile institutum fuit, ut non nisi provectior ætate, ad componendos *Libros* animum appulerit, sed interea temporis necessaria subsidia sibi comparaverit, quæ experientia diuturnior, pluriumque *Librorum* lectio ipsi subministrabat: imitatus in hoc *Origenem*, de quo testis est *Eusebius*, quod ante *sexagesimum* ætatis annum nihil dictârit a Notariis excipiendum, priusquam longo usu & exercitatione plurimum in fide profeciisset. Cautiori ea in re usus consilio ac *Johannes Morinus* pridem fecit, Vir insignibus alias Scriptis clarus, qui cum Librum de *Patriarcharum & Primatum origine* &c. edidisset, & *Urbano* VIII. P. P. dicasset, ejus in vulgus emissi non longo tempore post *pœnitere* opus habuit, *eo* quod *festinantius* eum evulgasset. *Adeo multa* (addit vitæ ejus Scriptor) *in eo extabant, quæ illum tunc in rebus Ecclesiasticis* infantem *manifesto prodebant, ut & luxuriantem ejus stylum* juvenem *nimis sapuisse*, indicat. Quod ne sibi etiam eveniret, hoc modo antevertit olim *Tullius*: cum adolescens esset, etiam *Græce* quædam periclitatus erat, umbratilemque *Exercitationem* profuderat potius, quam seriò dixerat: at ne serâ eorum postmodum duceretur pœnitentiâ,

Lipsiens. ad A. 1685. pag. 341.

Euseb. Hist. Eccles. lib. 6. cap. 35.

Morin. Vit. pag. 5. & Ep. ad Harlæum.

omnia

omnia ea obliteravit, nec unquam ab umbrâ in apricum produxit. Ut *Laurentios Gabaras*, *Petros Bembos*, *Franciscos Petrarchas*, *Torquatos Tassos*, *Petros Ronsardos*, *Theodoros Bezas* &c. mittam, qui omnes, eo quod *juniores* dum essent (prout ætas ea calidior fere est, & consilio magis præceps; *fere*, inquam non *semper*, ut infra patescet) minus consideratè chartis quædam illevissent, *præmature* a se scripta non scripta postmodum maluerunt, & cum pudore improbarunt, hoc adhibito versiculo:

Ite mali versus, animam qui perditis, ite.

Drexel. Nicet. lib. 1. cap. 5. §. 3.

Æneas Sylvius, dein *Pius* II. Pontifex M. (inquit Drexelius) *quædam, cum* genua ipsi virebant, *licentiore calamo in lucem dedit, quæ* maturioris *jam ævi ipse primus judex damnavit, plurimum etiam, ut ea suppressum iret, laboravit. Hinc ejusdem hæ voces & preces*: seni *magis quam* juveni *credite, &* Pontificem *pluris quam* privatum *æstimate*; Æneam *rejicite*, Pium *recipite*. Rite Epicharmus apud Stobæum:

Stob. Tom. 2. tit. 1.

Οὐ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν, χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφὸν.

Cuncta sapiens prævidebit, pœnitebit sic nihil.

Apul. in Florid.

Ergo *discere oportet* (ut ait Apulejus) pueros *disciplinam omnem*, juvenes *ostentare*, senes *vero docere*, id est, qui diuturniore usu, & comparato sensim ampliori eruditionis apparatu instructiores ad id sunt. Lauda-

Laudatur hoc nomine dictus *Ettmullerus* ab *Actorum Lipsiensium* Concinnatoribus, Viris utique nullo non eruditionis genere cumulatissimis, quibusque, quotquot sunt discendi cupidi, ob insignem publico hactenus præstitam operam, ac deinceps, uti spero, præstandam, nihil non debent. *Alter* est *Johannes Casparus Suicerus*, Theologus Tigurinus, qui ipsissimo elaboratissimi & præstantissimi sui Operis, quod *Thesaurum Ecclesiasticum* inscripsit, frontispicio inserere non erubuit, quod *viginti annorum indefesso labore id* adornârit; imo, ut in *Præfamine* testatur, id jam modo adornatum per integrum adhuc *decennium*, antequam in lucem prodierit, penes se in Musæo suo asservârit. Opportune *Zeuxis*, cum *Agatarchus* magnos sibi de pingendi *celeritate* spiritus sumeret, respondit: *Diu pingo, quia æternitati pingo.* Sic æternitati etiam *scribitur*, seriusque dicatur nepotibus, quod publici juris quis facit. Quod si ergo sapis (monitum est melliflui *Bernardi*) concham *te exhibebis*, *non* canalem. *Hic enim simul pene & repetit, & refundit, illa vero, donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat sine suo damno aliis communicat. Verum* canales *hodie multos habemus in Ecclesiâ*, conchas *vero perpaucas. Tantæ charitatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia emanant. ut ante* effundere, *quam* infundi *velint*, loqui *quam* audire *puratiores, & prompti* docere *quæ non didicerunt.* Interim negandum non est, dari etiam aliquando materias quasdam posse, *primo* quoque *tempore* & occasione evulgandas: ut E. G. rei

Suicer. Thesaur. Eccles.

Bernard. in Cantic. Sermon. 28.

Lud. Viv. de tradend. Disciplib. 5.

rei gestæ, ad viventium plurimos pertinentis, historiam, quæ insectandi criminis, in commune noxii, aut depellendæ a nobis calumniæ inservire debent, idque genus alia. Hæc enim dilationem non ferunt; neque ita scripta *præcipitata* dicenda sunt, sed *maturata*. Sunt etiam quædam, quæ multo magis deterit anxia nimis cura & mora, quam emendat; danturque nonnunquam homines tam subiti & vividi impetus, ut opera eorum longe præstent *effusa*, quam *refusa*: nimirum

Hoornb. Vet. & Nov. part. 1. cap. 1. §. 119.

Virgil. Eclog. 1.

Condunt, componunt, quæ mox deprome-re possunt;

Atque hos inter

Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

eminuit olim *Publius Papinius Statius*, Poëta Neapolitanus sub *Domitiano*; qui, uti litteris proditum est, mellitissimas suas *Sylvas* extemporaneâ industriâ concinnavit, eamque ob causam hoc etiam nominis iis indidit. *Sylva* enim *Latinis* est, quod χύδην & χυδάσμα *Græcis*, quo omne id indicatur, quod subitarium & extemporaneum scribitur, nec satis adhuc perfectum & exasciatum est. Vocat hinc ipse hos suos Libellos, *qui subito calore, & quâdam festinandi libertate sibi fluxerant*, & *solam celeritatis gratiam habebant*; imo nullum ex iis *biduo longius* tractum, quosdam & *singulis diebus* effusos esse, asserit. Huic dignus est, qui jungatur *Marcus Antonius Mure-*

Stat. in. Ep. lib. 1. Sylvar. præm.

Gevart. in Stat. Sylv. cap. 2.

Muretus, Orator Romanus, de quo sic *Andreas Schottus* in ejus vitâ: *Nihil unquam (mirum dictu!) bis scribebat, vix adeo bis legebat id ipsum, quod scripserat; raro interpolabat, non sæpe mutabat aliquid, rarius demebat delebatque: ita, cum uno quasi tenore fluerent omnia, nihil nisi aptum & accommodatum ad manum mentemque veniebat, ut multo meliora* fortuito *illi excciderent, quam alii, qui eandem incudem assidue tundunt, excudant labore.* And. Schott. in vit. Mureti. Et de se ipso habet *Baudius*: Melius *ut plurimum exeunt, quæ ἐξ ὑποψιας profundimus, quam ea, quæ subducto supercilio* meditabundi *vix ægre tandem evolvimus.* Baud. Epp. Cent. 1. Ep. 87. At vero singularia quorundam ingeniorum privilegia hæc sunt, quæ perperam ad communem *scribendi* regulam quis trahat.

III. (2) Scriptio *thetica* esse debet, in materiâ præcipue odiosâ, non *hypothetica*, id est, argumentum, quod præ manibus est, simpliciter & *in genere* tantum exponens, confirmans, amplificans, omissâ omni non necessariâ *ad hypothesin* hanc vel illam μεταβάσει. Sic præceptiones suas instituisse se innuit *Phædrus*, ingeniosissimus *Augusti* libertus vel potius libertinus, dum ait:

> *Neque notare* singulos *mens est mihi,*
> *Verum ipsam* vitam *&* mores *hominum ostendere.*

Phædr. Fab. lib. 3. in Prolog.

nempe licet *vitia* carpere, *personis* tamen parcere animus ipsi erat. Quare & paulo ante dixerat:

Suspi-

Suspicione siquis errabit suâ,
Et rapiet ad se, quod erit commune malum,
Stulte nudabit animi conscientiam.

Ac rectè quidem: hoc enim pacto optime tum sibi, tum Lectoribus, tum rei tractandæ satisfacit *Scriptor*, sine ullâ aliorum offensâ & præjudicio; quandoquidem *generalis* de vitiis *disputatio*, uti rite alicubi Erasmus, *ad nullius personæ injuriam pertinet.* Cum, si secus fiat, vix sit, ut nonnullorum, quos *hypothesis* illa propius tangit, non incurrat indignationem. Θεὸς enim, uti dicebat ille, *Deus* est, hypothesis *Diabolus.* Et contingere sane aliquando videas, ut quis insigni zelo, ac merito quidem, in seculi nonnulla peccata invehatur, qui tamen, eo quod *hypothetice* nimis in carpendis iis procedat, non nisi πρὸς τὸν τοῖχον λαλήσῃ, id est, parieti, tantum loquatur, & lapidem verberet; quinimo peccata illa non tam emendet & corrigat, quam crabrones irritet, reosque & patronos eorum lacessat; imo perpetuam & inopportunam iis secum contendendi, si non materiam justam, *occasionem* saltem subministret, non sine notabili sæpe ædificationis impendio; quod variorum nominatissimorum Virorum exemplis demonstrari posset. Culpâ quidem haud vacant, qui legitimam reprehensionem in pejus rapere solent, utque sit,

Erasm. Adag. pag. m. 505. & Epist. lib. 31. Ep. 42.

Jam pridem verum non didicere pati;

verum

verumtamen, cum illa, designatius instituta, sæpe obsit magis, quam prosit, tutius & fructuosius ea ut plurimum abstinetur. *Species* equidem omnes & *individua* sub *generibus* suis comprehenduntur: quod si ergo Scriptor *generalia*, quæque eo pertinent, justo modo tantum evisceret, urgeat, absolvat, utique & *specialia*, generalibus illis involuta, non excludit, sed includit; tametsi ea non tam invidiose a se Lectoribus exhibenda, quam ab his ipsis ingeniose elicienda sibique applicanda esse judicet. Harmol. Barbar. Ep. ad Mirandul. Comit. Estque & hinc procul dubio, quod sub *fabularum* & *apologorum* involucro vitia exagitandi mos olim invalucrit: ut scilicet *mutato nomine*, imo ratiocinatione humanâ ipsis veluti brutis nonnunquam adscriptâ, in aliorum, potentissimorum etiam hominum & Principum, scelera impune *Scriptores* luderent, sicque, nemine licet *hypothetice*, id est, insignitius pulsato, reprehendendi tamen ea, quæ reprehendenda judicabant, officio non deessent. Gell. lib. 2. Rigalt. in Phædr. p. 57. Adhuc Phædrus:

Nec aliud quicquam per fabellas *quæritur,*
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque se diligens industria.

Phæd. Fabul. lib. 2. in Prolog.

Missis Sacræ Scripturæ exemplis multi id etiam præstitêre alii, ὃς τὰνυς μὴ μία πάντας ἄγει, *quos omnes una non capit navis*, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Orpheus, Musæus, Linus, Phurnutus, Euantes, Silenus Chius, Hesiodus, Ovidius; quos tamen inter excelluit ingeniosissimus μυθοποιὸς *Æsopus* Samius, a quo & omnes pene *fabulæ* & apologi

Jud. 9. 13. 2 Reg. 14. 2 Sam. 12. 1. &c. Natal. Com. Mythol. lib. 1. capp. 3. 4. 5. 6.

logi *Æsopici* dicti sunt, *Natali Comite* autore; qui de vario *Fabulatorum* & *fabularum* discrimine erudite disserit. Neque mirum hoc, cum *Fabulæ*, Apologi, imo quævis similitudines plus semper intelligendum præbeant, quam dicitur, lateatque fere in iis nescio quid, quod in mentibus *Lectorum* plurimum considerationis relinquit: suntque adeo harum *nervi* tanquam certissimi ingenii & artis satellites; *ipsæ* vero hostes insciticæ, & facundiæ ad copiam dicendi fideles ministræ. Etiam de *Demosthene* refertur, quod judices haud satis attente ipsum audientes in capitali quâdam causâ, apologo de *umbrâ Asini* confecto, ad attentionem excitaverit. *Menenius Agrippa*, uti testis est *Livius*, fabulâ de corporis humani membris, adversus ventrem conspirantibus, plebem Romanam a seditione revocavit. *Cardinalis Sedunensis*, in Comitiis *Bernæ* celebratis, Helvetiorum Proceres, jam jam cum Galliæ Rege fœdus inituros, relato de *vulpe*, quam agricola ceperat, apologo, deterruit, & injecto scrupulo cunctatiores reddidit. Sub *agni* pelle rapacem lupum, sub *Lupi* simili *Æsopus*, *Phædrus*, *Avienus* &c. sæviſſimum *Tyrannorum* ingenium, aliaque aliter perstrinxerunt; *Terentium* imitati, qui præcipue ante ipsos sub fictis nominum vocabulis res ipsas hominum oculis ingesserat, ut *aliorum* adspectantes dedecora, improbe quæ sua erant dediscerent, erubescerentque; utque urbis, in quâ degebat, purulentias evaporaret, vitia ejus sub blanditiis *Comicis* persecutus erat. Quod quidem tum temporis, cum

Plutarch. in Demosthen.

Flor. lib. 1. cap. 23.

Liv. lib. 2.

Lindenbruch. Ep. ad Suff. Calignon.

Rigalt. Ep. ad Thuan.

cum *Fabulatores* illi viverent, maximi usus fuit, cum quippe jam depuduerat quasi humanum genus, eaque vitia, quæ vel in ipsis brutis damnabant homines, ipsi inter sese majori flagitio perpetrare non erubescebant. Ad quam impudentiam utinam subsequentia secula, quinetiam hæc nostra, haud prope nimis accessissent, neque res quasdam, *instituendi* ergo, ut *fabulas* tantum propositas, in veras Historias nonnulli convertissent! e. g. fabulam de *Tondalo*, super angustissimo ponticulo gradiente, & gravem lignorum fasciculum portante, quâ conscientia peccatis onerata tantum innuitur; fabulam de *Georgio* equite, Draconem perforante, & Regis filiam liberante; quâ Christus Satanam vincens & Ecclesiam salvans indicatur; fabulam de *Christophoro* puerum Jesum portante, quâ imago Christiani proponitur, non nisi per multas miserias Cœlum ingredientis. Non dico tamen, *omnem* ad *hypothesin μυθικὸν* omittendam semper esse, sed *non necessariam*. Esse enim aliquando potest, ut vitari ea nec possit, nec debeat: cum nempe vel ipsum Scriptionis argumentum *hypotheticum*, quæstioque non de jure sed de factis est, vel obloquentium & opponentium importunitate, impudentiâ & morositate, a *thesi* ad *hypothesin* transeundi necessitas *Scriptori* imponitur; vel in materiâ *favorabili* (nullum enim hinc offensionis periculum) res tractanda sine amplificationibus *hypotheticis* explicari & illustrari non potest.

IV. (3) Scriptio *levis* esse debet & *mansueta*, nullo actimoniæ sale adspersa. Gloriari

riari posse oportet ingenuum *Scriptorem* cum Nasone:

Ovid. in Ibin.

Tempus ad hoc lustris jam bis mihi quinque peractis,
Omne fuit Musæ carmen inerme *meæ;*
Nullaque, *quæ possit, scriptis tot millibus, extat*
Litera *Nasonis*, sanguinolenta *legi.*

Neque enim amara alliciunt, sed deterrent; optimumque tum *verbis* tum *Scriptis* inculcandorum condimentum est pia humilisque illa *suaviloquentia*, quam in *Basilio* ita exosculati sunt Veteres. Nemo unquam styli *acerbitate* & caninâ facundiâ rite insinuavit generosis pectoribus, sed corrupit potius, quæ docere vel scribere voluit, neque lectorum suorum consulens utilitati, neque existimationi propriæ. Maximus Vir *Claudius Salmasius*, eo quod φιλεπιτιμώτερος esset, & mordaci nimium aceto sua sæpe perfunderet, adeo quidem ut vivos & mortuos, notos & ignotos, imo sine ullo discrimine amicos & inimicos unâ perticâ tractitaret, id est, eadem feritate nonnunquam exciperet, amarulentiæ suæ dehonestamentis celeberrimum suum nomen haut parum collutulavit. Nec sors melior obtigit eruditissimo Viro *Josepho Scaligero*, cum haud paucioribus scommatum cumulis in *Gilbertum Genebrardum*, *Christophorum Clavium*, imo ne Theologorum quidem parcens ordini, in *Davidem Paræum*, grassatus esset. Et quanto cum famæ propriæ, Reformationisque & ædificationis

ficationis Ecclesiarum dispendio conjuncta non fuit Beati *Lutheri* (tanti alias Viri!) nimia in scribendo vehementia & asperitas? Quam indignè is habuit *Henricum* VIII. Angliæ Regem, cum in ipsum scribens dixit: *Veniatis, Domine* Henrice, *ego docebo vos &c.* quam inclementer alios, imo omnes fere, quibuscum in arenam descendit! De ipso *Erasmus* (adscribitur id etiam *Iodoco Heschio* Carthusiano) *multa præclare monuit* Lutherus, *sed utinam civilius admonuisset! plures haberet fautores & propugnatores, & uberiorem messem demeteret Christo.* Ipse *Ambrosius Blaurerus* dixit (qui ut *patrem* alias ipsum suspiciebat, *summo* enim *Patri*, inquit alicubi in *Epistolâ* ad Melanchtonem, *qui rursum nos parturit*) Lutheri *tragœdia, quam novam nunc excitat, constanter nobis dissimulanda erit, quia non potest ullâ vel durâ vel molli tractatione mitescere illud ingenium, sed crabrones potius irritare videatur, qui paria cum ipso facere velit.* Impotentissimi sane animi *Scriptores* sunt, qui (ut alicubi Plinius) *minimum icti omnia fragoribus mox implent*, conatus aliorum Theonino dente rodunt, genuino Autores mordent, sine fronte & mente in eos debacchantur, *res* non tantum arguunt, sed & *syllabas* sæpe, verborumque *cortices*, Grammaticale bellum super eis excitant, dissentientes a se stultos, bardos, bliteos, stupidos, imperitos, vel (uti Gentiles olim Christianos) *hebetes, brutos, fatui & obtusi pectoris* esse clamant, peccare (uti loquitur Scriptura) *hominem facientes verbo* חטיא (est Hebraismus) id est, pecca-

Erasm. Ep. ad Pet. Rabir.

Hesch. Ep. ad Vadian. A. 1522.

Blaurer. Ep ad Melanchr. cod. Ann.

Scultet. Annal. pag. m. 115.

Fritsch. de cavend. calumniandi libid.

Arnob. cont. Gent. lib. 2. &, 3.

Vatabl. in Es. 29. 21.

peccatum ei imputantes, vel peccati reum peragentes propter *unum* verbum, litemque ei ob exiguum sæpenumero errorem contentione nimis moventes; licet quæstio aliquando tantum sit de tribus *Posthumi* capellis, & lanâ caprinâ, hoc est, de materiâ ne Theologicâ quidem, multo minus fidei, sed mere quodlibeticâ: ut si vel asinus (uti in proverbio est) canem tantum momorderit; prout *de Augusto* fertur, quod ob coturnicem jugulatam *Eretem*, Ægypti Procuratorem, suspendi jusserit; de *Vedio Pollione*, quod ob vas chrystallinum fractum murænis aliquem objecerit; & de *Scythis*, quod ob scyphi lignei furtum homines morte mulctârint, aliique alios ob causas non causas, id est, leves variigeneris contumeliis affecerint. In re tandem lubricâ & perplexâ, quæ diversos ut plurimum sensus explicatusque ferre potest, de quâ dicendum omnium pene calculo est,

Turett. Theol. Elenct. p. 1. in Præfat.

Martial. Ep. lib. 6. Ep. 19.

Diversum sentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitiâ,

siquis vacillasse vel titubasse forsan videatur, mox præsto sunt, ut labantem impellant, jacentem calcent, nequaquam ei parcant, e contra errorem ejus exaggerent, amplificent, acerbe incessent, acsi omnis veritatis momentum, Reipublicæ tranquillitas, imo animarum salus in eo verteretur; deque ipso, qui in eum forte incidit, ut justo devictoque jam hoste triumphent non tantum, sed & alios triumphare faciant, isque (ut non invenustè nonnemo) *qui vel*

in ullum *lapidem forte impegerit*, *veluti mille statim obtrectationibus*, *tanquam de* lapide emptus *tantum esset*, foret *objiciendus*. Melius certe, quam hi, animatus, atque a mordaci & rixoso hoc genio alienior fuit Magnus noster *Gronovius*. Sic Ille Lectori suo: *Fruere & bonis nostris fave*, *malis indulge*, *non ut* dissimules (*cupio & ipse me*, *& si qui a me inscio deduci possint*, *ab errore liberari*) *sed*, *quod non mea magis quam tua interest*, *ut liberaliter & eleganter castiges*. Cui dignus est qui jungatur *Johannes Morinus*, de quo etiam ante. Hic enim *a Josepho Maria Suaresio* literis monitus, quod nævos aliquos in Libro ejus observasset & notasset, mellitis ei hisce rescripsit verbis: *Nævos esse non dubito*, *si nulli notarentur*, *hoc amicitiæ condonarem*, *diligentiæ meæ non vindicarem*. *Verum quicunque illi sunt*, *summo beneficio me afficies*, *si horum me admoneueris*, *illos statim carâ*, *ut ajunt*, *obedientiâ abstergam*, *abliterabo*, *delebo*, *avellam*. *Judicium enim suum retractare nefas esse existimo*, *longissimeque absum ab eorum sententiâ*, *qui* nævos *suos* lumina *credunt*. Candide sane & generose! Estque profecto, contraria *scribendi* ratio non exigua exulceratorum temporum calamitas, Scriptoribus Lectoribusque non minus damnosa, quam Deo, *lenitatis* Doctori, & *maledicentiæ* osori invisa & ingrata. Neque eluere hanc maculam *Scriptor* rite censendus est, si prior forte adversarius maledictis ipsum incesserit: haud enim malo malum rependere, sed malitiam bonitate devincere Christiani hominis retaliatio est, hæcque glorioſissi-

Bertram. Exam. Inscript. Antiqu. pag. 53.

Gronov. de Pecun. Vet. in Præfat.

Morin. Antiqq. Orientat. pag. m 169.

Tertullian. de Patient. cap. 18. & cap. 8.

ma ejus victoria, contemtores suos, non mordacitate, sed contemtu potius & silentio, quandoque etiam modestâ quasi ἀναιδησίᾳ superare. Aurea *aurei Oris* verba sunt: τοῦτο ἡ λαμπρὰ νίκη, τὸ πλέον αὐτῷ παρέχειν ἢ βούλεται, καὶ τὸν ὄρον τῆς πονηρᾶς ἐπιθυμίας αὐτοῦ τῇ ἀφθονίᾳ τῆς ἰδικῆς ὑπερβῆναι μοχθηρίας. *Hæc est* splendida victoria, *plus illi* [adversario] *concedere, quam ipse velit, & metas malæ illius cupiditatis propria* lenitatis *abundantia superare*. Chrisost. in Roman. 7.

Nempe ideo quis te lædit, ut doleas, quia fructus *lædentis* in dolore *læsi* est; cum ergo fructum ejus everteris non dolendo, nec recalcitrando, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. Scitè in *Epictetum* Arrianus: *Confer maledicta in lapidem, quid, quæso, efficies? Quod si quis ista audiat tanquam lapis, quid, quæso, proficiet conviciator? at si imbecillitatem ejus, cui convicia fiunt, tanquam suggestum quoddam nactus sit is, qui maledicit, tum certe multum profecit.* Arriar. in Epict. lib. 1. cap. 25.

Maximè cum contumeliæ *opinio* magis nos fere excruciet, quam contumelia ipsa. Sic ipse *Epictetus*: Μέμνησο, ὅτι οὐχ ὁ λοιδορῶν, ἢ τύπτων ὑβρίζει, ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ τούτων, ὡς ὑβριζόντων; ὅταν οὖν ἐρεθίσῃ σε τις, ἴσθι ὅτι ἡ σὴ σε ὑπόληψις ἠρέθισε. *Memento, non eum, qui convicietur aut verberet, autorem esse contumeliæ, sed opinionem de eis, tanquam contumeliosis. Cum igitur quisquam te irritârit*, opinione *tuâ irritatum te esse cogita.* Epict. Enchirid. cap. 27.

Ita homo *paganus*, adde ei & *Christianum*, memoratum

ritum nempe Chryſoſtomum. Ita hic: *ὕβρις οὐκ ἀπὸ τῆς γνώμης τῶν ὑβριζόντων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς διαθέσεως τῶν πασχόντων ἢ συνήθειαν ἢ ἀπόλυσιν.* *Ignominia non a mente eorum eſt, qui ed afficiunt, ſed ab affectu eorum, qui patiuntur illam, aut aliquam aut nullam vim habent.* Chryſoſtom. de everſ. Stat. Orat. 1.

Laudabiliter hinc Auguſtinus *Petiliano* Donatiſtæ, improperanti ſibi, quod *Manichæorum* eſſet *preſbyter*, Tertullus *Pauli accuſator*, ſuorum *verborum fur*, Carneadis *Academici ingenium habens, quo potuit omnia incerta, & nives, cum albæ ſint, nigras efficere* &c. non niſi hæc repoſuit verba: *Si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici eſſemus? ut ii, qui nos legerent, alii deteſtatos abjicerent ſana gravitate, alii ſuaviter malevolâ haurirent voluntate?* dicerent ſaltem, *cum Bythio Bacchus eſt commiſſus.* Prout idem Eccleſiæ Antiſtes ſolitâ hâc ſuâ μακροθυμίᾳ adverſus quoſvis pene hæreticos nihil non valuit, imo effecit. Plurimas enim utcunque iiſcum haberet conflictationes, quorum alii miris technis ſtudebant eludere pondus veritatis, alii ſuperfluis & alienis tergiverſationibus tempus eximere, alii convitiis a diſputatione ad jurgium provocare, alii ſtolidiſſimis reſponſis vexare & fatigare contra differentem; nihil eorum impedire tamen potuit, quo minus Vir ſagaciſſimus & conſtantiſſimus rem urgeret, repetens, iterans, inculcans, quæ utrimque dicta fuerant, idque tam dilucide tam explanate, ut imperita quoque multitudo perviderent, nihil adverſantibus reliquum Auguſtin. lib. 3. contra Petil. cap. 17. Euripid. in Jaſon. Urſin. Theolog. Symbolic. §. 45.

esse præter meram impudentiam. *Atque hac mansuetudine* (inquit Erasmus) *cum instantiâ pertinaci conjunctâ sanavit eorum plurimos, devicit omnes.* Et alio loco: *Sic* Augustinus *refellit furiosos* Donatistas, *& plus quam insanos* Manichæos, *ut & citra rei meritum sæviat, & charitatis dulcedinem ubique admisceat, salutem eorum sitiens, non exitium. Hæc dicendi* mansuetudo, *hæc dispensandi sermonis* prudentia *cepit Orbem &, quod nulla unquam arma, nulla Philosopherum subtilitas, nulla Rhetorum eloquentia, nulla vis potuit humana, sub Christi jugum misit.* Ac præcipue quidem πραότητος hujus ratio habenda est, si inter illos, qui ejusdem religionis consortes, & cætera ὁμόψυχοι sunt, lis quædam orta sit. Licet utique, imò e re nonnunquam est, erroris sui *Fratrem* monere; præit enim ipse Apostolus Gal. 2. 11. sed cum levis momenti res est, super quâ controvertitur, id est, quæ veritatis & pietatis doctrinam praxinque nullo modo convellit, imò ne arrodit vel luxat quidem, non nisi *modestè* citraque omnem mordacitatem faciendum id est, nec unquam *frater* minus *fraternè* a quoquam excipiendus: e contra omnis scriptio eo dirigenda, ut *pacem*, si absit, conciliare, si adsit, fovere & confirmare, si rupta & turbata sit, restituere & resarcire possit. Absit, ut unquam Scriptor pio cuidam symmystæ hanc similemve extorqueat querelam, qualem fudit olim Theander Calvinus: *Si decimâ* (inquit) *ex parte tantum scias, quam atrocibus probris lacerer, pro tua humanitate ingemiscas miseriis, ad quas obdurui. Undique*

Eras. Epp. lib 28. Ep. 1. & lib. 17. Ep. 18.

Calvin. Ep. 138.

dique canes allatrant, hæreticus passim vocitor. Quicquid fingi calumniarum *potest, in me congeritur. Denique me invidi & malevoli* e grege nostro *infestius oppugnant, quam aperti hostes ex Papatu.* Ἐμφανὴς Gentium Doctor: *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis* amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia *tollatur a vobis cum omni malitiâ. Estote autem invicem* benigni, *misericordes, condonantes vobis invicem, prout & Deus in Christo condonavit vobis.* Et quis certe unquam e *Fratrum* collisione fructus? imo quænam non inde turbæ, infirmorum scandala, inimicorum ludibria, Ecclesiarum pericula, quin & gravissima nonnunquam, & justissima in contendentes & altercantes Dei judicia? uti alibi ostendimus. Ephes. 4. 30. 31. 32. OTIA. Theolog. in Præfat.

V. (4) Scriptio *methodica* esse debet, & ritè *ordinata*: præsertim si peculiare argumentum sit, quod non *obiter* tantum proponere, sed ab *ipso*, ut ajunt, *fundo* eruere & pertractare intendimus; quod notandum, quia res secus habere *se* potest, si quis Opus, e diversis materiis compilatum, edere forte velit. Cuncta etenim, quæ sunt, a justâ & *venustâ* rerum *dispositione* commendantur, in aream domus, in foro cives, in campo acies; quin Orbis ipse, & universa hæc rerum compages hanc quam cernimus, pulchritudinem ab *ordine* habet, quem vel solum si in densissimis rerum Divinarum tenebris intueantur Gentiles, Numen in eo deprehendunt. Imò tanti omnibus Eruditis *ordo* est, ut vel præcipuum apud Melancht. Rhetoric. lib. 1. pag. 72.

ipsos

ipsos judiciosæ & ingeniosæ industriæ argumentum sit rerum, quæ tractantur, optima in *ordinem* collatio; dum indocti tanquam sorices, *confusionis* iudicio, ἀκρισίαν suam prodere censendi sunt. Nihil quippe, juxta Platonem, *difficilius & divinius est, quam* recte *partiri*. id est, justâ *methodo* res tractare & disponere. Doctum se hanc *artem* a *Sexto* profitetur *Marcus Antoninus* hisce verbis: καὶ τὸ καταληπτικῶς καὶ ὁδῷ ἐξευρετικὸν τε καὶ τακτικὸν τῶν εἰς βίον ἀναγκαίων δογμάτων, id est *dilucidam* etiam *ac* methodicam *cum inventionem tum &* dispositionem *decretorum ejusmodi, quæ ad vitam recte instituendam conducerent*, ab eo accepi. Dicto itaque casu *res ipsa* a Scriptore *primum* exhibenda est, sive rei tractandæ *summa* (σωματοποιεῖν id vocat *Polybius*) tum *divisione* explicanda, hujusque singulæ *partes* in ordinem rursus redigendæ, inque unâquaque earum ea primum tractanda, quæ proxime ad rei substantiam pertinent, deinde illa, quæ ei accidunt, tum siqua cognata sunt, aut contraria, mox quæ inde sequi solent commoda & incommoda, tandem quibus rationibus parari, servari, augeri, vel e contra devitari, depelli, aut minui hæc possunt: ut totus sic *Liber* corporis instar sit, e membris coadunatis decenter compositus. Attendit huc probe *Aristoteles*, minus id observavit *Seneca Philosophus*, qui ideo & vapulat *Erasmo*, aliisque: uti & *Arnobius* non tantum ut *nimius* & *inæqualis*, sed etiam tanquam *absque operis partitione confusus* ab *Hieronymo* castigatur: uti idem vitium etiam

Bodin. Libr. cit. §. in Præfat.

Antonin. de Reb. suis Lib. 1. §. 9.

Morin. Ep. ad Harlæ.

Hieronym. Ep. 13. ad Julin.

etiam ab aliis ei adscribitur. Quod miratur tamen & carpit Clar. *Hoornbekius*, qui sic in ejus laudem: *Non video quare is Scriptor mereatur ab* Hieronymo *in Epist. ad Paulin. sic notari:* Arnobius inæqualis & nimius est, & absque operis sui partitione confusus. *Mihi disertus autor videtur, & qui argumentum suum contra* Gentiles *adeo accurate & concinne pertractârit, ut adversus istos meliora dici posse, quam quæ ab antiquis illis sic bene disputata sunt, vix videam* Interim *Ordinis* Methodique rationem qui in scribendo, legendo, studendo nullam habet ex arenâ funiculum tantum nectit, scientiæque, vel eruditionis nec laude dignus est, nec nomine: cum omnia non nisi dissolute & lubrice tenere queat aut tradere, eo quod amicabilem eorum concordantiam, mutuumque, quo resplendent, lumen haud rite percipiat:

Hoornb. Vet. & Nov. Lib. 1. cap. 1. pag. 13.

Si quod præcipiti viâ
Certum desinat ordinem,
Lætos non habet exitus.

Boëth. Metr. lib. 1.

Res vero genuino *ordine* & serie qui novit, docetque, vere demum & clarè eas novit, docetque. Omnis etiam ex εὐμεθοδίᾳ, id est, legitimâ & *harmonicâ* hâc dicendorum & scribendorum *locatione* Librorum pulchritudo resultat, omnis decor, omnis εὐέρμια. *Omne* quippe (teste Philosopho) *ordinatum* pulchrum *etiam est, quia* συμμετρον. Hâc enim mediante legentium *intellectus* pleniorem multo satisfactionem ex iis recipit, quam ex infinitis syllogismorum subtilitatibus.

Aristotel. 3. Topicor. cap. 3.

bus. Ne addam, *memoriam* impense eâ juvari, dum a radicalibus & fundamentalibus incipiendo, consequentia & minima non tantum percipiuntur facilius, sed firmius etiam imprimuntur, ac tenacius hærent. Facit enim *συμπαθεία* hæc, ut cuncta, tanquam in catenâ annuli, in *Scriptione* inter se cohæreant, partesque singulæ, adinstar marinorum fluctuum, veluti altera alteram continuo impellant. *Josephus Scaliger* accuratè observati *ordinis* hujus adminiculo eo usque processisse dicitur, ut universum *Homerum* unius & viginti dierum spatio plane edidicerit: quod instar prodigii forsan quis habeat, cum Poëta ille supra *sexaginta millia* Græcorum versuum contineat; *Ilias* nempe *unum* & *triginta millia sexcentos septuaginta*, nec pauciores multo *Odyssæa*. Cum indubium alias sit, si in quadrum redacta non sint, quæ leguntur, vix bene & fructuose in iis pergere, eaque bene asservare quem posse, quæ haud bene antea, id est, *ἀμεθόδως*, & confuse incepit & excepit. Uti vero in omnibus materiis *Methodus* necessaria est, ita ante omnia in *Scripturarum* tractatione non est negligenda; licet haud defuerint olim, neque etiamnum forte desint, qui indignum judicarunt, vel judicant, Theologiæ majestatem ad *methodi* humanæ leges revocari, atque definitionum & divisionum angustiis, tanquam vinculis quibusdam & claustris constringi: obtendentes, veram Dei notitiam *cœlitus* doceri, atque adeo hominum industriâ, uti alias artes, comparari nec posse, nec debere. Hæc

Drexel. Aurifodin. part. III. cap. 10.

Sohn. Oper. tom. I. pag. 85. 86.

Gellii Snecani de id genus hominibus querela olim erat: *Spiritus S. non est* confusionis *autor*, *sed* ordinis. *Quo igitur fructu hodie quidam sibi sumunt enarrandum Dei verbum absque* methodo *uti instrumento recte secandæ Scripturæ, testis est experientia. Nimirum multa absque capite & caudâ congerentes ac inculcantes, nec ipsi ad solidam veritatis cognitionem perveniunt; neque aliquem manifestum sanæ doctrinæ profectum in auditoribus relinquunt.* Tametsi enim Sacræ litteræ, sine accuratô *ordine* exhibitæ, percipi etiam a nonnullis possint, & perceptæ forsan ab aliquibus sint, *methodo* tamen accuratâ informatæ facilius & rectius percipiuntur. Neque hâc viâ Scripturarum majestati quicquam decedit, modo *methodica* hæc earum tractatio, non e *Philosophorum* Libris, sive *hominum* commentis & inventis, sed ex principiis *Theologicis*, id est, verbo Dei exstruatur, indeque veritatem suam habeat; adhibito tantum *Dialecticæ* artis subsidio, per quam Scripturaria illa suis quæque locis collocentur. Neque dubium est, genuinam Scripturarum intelligentiam *cælitus* donari: verum haud semper *immediate* id fit (quod *Prophetis* & *Apostolis* peculiare fuit) sed ordinario *mediate*; adeo ut hanc ipsam ob causam justam intelligendorum dispositionem non minus, sed magis necessariam esse censendum sit. Haud tamen ita unquam præcisè hisce illisve *methodi* regulis adstrictam *Scriptionem* volumus, acsi ab iis pro re nata, cumque rerum tractatio alio naturali *ordine* melius videtur fluxu-

Gell. Snecan. Method. Description. fundamentor. Fid. in Præloq.

Heinf. Ep. ad Edit. Oper. Gomari.

ra,

ra, aliquatenus recedere nefas esset, absit; Rerum enim natura non ad *methodum*, ordinemque, sed *methodus* ad rerum naturam est inflectenda, ut non pes calceo, sed calceus pedi est adaptandus. *Ars*, uti loquitur Aristoteles, *naturam imitatur*, non natura artem; omnesque scientiæ earumque tractationes mensuræ non *res mensurantes*, sed *a rebus mensuratæ* sunt; uti vir sapiens *mensura rerum* vulgo dicitur, quia sese & cogitationes suas ad eas accommodat, non quod res ad suum semper arbitrium cogere vel possit, vel velit. Adde quod, ut quasi *ordinatius* procedere videamur, ea quæ scribimus, in multas nimis partes (nisi forte cum Disciplinarum *elementa* tyronibus inculcata volumus) secanda & discerpenda nunquam sint. Scribere enim argute is dici potest, qui cuncta in corollaria & conclusiones varias non distribuit, nec prius semper dicit, quid dicturus sit, antequam dicat, omneque pene argumentum, verbotim concisum non contruncat, addens fere ubique, hæc *pars* dividitur in *tres*, prima rursus in *quatuor*, atque harum singulæ iterum in ternas: *prima* ibi, *secunda*, ibi, *tertia* ibi. Hoc enim, ut, si operosius fiat, memoriæ grave est, ita frigiditatem *Scriptioni* addit, decoremque ejus & nitorem vehementer imminuit.

Aristotel. 2. Physic. cap. 1. & 10. Metaphys. text. 5.

CAP.

CAP. IV.

De Scribendorum Soliditate.

SUMMARIUM.

I. *Quibus in Libris huic imprimis incumbendum?* Cardanus *laudatus. Scriptores* ſoliditatem *negligentes notati.* Officiperdi *merito dicendi.* II. *Hos inter Excellunt* (1) Pyrrhonii & *Sceptici* (2) *Omnes, qui* pompoſos, *quibus argumentum non reſpondet, libris ſuis* titulos *præfigunt. Ambitionis hujus rei a* Plinio *peracti plerique Græci, inter Latinos* Varro, *nec non a Jacobo L. Stunica* Eraſmus. *Scripta hujuſmodi cur* oculiferia *dicta?* Κέπφον ὠνίδειν & ὑπηνέμια τίκτειν *quid?* Horatius *elucidatus.* Eraſmi & Caſauboni *lepidæ hiſtoriolæ huc pertinentes.* L. Valla *a* Poggio *perſtrictus.* Voſſii *ingenuitas laudata.*

III. *Argumentis* artificialibus *in rebus fidei prorsus potius abstinendum, quam* levibus & invalidis *certandum.* Thomæ Aquinatis *pia hanc in rem consideratio.* IV. Seponendum *ad tempus Opus, cumque Viris quibusdam Doctis* communicandum, *antequam in lucem prodeat. Epistolæ quædam* ad *Paulum Senecæ*, ut & *Paulo quædam ad* Senecam *falso adscriptæ.* Lambendus est fœtus. *Quæ phrasis unde originem traxerit, exponitur. De* Ursâ *fœtum suum, vel* informem vel formatum *ejiciente, ingens sententiarum divortium.* Stylum verteré *quid? Haud simplex* Stylorum *apud veteres usus. His, iisque quidem ferreis*, Cassianus *Martyr ab ipsis suis discipulis confossus.* V. *Scriptori, ut* limatius & solidius *scribat*, in secretiorem locum *nonnunquam secedendum. Quo in instituto* Cicero, Agellius,

lius, Neothus Adulphus Lutherus, Thomas *denique* Gathakerus *non sine fructu præluxerunt.*

I. SI cui opus concinnare animus est, quod argumenti tantùm ludicri, lectorisque non tam *ædificationi*, quam *oblectationi* destinati, sit, de eo variis validisque rationibus suffulciendo, non usque adeo videtur laborandum, cum quæ illius farinæ sunt, nec *cognita* felicem, nec *ignorata* infelicem reddere quenquam possint. At vero, si res seriæ majorisque momenti sint, quas meditatur Scriptor, curandum ipsi sedulo est, ne quædam diluta, frivola, dubia, vel verosimilia tantum de iis depromat, sed ut talia, quæ vere vera, firma, omnique exceptione majora sunt, victuris semper chartis demandet, eaque documentis adeo cogentibus muniat & confirmet, ut judicii olere acrimoniam manifestum fiat, & Lectorum assensum quam facillime elicere possint. Rite Cardanus: *Ea, quæ scribuntur*, tria *habere debent, utilitatem præsentem, certum finem, &* inexpugnabile *fundamentum.* Male utique se res habent, cum tales in scenam prodeunt Autores, ut ut magni alias nominis, qui in iis, quæ scribunt, nil nisi dictatores agunt, & quasi e *Tripode* oracula pronunciare se putant; nihil interim probantes, vel rationibus adeo levibus & elumbibus ludentes potius, quam decertantes, ut

Cardan. de Subtil. lib. 15. pag. m. 410.

innumeros in ſuorum Lectoribus ſcrupulos relinquant, nulluſque tandem, perquam ſane exiguus, exinde fructus in quenquam redundet: genuini *officiperdi*, juxta *Catonem*, id eſt, qui ſui laboris nullam remunerationem habent, imò ne merentur quidem; alii legunt *officiperdæ*. Verſiculi *Catonis* ſunt,

Cat. in verſicul.

Gratior officiis, quo ſis mage, charior eſto,
Ne nomen jubeas, quod dicitur officiperdæ.

II. Neque deſunt tamen, e contra magno numero ſunt, qui ſic proceduñt. His enim merito omnes *illos* accenſeas, (1) qui, veluti in *Pyrrhonis Elienſis* ſcholâ educati aliorum omnia arrodunt, vellicant, & *dubia* reddere tentant, dum ipſi nihil aliud quod *certius* & *ſolidius* ſit, in ſcenam producunt, διπέλωι δὲ (verba ſunt *Laërtii*) τὸ τῶν αἱρέσεων δόγματα πάντα ἀνατρέπουτες, αὐτοὶ δὲ ἐδὲν ἀποφαίνοντες δογματικῶς, *perſtantes ſectarum omnia dogmata* evertere, *nihil interea ipſi dogmatis aſſerentes*. Et quis eſt, qui *Platonem* huc etiam non referat? de quo ſic *Cicero*: Platonis *in Libris nihil* affirmatur, *& dum in utramque partem multa diſſeruntur, de omnibus* quæritur, *nihil* certi *dicitur*. In *Dialogis* quippe pleriſque per anfractuoſas diſceptationum ambages, artificio ſingulari ſibi invicem implicatas & innexas, in immenſum ferme protractâ diſſertationis ſerie, veri certique ſitiens Lector, niſi quòd dictionis amœnitate, inventionis varietate,

Joh. Sareſburienſ. Policrat. lib. 7.

Laërt. lib. 9.

Cicer. Acad. Quæſt. lib. 1.

rietate, ſtructuræque elegantiâ, quæ feſſum interim reficiant, dum delinitur, detinetur, logis longis ac lacinioſis pene delaſſatus, cum quod pro *certo* ſtatuatur *nihil* occurrat, in quo pedem figat, nec jam animi pendens, opinatione dubitationeque omni depoſitâ, *firmus* conſiſtat, ac ſecurus acquieſcat, vix aut ne vix quidem deprehendere queat. Atque ita, juxta hos

Gathak. Præfat. in Antonin. * 3. b.

Α'υθς ὅμως ἐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι πέπηκται.

Certi *aliquid nemo novit*; *ſed* opinio *cuncta eſt.*

(2) Qui ut merces ſuas papyraceas commendabilius extrudant, affectatas quaſdam vocum cupedias plenis veluti buccis ructant, & uſque adeo magnifica quædam pompoſis *Librorum* ſuorum *titulis* (*Inſcriptionum feſtivitates*, vel *inſcripta nimis lepida*, *multaſque prorſus concinnitates redolentia*, vocat *Agellius*) promittunt, ac ſi lactis gallinacei hauſtum videantur propinaturi, *Pindarico* huic effato nimium forte innixi,

Pare. Lexic. Critic. pag. 815. Gell. lib. 20. cap. 11.

Α'ρχομένυ ἔργυ πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές.

Oportet, *ut cujuſque operis* frontiſpicium *ſit præfulgidum.*

Pindar. Olymp. 5.

Irridet in *Græcis* ambitionem hanc *Plinius*; eamque inter *Latinos M. Terentium Varronem*, in Satyris ſuis *Seſqui-Ulyſſe* & *Flexibulis* haud ſatis vitaſſe aſſerit; ejuſdem rei *Eraſmum* agit *Jacobus Lopes Stunica*, ſic loquens

Auſon. Popm. Conjectan. in Varron. Fragment. pag. m. 166.

loquens *de Annotatis illius* in N. T. *Pervenit tandem ad me* Erasmicus *ille* Codex *numeroso Poœmiorum ambitu veluti satellitio præmunitus, perpulcris literarum figuris* Græce & Latine, *deformatus, ac* titulum *in fronte gestans, qui &* Autoris *nomen, &* Operis *argumentum* magnificis *quidem* verbis, & admiranda *quædam ac pene* παράδοξα *pollicentibus præ se ferre videbatur.* Scripta hujusmodi *oculiferia*, vel, ut alii, *oclifera* sive *ocliferia* apud Autores dicuntur; quod splendore suo imperitorum *oculos* quasi *feriant*, & tantum non fascinent. De his Seneca: *Non habemus* (inquit) *ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inventurum, cum intraverit, præter illa, quæ* in fronte *suspensa sunt.* In quæ verba hæc notavit Lipsius: *Licebat & decebat in textu poni vocem libris aliquot assertam*, oculiferia, *sive* ocliferia; *nam veritas ita est, & sententia poscit. Non habemus nos* (addit) *ut in tabernis, exposita quædam cum* titulis, *aut per se splendentia, quæ* oculos feriunt, *aut transeuntes ad emendum alliciunt.* Nam quid, quæso, est quod præstant speciosi illi nundinatores cerussatis suis στηλογραφίαις? cum liberanda fides est, κέπφον ὠνίδειν, *cepphum* vel larum *parturire* dixeris, id est, nil nisi *Acci Iliades*, & fumos *vendere*; animalculis illis haut absimiles, qui, dum veneris imaginatione ova concepêre, nil tamen nisi *subventanea* pariunt: quod Græci ὑπηνέμια τίκτειν, vocant. Adeo ut non immeritò tales roges, quod habet Horatius:

Stunic. Annot. c. Erasm. in Prolog.

Senec. Ep. 33. 88. 92.

Lips. in Senec. Ep. 33. & Elect. lib. 1. cap. 16.

am-

amphora cœpit
Institui currente rota, cur urceus exit? Horat. de Art. Poëtic. vers. 21.

Quem locum sic παραφράζει *Turnebus*, & qui vitulâ ejus passim arat, Pulmannus: *Magnificè eximieque poëma es exorsus, quod & ambitiosis descriptionibus excolere & exornare tentasti: sed nescio quomodo impar oneri succubuisti: &* magnum opus *aggressus, in* opusculum *desiisti, amphoramque amplam fingere auspicatus, parvum nobis* urceolum *effinxisti.* Fitque adeo *Liber*, qui sic editur, nihil fere aliud, quam maledicta ficus, quæ lectoris spem ludit, id est, multa quidem ostentat, sed vix quicquam profert. *Quorum scripta* (inquit iterum Seneca) *clarum tantum* nomen *habent, cætera* exanguia *sunt. Instruunt, disputant, cavillantur, non faciunt* animum, *quia non habent*: de quibusque Lucianus, Ὀστᾶ μόνον ὁρῶ καὶ κρανία, τῶν σαρκῶν γυμνᾶ. *Ossa tantum video, & calvarias carnibus denudatas.* Forte quod exiguæ difficultatis negotium *esse* putent, qui sic faciunt, *dicere* & *conscribillare* multa, nihil vero *probare*; cum e contra vix quisquam omnia, quæ *scribit*, tam facile, ac vulpes pyrum comest, invictis rationibus possit confirmare. Τὸ μὲν (inquit *Nazianzenus*) ἐπιτιμᾶν οὗ μέγα ῥᾶστον γὰρ καὶ τοῦ βουλομένου παντός: τὸ δὲ ἀντεισάγειν τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀνδρὸς εὐσεβοῦς καὶ νοῦν ἔχοντες. *Alienam enim sententiam explodere non magnum, imo facillimum cuivis est*, suam *vero contra* probare *viri est plane cum pii tum prudentis.*

Turneb. Adverſ. lib. 19. cap. 9.

Senec. Ep. 65.

Lucian.

Nazianz. de Theolog. lib. 3.

Exemplum hujusmodi Scriptoris est apud *Erasmum* nostrum: *Vix hæc scribens* (ait) *a risu tempero, cum recordor Calliphanis cujusdam, quem olim cognovi, cum in familiâ Charissimi Patris*, Henrici Bergensis, *Episcopi* Cameracini *versarer, sed nomini parcetur propter convictum domesticum. Is permulta volumina concinnabat exornabatque, sed chartis inanibus, nisi quod in fronte videre erat* magnificos *quosdam* titulos, *velut* Carminum, Orationum, Epistolarum. *Singulis præscriptum erat hominis tergeminum nomen, ut qui* titulos *forte legissent, crederent eruditum, & in* litteris *multa magnaque molientem.* Neque hoc melior fuit δοκησισοφος ille *Parasinus*, de quo ad *Scaligerum* sequentem in modum *Casaubonus*: Jussit *is* (ait) *me si se vellem videre, ad se accedere. Cum imperio paruissem, & ad fores accessissem, ecce aliud* ἐπίταγμα, *adscenderem in* Maulii *hujus Musæum. Veni igitur, & vidi tandem. Quid ego tibi nunc commemorem sermones se & sua solum mirantis, aliena autem omnia fastidientis? Monstrata est nobis incredibilis* Librorum *edendorum copia, quibus omne scribile contineretur. Alii foruli* commentarios *in Libros* Juris Civilis *continebant*; alii *Romanæ* ἀρχαιολογίας *locos communes sic elaboratos, ut nihil pote melius*; alii *interpretationem* præcipuorum *Aristotelis Librorum. Sed omnium capacissimi fuere, qui capiebant Magistri hujus Dictata in optimos quosque Scriptores, Latinæ Græcæque linguæ; quæ ille ajebat annorum viginti spatio confecisse, & de superiore loco suis dictasse. Nam* Pythagoræ carmen

Erasm. Adag. pag. m. 637.

Casaubon. Ep. 429.

carmen & Martialem, *quæ duo sola, ut opinor sunt adhuc ab eo publicata, aliud agenti sibi juveni excidisse, neque se illa pro suis jam agnoscere. Toto genere διαφέρειν quæ lateant in scriniis, tum demum publicanda, cum omnes docti errores suos publicaverint.* Scilicet

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu!

Et quid *Poggius Florentinus* in *Vallam*? (jurene an injuriâ alii judicent) *Persimilis* (inquit) *est* Valla *noster homini ridiculo: qui cum aliquando se ex quadam turri volaturum certo die profiteretur; & populus ad id spectaculum convenisset: homines suspensos variis alarum ostentationibus ad noctem usque detinuit. Deinde omnibus volatum cupide exspectantibus: populo culum ostendit. Ita* (pergit) *Laurentius noster post multas atque ingentes verborum pollicitationes: post tantam expectationem promissorum: tandem non quidem culum, ut ille, sed volantis cerebri insaniam, & pergrandem ignorantiæ supellectilem ostendit.* Aliter sane, quam hujusmodi homines, se habuit Magnus *Vossius*, cujus de *Idololatriâ Gentilium* Libris hoc olim elogium scripsit Grotius: *Proximis diebus aliquid nactus otii, legi ea, quâ omnia tua soleo, aviditate ac animi affectu, tua de* Idololatriâ; *in quo contra feci sti, quam nunc fieri solet: plerique enim* titulos *suos opere non implent: tu aliter nos decipis, plus dando, quam eras pollicitus.*

Pogg. apud. Vall. Invectiv. lib. 1.

Præfat. ad Matt. Voss. Annal. Holland.

III. Non dico, quemcunque ac ubivis quidem *soliditatem* hanc assequi posse, cum

multa, ut ut veriſſima, nobis tamen ex æquo demonſtrabilia non ſint; verum tamen σὺν δεῖ σὺν ἀσπίδι, id eſt, nullo non conamine enitendum eò eſt, anxiâque cavendum curâ; ne adeo unquam arrogantiæ ſupercilio tumidus *Scriptor* quis ſit, tantoque propriæ auctoritatis & ἀξιοπιστίας turgeat vento, ut dicenti & dictanti tantum ſibi ullam a Lectoribus (imprimis generoſiores ſi ſint) fidem adhibendam eſſe cogitet. Neque *enim* (ut recte Tullius) *tam autoris in diſputando, quam* rationum *momenta quærenda ſunt.* Imo vero tam præfractè *ſoliditatis* hujus ſtudio incumbendum eſt, ut e re, imo neceſſarium nonnullis caſibus ſit, ſpeciatim cum res *fidei* tractandæ veniunt, omni potiùs argumentatione abſtinere, quam talibus quicquam velle aſtruere rationibus, quæ rem aſſerendam peremtoriè & ἀποδικτικῶς non evincant. Neglectum hoc ſuo tempore videns *Thomas Aquinas*, taleſque eſſe, qui ipſam SS. *Trinitatem* ratiociniis humanis probare nitebantur, hoc eos ea propter caſtigavit modo: *Qui autem* Trinitatem Perſonarum *probare nititur* naturali ratione, *dupliciter fidei derogat*: Primo *quidem quantum ad dignitatem ipſius Fidei, quæ eſt, ut ſit de rebus* inviſibilibus, *quæ rationem humanam excedunt.* Secundo *quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem; cum enim aliquis ad probandam fidem rationes inducit non cogentes, cedit in irriſionem infidelium, quod ejuſmodi rationibus nitantur Chriſtiani Orthodoxi, ac ea propter credant.*

Cicer. de Natur. Deor. lib. 1. fol. m. 173.

Thom. part. 1. qu. 32. art. 3.

IV. Tu-

IV. Tutissimè ergo procedent, qui mox memorati *Vossii* consilio se duci hic sinent. *Conducibile est* (dicit) *priusquam Labores suos quisquam divulget, ut non contentus secum singula serio expendere, etiam* Pliniano *more communicet duobus vel tribus Viris doctis, prudentibus & benevolis, eorum judicia exposcat, imò ubi indagine majore opus, judicia etiam annotet, quo per otium accuratius singula expendat. Imo apud Veteres & ille laudabilissimus mos erat, coram frequenti sua auditorio legere, & ex singulorum vultibus tum laudes tum culpas observare.* Hoc etenim pacto *plurium* quasi opus sit *Liber*, qui alias *unius* tantum *esset*: juxta vero *Homerum* nunquam non

Voss. de Cognit. sui pag. 31.

Πλειόων. Τοι ἔργον ἄμεινον.

Melior multorum *est labor.*

Homer. Iliad. μ.

sive, uti apud *Hesiodum* est, πλείων πλειόνων μελέτη, *efficacior* est plurium *industria.* Fecit ita inter multos, facere saltem decreverat Autor *Epistolæ* 2. ad *Paulum* datæ, quæ *Senecæ* ab aliquibus, sed falso, adscribitur: *Quædam* (ait) *ordinavi volumina, & divisionibus statum iis dedi: ea quoque legere Cæsari sum destinatus: & si modo fors prospere adnuerit, eris forsan & tu præsens. Sin alias, reddam tibi diem, ut* invicem hoc Opus inspiciamus. *Decreveram non prius edere ei hanc Scripturam*, nisi prius tecum conferrem, *si modo impune hoc fieri potuisset.* Dixi, *falso* hanc Epistolam *Senecæ* adscribi, ut & quasdam alias, ac vicissim *Paulo* nonnullas ad *Senecam* (quæ apud

Hesiod. Oper. & Dies.

Hieron. lib. de Vir. Illustrib.

Augustin. Ep. 53. ad Macedon.

Sixtum

Sixt. Senenf. lib. 3.

Sixtum Senenſem videri poſſunt) quia hæ *tum* ſententiis *tum* phraſibus cum aliis *Pauli* & *Senecæ* epiſtolis haud magis conveniunt, quam cantillantium luſciniarum voces cum ingratiſſimâ corvi cujuſdam crocitatione, uti ab aliis demonſtratum eſt. Neque aliud *Fulgentii* propoſitum fuit, cujus hæc ad *Monimum* verba ſunt: *Ibi te nobiſcum ad Carthaginem poſito, mihi dicta ejus allata ſunt. Et ſi bene recolo, etiam in tuam notitiam pervenerunt. Nihil enim, te ibi poſito, legere poſſem*, quod tibi recenſendum offerre *non poſſem*. Idem feciſſe ſe fatetur B. *Cornelius Bertramus* in Lucubrationibus ſuis *Franktalienſibus*, quas *Biblia Critica* nobis exhibent. Quin & hoc prudenter addet *Scriptor*, ut Opus jam concinnatum ſeponat ad tempus, poſtmodumque ad illud, refrigerato inventionis deſiderio & ardore, tanquam ad *alienum* redeat, ut *lector*, non ut *autor*. Quoniam ex eâ retardatione judicium haud parum expoliri & limari poteſt, omniaque, quæ ſcribuntur, ſolidioribus inædificari firmamentis. Evenit enim alias, ſi juſto, quæ offeruntur, talo non ſtent, ſed evanidum tantum veri colorem præ ſe ferant, ut a *Librorum*, ad avidam diſcendi ſcicndique ſpecioſo ſuo fuco famem pellicientium, inani lectione, ad quam quaſi famelici veneramus, adeo recedamus jejuni, quaſi eos ne unquam quidem vidiſſemus vel legiſſemus. *Lambendus fœtus* eſt, antequam in hominum procedat adſpectum. Quod (uti notum) in proverbium abiit, ab ejuſmodi deſumptum animalibus, quæ pullos, jam exclu-

Hoornb. Vet. & Nov. pag. 46.

Fulgent. in Oper. Prolog.

Bertram. in Dedicat.

Quintil. lib. 10. cap. 4. pag. m. 584.

cluſos,

cluſos, linguâ ſuâ tam diu lingunt relinguntque, donec, omnibus abſterſis ſordibus, publico eos exponant. Sic Virgilius, *Georgica* ſua ſcribens, plurimos indies méditatos verſus dictare ſolebat, ac per totum diem retractando, ad pauciſſimos eos redigere; non abſurde *ſe carmen* urſæ *more parere* dicens, & lambendo *demum effingere*. Donat. in Vit. Virgil. Ælian. Hiſtor. Anim. lib. 2. cap. 19.

Sic formatlinguâ fœtum non protulit urſa,

inquit *Petronius*. Quod tamen an vere ita fiat, non una omnium ſententia eſt: affirmant *Ariſtoteles*, *Solinus*, *Plinius*, *Ælianus*, *Ovidius*, *Ambroſius*; in dubium vocant, imo apertè negant *Laurentius*, *Voſſius*, *Matthiolus*, *Julius Scaliger*, qui poſtremus contrariæ experientiæ hoc exemplum adfert: *Urſam fœtus* informes *potius ejicere, quam parere, ſi vera dicunt, quos poſtea effingat linctu; quid hujuſce fabulæ autoribus fidei habendum ex hac hiſtoriâ cognoſces*: *In noſtris* Alpibus *venatores fœtam* urſam *cepere, diſſectâ eâ*, fœtus *plane* formatus *intus inventus eſt*. Ergo *fabulam* rem vocat, ut & *Voſſius* alicubi, hinc ortam; *partim quod craſſæ admodum Urſarum ſecundinæ ſint, partim inde quod* lambant fœtus *ſuos*. Id vero cum & alia animalia faciant, addit *Bochartus*, *quod* accurate *eos lambant*, id eſt, diutius forte & ſtudioſius, ac animalia cætera. Quicquid ſit, ſaltem *phraſiologia* hæc inde orta eſt: quâ proinde in laudem etiam eruditiſſimi *Urſini* uſus eſt Cl. Dilherrus. Voſſ. de Idolol. lib. 3. cap. 54. Scalig. Exercit. 6. 15. & 182. 2. Brown. Pſeudodox. Epidem cap. 6. Bochart. in Hiero. loic. part. 1. lib. 3. cap. 9.

Sit

Ursin. Præfat. ad Theolog. Symbolic.

Sic, Ursine, *tuum* lambis, *Doctissime* fœtum,
In lucem ut nullâ labe notatus eat.

Quod vero per *fœtum lambere* hunc in sensum Virgilius & Dilherrus, id per *stylum vertere* expressit Horatius:

Horat. Satur. lib. 1. Satyr. 10.

Sæpe stylum vertas, *iterum quæ digna legi sunt*,
Scripturus.

Vertit ille *stylum*, qui cum ante ejus *acumine* scriberet, invertit calamum, & alteram ejus ad delendum partem adhibet. Nempe literæ olim *tabulis* insculpebantur iisque ceratis, ubi *styli* usus erat; cujus partem, quâ scribebant, *acumen* nuncupabant; unde alibi Cicero *omnia* acumen styli *subeant*. Altera ejus pars obtusa erat, quâ in cerâ verba ea, quæ non placebant, inducebant, & ceram rursus complanabant. Atque hinc *stylum vertere* Poëtæ nostro nihil aliud est, quam quod haud bene scriptum est delere & expungere, ejusque loco melius quid substituere. Spectavit huc forte Prudentius, (referens, quomodo *Cassianus* Martyr discipulorum suorum pugillaribus & ferreis *stylis* in foro *Corneliano* interfectus olim sit)

Cicer. de Orat. 143.

Prudent. περὶ στεφάν. Hymn. 9. pag. m. 111. 112.

—— stimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis sulcis scribitur;
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti.
Rursum nitescens innovatur area;

Ut

ut & hoc *Jeremiæ* cap. 17. vers 1, *Peccatum Judæ scriptum est* stylo *ferreo & stylo adamantino exaratum super tabulam cordis eorum.* Quidam etiam ad *agros* alludi putant, qui, ut melius comminuantur ac præparentur, aratro scindi solent, ubi multiplex *versura* locum tum habet, quando, post peractum legitimum sulcum, circumaguntur & convertuntur. Unde & esse existimant, quod τὸ *scribere* per in chartâ aliquid *exarare, perarare, inarare* nonnunquam indicetur. Sed res eodem redit. Quid tum *Virgilius* tum *Horatius* velint satis liquet. Rem ipsam præstitisse, id est, tum deleviſse & expunxisse aliquid in scribendo, tum melius quid reposuisse, reponere saltem voluisse, videtur Imperator *Nero*, de quo sic Suetonius: *Apparebat facile, non translatos aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante & generante* (nempe *versus* ejus in Chirographo *exaratos esse; ita multa & deleta & inducta* & superscripta *erant.* Etiam Chrysippus Salensis *mandabat literis, ac* sæpe emendabat, *magnâque testimoniorum nube utebatur*, inquit *Laërtius.* Atque hoc ipsum quidem quoniam nimis neglexerunt, qui describendis *Libris* victum olim quæritabant, nec quæ perperam scripserant, uti fas erat, *deleverunt*, ne nempe *Libros* suos, multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, hoc inde ortum est incommodum, ut innumerabilem errorum copiam in omne *Scriptorum* genus turpiter invexerint, non sine insigni Rei literariæ detrimento. Proinde quod Autoribus est *fatum lambere & stylum vertere*

Turneb. Advers. lib. 14. cap. 24.

Gevart. Lect. Papinian. cap. 1. pag. 12.

Sueton. in Neron. cap. 52.

Laërt. lib. 7. pag. m. 271.

tere significat etiam sollicite curare, & gnaviter laborare, ut polite & *solidè* in lucem prodeant, quæ donata publico volumus; quod hic commendamus.

V. Neque *scribentibus* tandem in *secretiorem* quendam *locum* pro tempore *secessus* forte oberit; qui quippe minus cogitationum & meditationum distractionibus obnoxius, multo e contra ad limandos & exasciandos conceptus accommodatior est. Nempe dispersos spiritus veluti colligit *solitudo*, & in unum collectos majori vi & robore, quod cogitandum *& scribendum* est, præstare facit: mensque nullis tum aliis objectis intercepta liberius in id unicè fertur, quod pertractandum sibi sumpsit. Abibat hinc *Cicero* libros parturiens, in *villulam* suam, quam & *Academiam* ideo nuncupavit. *Gellius* de industriâ *Athenas*, & quidem in *agrum* profectus est, ut *Noctes* suas *Atticas*, extra hominum & negotiorum strepitum constitutus, accuratius ibi concinnaret. *Atticas* illas dixit, *& Noctes* quidem, quod, quæ de die ex vivis & mortuis hauserat, *nocte* conscribillaret, idque *Athenis* quidem, ubi nobilissimum quippe orbis terrarum gymnasium erat; quare & glorioſa ipsis nomina adhæserunt: *Thucididi* dictæ sunt παιδευσις Ελλάδος; Aristidi σοφιας πρυτανεῖον; Straboni σοφῶν οἰκητήριον; Diodoro κοινον παντων ανθρώπων παιδευτήριον; Demostheni ψυχὴ καὶ ἥλιος καὶ ὀφθαλμὸς ἑλλάδος. De *Neoto Adulpho* literis etiam proditum est, quod cum in *Glasconiensi Cœnobio* monachum aliquamdiu egisset, postea

Plin. lib. 31. cap. 2.

Gell. N. A. lib. 20. cap. 1.

ſtea cum *libris* ſuis in *Cornubiæ ſolitudinem* receſſerit, atque inde, poſtquam per ſeptennium ſedulam SS. Literis operam navaſſet, reverſus, ore, opere & calamo rem Chriſtianam egregie juverit. Et quorſum *Luthero* ſua *Pathmos*? ſeceſſit eò ſubinde, cum ad *ſcribendum* accingere ſe vellet; legit ibi Biblia *Hebraica* & *Græca*, Commentarios varios elaboravit, præter quamplurimas ad Amicos *Epiſtolas*, quæ publici juris poſtea factæ ſunt. Accedat tandem Vir ſummus *Thomas Gathakerus*, qui eruditiſſimum ſuum opus in *Antoninum Pium*, in agri Surrejenſis *pago*, a negotiorum aliorum commercio ſemotus, uti ipſe refert, conſarcinavit.

Melch. Adam de Vit. Theolog. German. pag. m. 122.

Gathak. in Antonin. in Præloq.

CAP. V.

De ſcribendorum Perſpicuitate.

SUMMARIUM.

I. *Libri* perſpicuitas *quouſque extendere ſe debeat?* Auguſtus & Agellius *ob eam commendatiſſimi. Locus* Eſaiæ 8. 1. *explanatus.* Athanaſii *laus.* Stylus hominis *Eſ.* 8. 1. *quid? Cur per* Epiſtolas *potius, quam qualicunque alio docendi genere, Euange-*

lium propagarint Apoſtoli? Singularis in perſpicuitate perſuadendi *vis. Quæ tum in* Cypriano *tum in* Johanne *Apoſtolo non vulgariter emicuit.* II. *Ariſtoteles* obſcuritatem *non affectavit. Majori jure* Platoni *id adſcriptum. Unde* involuta *ſæpe acceptiora, quam* evoluta? *Multi* videri *eruditi malunt, quem eſſe. Atque hinc ſæpe* perplexa *ſcribendi ratio.* Eraſmi & Quintiliani *de hoc querelæ. Quo caſu ſtylus* involutior *aliquatenus excuſandus?* Tiberius *propter* obſcuritatem *notatus. Quid intendere cenſendi ſunt, qui* obſcuri *in ſcribendo eſſe geſtiunt?* Jovinianus *falsè ea propter ab* Hieronymo *perſtrictus.* III. Heraclitus, Epicurus, Carneades Cyrenæus *Scriptores σκοτεινοί.* Obſcuri & *involuti ſtyli nulla utilitas.* Favorini Philoſophi *cum Juvene*, priſcis & obſcuris *verbis nimiopere intento, gravis*

ex-

expostulatio. M. Antonius insanus *hâc de causa ab* Augusto *dictus.* IV. Facunde & perspicue *scribere non sunt* ἀσύνταξα. Ciceronis *laus.* Apuleji *stylus taxatus.* Grammaticis placere sine Grammaticis *Martiali quid?*

I. POst Soliditatem *Perspicuitatis* ratio etiam habenda est; ita ut *Scriptoris* mens ipsi quasi cœco apparere possit, sive (ut alicubi Tertullianus) *tam clarum sit, quid velit, ut Solis radiis scriptum esse videri possit*, speculumque animi ejus sit *Liber*, quem publicum facit. Tribuit id per excellentiam Cæsari *Augusto* Suetonius hisce verbis: *Genus loquendi secutus est elegans & temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate*, & reconditorum (*ut ipse dicit*) *fœtoribus*, *præcipuamque curam duxit, sensum animi quam* apertissime *exprimere.* Nec non A. Gellius: *Cum Librum* (inquit) *Epistolarum Divi Augusti*, *quas ad* Cajum *nepotem suum scripsit*, *legeremus*, *ducereturque elegantiâ orationis neque morosâ*, *neque anxiâ*, *sed* facili *hercle* & simplici. Obvia esse oportet, præsertim si eruditis non tantum, sed & communi ædificationi, institutioni saltem dicata sint, quæ promimus, non iis duntaxat, qui scholis formati, bibliothecis exercitati, Academiis porticibusque partam sapientiam ructant, sed

Tertullian. de Resur. Carn. cap. 47.

Sueton. August. cap. 86.

Gell. Noct. Attic. lib. 25. cap. 7.

eis etiam, qui simpliciores, imo de compito, de trivio, & veluti de textrinâ toti sunt, vel (uti non ineleganter Apostolos olim, ad prædicandum Euangelium a Christo emissos, delineavit *Chrysostomus*) qui non nili *in stagnis, & fluminibus, & lembis, aut coriariâ similique arte versari solent.* Atque hanc ipsam procul dubio ob causam mandavit olim Deus *Esaiæ*, ut magnum sumens *volumen*, Prophetiam suam ei inscriberet בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ *stylo hominis*, id est, manifesto', literisque notis, ut omnes etiam νήπιοι & minus periti, quod scribendum erat, *vel bis* quippe *humanis* exaratum, primo obtutu intelligere possent. Non desunt etiam inter Theologos, qui ideo *Apostolos* disseminandi Euangelii modum per *Epistolas* præ aliis elegisse putant, quod simplex hæc & popularis *scribendi* ratio omnibus tam doctis quam indoctis erudiendis attemperatior esset. Tametsi & sint, qui hanc instituti illius rationem reddunt (quæ & subfuit forte) quod temporis & rerum necessitas Doctorumque Sanctorum otium tum potius permiserint *scriptionis* hoc genus, quam ut alia vel operosos *Tractatus* conscripsissent. Excelluit post Apostolos in *Perspicuitatis* hâc arte *Athanasius*, cui tribuunt quippe Eruditi, quod *acri* non tantum polluerit *ingenio*, sed & *scribendi* methodo usus sit tam accuratâ, ut ne quidem *ullum obscuritatis vestigium* in Scriptis ejus, quorum genuinus autor erat, appareret. Et certe persuadendi singularis vis dictionis scriptionisque *facilitati* inest. Quare & hoc præcipue nomine commenda-

Chrysostom. in verb. Paul: *Salutate Priscam* Homil. 3.

Es. 8. 1.

Turrett. Theolog. Elenct. Loc. 2. qu. 3.

Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 1. pag. 65.

Basnag. Ep. Chrysost. ad Cæsar. Monach. c. Annex. p. 114.

tur

tur a Lactantio *Cyprianus*, quod *jucunditate, copiâ* ac *nitore* non tantum, sed & *perspicuitate & facilitate*, quæque his connexa essent, *vi & nervis in persuadendo* alios antecelluerit. *Erat* (dicit) *Cyprianus ingenio facili, copioso, suavi, & (quæ sermonis maxima est virtus)* aperto, *ut discernere nequeas, utrumne ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit.* Uti & eandem ob causam a Chrysostomo laudatur *Johannes Apostolus*, hoc ei testimonium perhibente: quod *omni ejecto Satanæ fastigio atque illuvie, tantâ doctrinam suam perfuderit* facilitate, *ut non modo sapientibus, sed &* mulierculis *& adolescentibus, quicquid dixerit ante oculos posuerit.*

Lactant. Institut. Divinar. lib. 5. cap. 1.

Chrysost. in Johan. Homil. 1.

II. Extant, qui Aristotelem *obscuritatem* affectasse volunt; sed dubito, an recte. In Disciplinarum quidem *proœmiis* involutius aliquando loquitur, sed quodde industriâ id fecerit, ut ingenuorum animos excitaret fortius, vecordes vero & ignavos a pulchrarum rerum contemplatione deterreret, ut obtendi nonnunquam video, nemo justis unquam rationibus comprobavit. Audisis hâc de re *Hermolaum Barbarum* ad Mirandulanum Comitem: *Ille* (inquit) *Aristoteles non hoc sensit, se de industriâ tenebras offudisse Lectoribus. Nam plerique Libri valde* perspicui *sunt. Duas enim res adhibet, quæ* perspicuitatem *imprimis efficiunt*, Methodum *videlicet*, & Genus *orationis* proprium. *Nec vero* Methodum *tantâ diligentiâ secuturus erat, si de* industriâ res obscurare *voluisset.* Potiori jure a quibusdam *Pla-*

Hermolaus Barbar. cont. Philosoph. Barbar. pag. m. 204.

toni id adscriptum, de quo sic *Eusebius*, interprete Vigero: *Quocirca rem totam ita* involvit & convolvit *ipse* [Plato] *ut nec usitato more nec* perspicuo *loqueretur, ac digestis pro arbitrio singulis eâ* obscuritate *adsperså, ut partim intelligerentur, partim ignota manerent.* Uti & proverbio locum id dedit, quo quicquid valde *perplexum* est *Platonicis numeris obscurius* esse dicitur. Tametsi ego credere haud possim, ullum unquam sapientiorum fuisse, vel esse posse, qui ex iis, quæ cœcis *obscuritatum* ambagibus involvit, id est, ex ipsis *tenebris* gloriolam aliquam ancupari præsumpserit, nisi insanâ hâc forsan imaginatione fascinatum, quod ob *obscuritatem* suam, a minus peritis doctior & subtilior sit habendus, juxta hoc Lucretii,

Euseb. de Præpar. Evangel. lib. 14. cap. 15. p. 728.

Morell. Enchirid. ad Verborum. Cop. acquir. p. 91.

Clarus ob obscuram *linguam magis inter inanes.*
Omnia enim stolidi *magis admirantur, amantque*
Inversis, quæ sub verbis latitantia *cernunt,*

Lucret. lib. 1.

licet vix ullâ alias eruditione sint instructi. Prout vulgaris nimis ingeniorum scabies est, quod audire & *videri* plurimi optent, quod neutiquam sunt, imo cujus contrarium sæpe sunt: adinstar *Neronis*, qui, cum πηλὸν αἵματι πεφυραμμένον *lutum sanguine maceratum* esset (uti *Tiberium* puerum subinde in objurgando appellabat *Theodorus Gadaræus*) plusque Romani sanguinis sitiret, quam vini, *optimum* se tamen Populi Romani *Rectorem* esse credi voluit; vel

Sueton. in Tiber. cap. 57.

Vati-

Vatinii illius, cui licet

lapidoſa podagra
Frangeret articulos veteris ramalia fagi,

ſe *mille* tamen paſſus ambulare poſſe videri volebat. Plane aliter ac ingeniatus fuit Cato, *qui* eſſe *quam* videri *bonus volebat*; *adeoque, quo minus gloriam petebat, eo magis adſequebatur.* Salluſt. in Catalin.

Οὐ γὰς δοκεῖν ἄριστον, ἀλλ' εἶναι θέλει. Æſchyl. in Theb.
Eſſe, *haud* videri, *enim elaborat optimus.*

Hujus ergo, inquam, contrarium dum multi quærunt, haud paucos fere invenias, qui, e *Menenia* gente prognati, uſque adeo in conceptibus ſuis confuſi, & in *ſcribendi* ratione portentuoſi & *obſcuri* ſunt, inque continuâ, quâ utuntur, verborum vocumque μεθόδῳ (ne nempe ob *facilitatem* nimium trivialis, e contra propter *offuſas tenebras* virilior dictio vel ſcriptio ſua videatur) tam impensè ſibi ipſis plaudunt, violis ſuis pallentibus mordaces ſæpe urticas, tenaceſque lappas odoratis roſis fœdè & ſtultè permiſcentes, ut multo plus temporis & induſtriæ λήκυθον, verborumque ipſorum ſeſquipedalium, ſtylique cothurnati, quo utuntur, quam rerum, quas tractant, intellectui & perceptioni impendendum eſſe dixeris; nihil doctum aut laudabile æſtimantes, niſi reconditum, & quod fugiat vulgares mentes. Meminit talium quorundam, qui ſuâ vixerunt ætate, *Eraſmus*,

Erasm. Adag. Chiliad. 1. Cent. 1. dum ait: *Quin & hodie nonnulli Philosophiæ & Theologiæ Professores, cum ea quandoque tradunt, quæ quævis muliercula, aut cerdo dicturus sit, tamen quo* docti *videantur, rem* spinis *quibusdam ac verborum portentis* implicant *ac involvunt.* Ut & similes carpit Quintilianus, prout hæc ejus indicant verba: Quintilian. lib. 8. cap. 2. *Obscuritas fit in verbis etiam ab usu remotis, ut si Commentarios quos Pontificum, & vetustissima fœdera, & exoletos scrutatus Autores, id ipsum petat ex his, ut quæ inde contraxerit,* non intelligantur. *Hinc enim aliqui* famam eruditionis *affectant, ut quædam* soli *scire videantur.* Neque negârim tamen, excusandos forte esse, qui naturali *perspicuitatis* dono carent; tametsi illi tum sibi ipsis, tum publico melius forte consulerent, si scribendis *libris* abstinerent, quam quod temere, nullâque necessitate compulsi, eò prorumpant. Utilius Auson. Ep. 33.

dormire his esset, quam perdere somnum,
Atque oleum.

vel, ut ille apud Comicum:

Plaut. Rud. Act. 4. Scen. 1. *Pol magis sapissent, si dormuissent domi,*
Nam sic & operam & ludos faciunt.

Nisi forte, quis sit, qui eo quod ad majora natus, scriptionis *obscuritatem* argumenti rationumque *gravitate* compensare possit: quales (*Hieronymo* & *Lactantio* testibus) *Tertullianus* & *Augustinus* extitêre: Qui utcunque elegantiâ doctrinâque suo tempore cele-

celeberrimi, *sermone* tamen *difficili*, *perplexo*, *impedito* suorum multa litteris commendarunt, ut loquitur *Erasmus*. Hoc etenim si ita se habeat, non magis condemnandus est *Liber* si *obscurior* sit, quam vituperanda olim fuit *Venus*, cujus sandalio qui inciant nævi, cælesti corporis ejus fulgore & venustate facile obumbrabantur, & contegebantur. Sed vero qui datâ operâ & consulto, non quod præstare id putent, sed ut sibi ipsis solum placeant, *tricas Tellenas conduplicant*, ut loquitur *Arnobius*, id est, res impeditas & intricatas coacervant, *αινιγματικῶς* & *involute* scribunt, sive vel ex imperitiâ, vel ex superstitiosâ vocum exoticarum vel obsoletarum consectatione, stylum suum implicant, adeo ut, quæ tradunt præter *Sibyllam* legat nemo, & vate magis opus habeant quam lectore, uti *a Suetonio* describitur *Tiberius*, quod *affectatione & morositate nimiâ stylum suum sic* obscuraverit, *ut aliquando ex tempore*, *quam à cura præstantior haberetur*; quid (inquam) istiusmodi homines scriptione suâ intendant, neque ego hactenus capio, nec quisquam, credo, alius; nisi horum alterutrum sit, quod *vel* ingeniosiores, uti dixi, viâ hac censendos se putent, vel mundum qualicunque etiam libello, cum multis aliis, onerare gestiant, neque scribentibus sibi, eo quod (uti ludit alicubi *Aristophanes*) vix *tribus nebulæ cyathis mercatus sit*, neque legentibus aliis unquam forte profuturo, *per abrupta*, ut loquitur aliâ occasione Tacitus, *inclarescere* studentes, *sed in nullum Reip. usum*. Stolidè

Erasm. Præfat. ad Oper. Cyprian.

Arnob. lib. 5. p. m. 104.

Sueton. in Tiber. cap. 70.

August. lib. 4. de Doctrin. Christian. c. 10.

Tacit. in Vit. Agricol.

sane & inepte! neque indigni tales sunt in quos hoc *Baudii* nostri jacias: *Mihi magis libet altum sternere, quam tali genere monumentorum posteris seculoque monstrari.* Etenim

Baud. Epp. Cent. 2. Ep. 31.

Τῆς λανθανούσης μυστικῆς ὠδῆς λύρης,
Nunquam est occultæ *gratia* magna *lyræ*:

sive (uti Imperator olim *Nero*) occultæ *lyræ nullus est respectus*: quoniam non nisi pessime *ingeniosi* habendi sunt, qui capi non possunt, imo nec volunt quidem sine alieni *ingenii* cruciatu & tormento. Jocatus ob ridiculum hunc conatum *in Sextum* olim est Martialis:

Martial. lib. 10. Ep. 21.

Non lectore tuis opus est, sed Apolline Libris,
Judice te major Cinna Marone fuit:

Uti multis cum salibus in *Jovinianum* etiam exagitat *Hieronymus*, dum sic fatur: *Sic* involvit *omnia & quibusdam* inextricabilibus *nodis universa perturbat, ut illud* Plautinarum *litterarum possit ei aptari*: has quidem præter Sibyllam leget nemo. *Nam divinandum est. Furiosas Apollinis vates legimus. Et illud Virgilianum*: Dat sine mente sonum. Ἀινιγματίζει *Jovinianum* vocat, *cujus Libros multo difficilius erat nosse, quam vincere. Verborum portenta* ei adscribit: *Quod descriptionis dedecus* (inquit) *nonne vel per febrem somniare eum putes, vel arreptum morbo phrenetico?* Hippocratis *vinculo alligandum? Quotiescunque eum legero, ubi me defecit Spiritus,*

Hieronym. adv. Jovinian. lib. 1. p.

ritus, ibi est distinctio Totum incipit, totum pendet ex altero, nescias cui quid cohæreat: &, exceptis testimoniis Scripturarum, quæ illo venustissimo eloquentiæ *suæ* flore *mutare ausus non fuit, reliquus sermo omni materiæ convenit, quia nulli convenit.*

III. Omnium obscurissimus inter Scriptores fuit *Heraclitus*, Platone, Aristotele, quin hoc ipso Hieronymo referentibus; cui & σκοτεινὸς nomen inde inditum, quod ad *libros ejus* intelligendos *Delio natatore* opus fuisse *Socrates* dixerit. Δεῖ (inquiebat) δηλίου κολυμβητοῦ. Quare & vulgare fuit apud Veteres, τὰ ἡρακλείτου διαιρεῖν ἔργον, *Heracliti Scripta interstinguere arduum est.* Hanc vero *obscuritatem* ejus non naturalem, sed mere affectatam fuisse, hinc non tantum liquet, quod, modo liberet, oratione etiam satis luculentâ & *clarâ* uti potuerit, sed & ipsis suis discipulis κρύψιν ex professo inculcaverit: inter præcepta enim, tradi iis solita, & hoc fuit σκότος, *Obscura.* De *industriâ* (inquit Laërtius) *librum suum* obscurius *scripsit, ut soli eruditi illum legerent, ne, si a vulgo passim legeretur, contemptibilis esset:* adinstar scilicet *Alexandri*, cui curæ fuit,

Aristotel. Rhetoric. lib. 3. cap. 5

Laert. pagin. 308. 309.

ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo *duceret æra,*

Horat. Ep. ad August.

ne promiscuis commissionibus honor ejus vulgaretur nimium atque obsoleſceret. Varia in *Heraclitum* Epigrammata scripta, quæ inter hoc præcipuum est, quod huc facit:

Μὴ ταχὺς ἡρακλείτου ἐπ' ὄμφαλον εἵλεο βίβλον
Τοῦ ἐφεσίου μάλα τοι δύσβατος ἀτραπητος

Noli Heraclitum *rapido percurrere cursu,*
Est via difficilis, luce *papyrus eget.*

Germani huic fuerunt *Epicurus* & *Carneades Cyrenæus*, novæ Academiæ Principes, quorum *hic* adeo *a Clytomacho* obscurus dictus fuit, ut nunquam percipere se potuisse asseverârit, quænam Scriptorum ejus mens sensusque fuerit. *Ille*, quid voluerit, ita involvit, ac datâ quidem operâ, ut assequi etiam *Oedipis* impossibile fuerit: tam procul abest, ut omnem respuisset *Rhetoricam*, universamque sermonis sui laudem in solâ *perspicuitate* collocasset, ut pridem opinati quidam sunt. Quin e contra ipsis *Pyrrhoniis* & *Scepticis* mirandâ suâ *caligine* gratissimam operam sæpissime præstitit, gratulantibus sibi, quod scribendi ratione adeo *perplexâ*, intricatâ, & nodosâ hypothesi suæ, de omnium rerum *incertitudine* & ἀταραξία tam amice subserviisset. At quid ita Doctores illi *obscuri?* quid lucrantur *Bœoticis* suis ænigmatibus, labyrinthis, Meandris? Nihil equidem aliud, quam quod vel sibi ipsis tantum scribant, si cuiquam scribant; vel moriantur ante se scripta sua, id est, eo quod intelligi nequeant, brevissimo tempore in contemptum eant, & vilescant, deferri digna, tanquam blattarum & tinearum propediem futuræ epulæ,

Hofmann. Lexic. Univers. part. 1. pag. 602.

Anton. Matth. Orat. 2. pag. 289.

Horat. Ep. lib. 2.

in

in vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis;

Martial. lib. 3. Ep. 2.

vel (quod contumelioſius eſt) Deæ *Cloacinæ* devovenda; vel denique deridendam hujuſmodi ſubire ſortem forte cogenda, cujus Vir quidam non indoctus nuper meminit, dum ſic alicubi de ſuo Parente: *Cum aliquis* librum, *quem prælo committere decreverat, ineptiis ſcatentem, & inepto præſertim ſtylo tumidum, expendendum ipſi tradidiſſet, videretque ſe fruſtra damnaſſe ſtylum, quem Autor deperibat, cum ipſe adeſſet, & ad focum una ſederet,* librum; *quem præ manibus forte habebat, in* ignem *conjecit, quem miſer Autor, ridente Viro docto, Deo tardipedi eripere non audebat, quique adeo conſumptus certe fuiſſet, niſi Viri Docti uxor accurrens, ſemiuſto volumine flammis erepto, pallenti Autori ſuppetias tuliſſet.* De philoſopho antiquo *Favorino* refert etiam *Gellius*, quod, cum adoleſcentulum quendam *priſcè* atque adeo *obſcure* nimis loquentem audiviſſet, ſic cum eapropter perſtrinxerit: Curius & Fabricius & Cornucarius, *antiquiſſimi Viri noſtri, & his antiquiores* Horatii *illi tergemini, plane ac* diluçide *cum ſuis fabulati ſunt, neque* Auruncorum & Sicanorum *aut* Pelaſgorum (*qui primi incoluiſſe* Italiam *dicuntur*) *ſed ætatis ſuæ verbis locuti ſunt. Tu autem perinde quaſi cum matre* Euandri *nunc loquare, ſermone jam a multis annis deſito uteris, quod ſcire atque* intelligere neminem *vis, quæ dicas. Nonne*, homo inepte, *ut quodvis abunde conſequaris, taceres? ſed* antiquitatem

Cleric. in Præfat. ad Quæſt. Sacr.

Gell. lib. 1. cap. 10.

quitatem *tibi placere ais*, *quod honesta, & sobria sit. Vive ergo moribus præteritis, loquere verbis* præsentibus. *Atque id quod a* C Cæsare, *excellentis ingenii & prudentiæ Viro, in primo de* Analogiâ *Libro scriptum est, habe semper in memoriâ, ut* inauditum *ac* insolens *verbum tanquam scopulum hic fugias.* Accedat tandem *Augustus*, qui *Marcum Antonium*, ut *insanum* solebat increpare, *quod ea scriberet, quæ* mirarentur *potius homines, quam* intelligerent. Atque rectè quidem, *cum nihil affectatione odiosius sit, nihil vitiosius, quam orationem egere interprete*, ut loquitur *Quintilianus.* Addo ego, nihil discendi cupidis molestius esse posse, quam quod, dum proficere *lectitando* studeant, nil *intelligendo* non tam proficiant, quam deficiant, oleum saltem operamque penitus perdant.

Id. Lib. 11. cap. 7.

Quintil. lib. 4. cap. 2.

V. Neque obtendi scriptionis ornatus vel *facundia* debent, quasi his *perspicuitas* & explanatus stylus obstarent, essentque ἀσύνθετα *diserte* scribere, & non involutè. In Cimmeriis enim cespitant tenebris, qui hoc putant. Quis enim in dicendo scribendóque *facundior* unquam fuit *Cicerone*, & quis eo *clarior* tamen, & dilucidior? Tanti certe hâc ipsa de causâ eum fecit *Melanchton*, acerrimi judicii Vir, summusque, si quisquam *eloquentiæ* assertor, ut conceptis dixerit verbis, *Ego vel obscura Ciceronis lineamenta malim, quam nativam* Politiani *&* Gellii *faciem.* Et ad me quod attinet, ego quæ vilissima in commentariis & orationibus ejus quis habeat, multo semper majori cum voluptate legi, & perlegi, quam nobilissima

Melancht. Rhetor. lib. 2. pag. 142.

biliſſima quæque, & præſtantiſſima, quæ in tenebroſiſſimis *Apuleji Metamorphoſeωn* & de *Aſino aureo* Libris delitescere multi putant. *Hic enim in Aſino* (inquit Ludovicus Vives) *plane rudit, in aliis ſonat hominem, niſi quod* Florida *ſint ridicula; ſed excuſat ea inſcriptio.* Turnebus dicit, *Apulejus non eſt malus autor*, at antiquarum *vocum*, adeoque, ut ex dictis liquet, etiam obſcurarum, *uſurpator.* Et *Hofmannus*, Vir ſtupendæ lectionis, diligentiæ & eruditionis. *Rudere* (ait) *verius, quam loqui in* Aſino aureo Apulejus viris Eruditis *videtur.* Ut paucis abſolvam, quod ſi obſcurus *Scriptor* eſſe malit, quam evolutus & *clarus*, videat ne ſuis tum obteniat conatibus, quod in *Cinnæ* verſiculos habet Martialis:

Ludovic. Viv. de Tradit. Diſcip. lib. 3.

Turneb. Adverſ. lib. 28. cap. 14.

Hofmann. lexic. Univerſ. part. 1. pag. 152.

Verſiculos in me narratur ſcribere Cinna,
Non ſcribit, cujus carmina nemo *legit.*

Martial. lib 3. Ep. 9.

q. d. tam parum leguntur, & lectu digna ſunt, quaſi ſcripta nunquam fuiſſent. Quare & gratulatur ſibi hic Vates, quod ſua ſic *Carmina* condidiſſet, ut, qui ea interpretaretur, nemine indigerent, utpote explanata ſatis & dilucida:

Id. lib. 10. Epig. 21.

Sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & ſine Grammaticis.

id eſt, ſine ullâ explicatione & Commentario, a *Grammatico* hoc vel illo concinnando.

CAP.

Cap. VI.

De Scribendorum Brevitate, *variisque eam assequendi* viis.

I. *Librorum* Brevitas, *salvâ* Perspicuitate, *nunquam non grata.* Latinorum, Hebræorum, Græcorum *de hâc Canones.* Μέγα βιβλίον μέγα κακόν. *Operis Augustini de* Civitate Dei *cum notis* Lud. Vivis, *ob solam* brevitatem *in eo neglectam, infelix fatum. Rerum præcipua laus & virtus in quo consistat?* Brevitatis *in* scribendo *commoda varia.* II. *Scriptionis* prolixitas *quomodo a* Pythagorâ *cohibita?* Silentium *discipulis ejus impositum quale?* Sfortia Palavicinus *notatus. Scriptores* verbosissimi *fere imperitissimi.* Manum de tabula tollere *quid significet?* Menelaus, Cornelius Nepos, Sallustius

ob

ob dictionis & Scriptionis brevitatem *laudati.* Salluſtiana brevitas *in quo ſita?* Cyprianus *ad partes vocatus.* III *Ut* brevis *ſit Liber* (a) *Omnia* ἀπροσδιόνυσα *reſecanda.* Seigio Henricus *primus Hiſtoriæ* Tridentinæ, *a Petro Soavis editæ, Cenſor.* (b) *Ab aliis tractata temere non reponenda.* Voſſii *notabile de hoc effatum.* Hoornbekius *laudatus. Circa* Cramben coctam *uti* & bis coctam *Ægyptiorum & Sybaritarum mores.* IV. Librorum plagium *quid?* Claudiani Mamerti & Martini Hellingi *de eo querelæ. Variè a variis committi ſolitum. Quos inter excellunt, qui non tantum* materiam *Scriptoris alieni ſuffurantur, ſed* & nomen. *Qualibus nec* Judaiſmus, *nec* Gentiliſmus, *nec* Chriſtianiſmus *ſemper caruit.* Laverna *qualis apud Romanos Dea. Cur* πραξιδίκη *dicta?* Oph-

thalmii *lapidis virtus.* Mercurius *furti cujusvis furumque antistes. Multi tum Veterum tum Recentiorum* plagii *postulati. Quos inter* Isidorus Clarius *omnium est impudentissimus.* Rhodiginus *contra* Vossium *defensus.* V. Gryphiandri, Heinsii, Dieterici, Geusii, Spanhemii, Nepotiani, Altingii, Seldeni, Terentii *alienissimus a* plagio *animus.* VI. *Aliorum conceptus adoptare quo sensu nonnunquam licitum? Zeuxis ingeniose factum. Scriptorum* modernorum *præcipua industria & cura quæ? Criticæ Literariæ* abusus *taxatus.* Centones *quid? Hos ex aliorum Libris concinnare licitum quandoque & utile.* Scaliger, Lipsius, Voetius *ad partes vocati.* VII. *Rationes a* plagio *deterrentes.* Bathyllus, *qui* Virgilio *carmen suum surripuerat, quisnam fuerit? Omne* plagium

gium *uti Autorem, contra quem committitur, excruciat, ita* ingrati *semper* animi *indicium est. Styli* Erasmiani *æquabilitas laudata. Justissimum* Aristophanis *contra* Plagiarios *judicium.* Plagium *sepulchrorum effossioni* & *alienarum arborum succisioni affine. Cujus utriusque pœna* semper *gravis*, aliquando *capitalis fuit.* Alphonsi Ciccarelli, *ob commissum* plagium *atrox pœna.* VIII. *Eruditorum* duorum *Virorum pro incrustando* plagio *considerationes excussæ. Autorum celebrium*, aliorum suffragiis *scripta sua tessellantium, ingens turba.* Flacci *quidam locus illustratus.* Burmanni *pium & placidum consilium.* Macrobius *vix probatus Autor*, & Plagiariorum *antesignanus.* Heideggerus *litis hujus arbiter.* IX. *Congrua* Autorum citatio *quæ? Testimonia* aliorum *ex ipsis* fonti-

bus *communiter hauriendа. Quo casu id* non fieri *nonnunquam possit? Typothetarum* σφάλματα *ipsis* Scriptoribus *non imputanda.* X. *Ut* plagium *evitetur quid* Scriptori *præstandum? Ante & ab aliis tractatis* sua *qualiacunque adderedebet.* Vilalpandi *modestia laudata.* Vincentii Lirinensis *prudens monitum.* XI. Plagium non plagium, *id est, licitum quando committi dicendum?* XII. (c) Rebus *tractandis semper magis* quam verborum *vocumque apicibus inhærendum. Veterum* Laconismus *quis?* Arnobius, Cicero, Joh. Bruno, Quintilianus *laudati. Scriptores* Dithyrambici *qui?* XIII. (d) *Argumentorum non* numero *sed* pondere *certandum.* Calvini *elogium.* Phocionis Athenienſis *exemplum huc pertinens.* XIV. *Ita* Brevitati *insistendum, ut argumento, quod sub manibus est, tamen*

men satisfiat. Materiei mutilatio *non minus*, *quam* περισσολογία *vitanda.* Augustinus, Suetonius, Lipsius, *laudati.* XV. *Rex Salomo Librorum* scriptioni non infestus *sed ipse* πολύγραφος *fuit. Haud credibile tamen est, ipsum de* Magiâ & exorcizandi *ratione*, Librumque remediorum cujusque morbi *conscripsisse.* Libri improbatæ lectionis *apud Ictos* qui? XVI. *Locus* Eccles. 12. 12. *illuminatus.* Salomo *procul dubio, ut ut insigniter lapsus, restutus postea & salvatus est.*

I. NEque ita tamen Scriptionis *Perspicuitati* insistendum, ut justa eapropter *Brevitas* vel in totum vel ex parte negligi videatur. Concinnè has conjunxit *Gomarus*, ut his profitetur verbis: *Cæterum cum* duo *potissimum in omni Scripto præter argumenti veritatem requirantur*, Brevitas *nimirum &* Perspicuitas; *illa ut* attente, *hæc ut cum* fructu *legamus; utrumque pro tenuitate meâ, cum methodo, tum stylo secutus sum; ne aut* obscuritas *crearet dubitationem, aut* prolixitas *tædium.*

Hoekelshov. Philos. Pract. in Præfat.

Gomar de Provid. in Dedicat.

dium. Quam enim *inutilem* librum reddit *obscuritas*, tam plenum fastidio eum facit *extensio* nimis *producta*: Generalis *Eruditorum* γνώμη est,

Χάρις βαῖοσιν ὀπηδεὶ.

Adjuncta est parvis *gratia rebus*,

ita in specie *Libros* Epistolasque commendabiliores etiam *brevitas* reddit, præsertim apud occupatos homines. *Plurimum jucunditatis* (testatur alicubi de Scriptis *Ambrosii* Erasmus) *addit* paucis verbis *modulata brevitas*. Μέγα e contra βιβλίον μέγα κακὸν, *magnus liber magnum est malum*; quod nempe lectores facit lumbos *sedendo*, oculos *spectando* dolere. Hinc Magistri:

Callimach. ap. Athen. lib. 3. cap. 1.

לְעוֹלָם יְלַמֵּד אָדָם לְתַלְ בִּידָיו בְּדֶרֶךְ קְעֵוָה

Semper doceat homo discipulos suos via BREVI.

Quibus geminum *Horatianum* hoc est:

Horat. de Art. Poëtic. vers. 315. &c. & Satyr. lib. 1 Satyr. 10.

Quicquid præcipies esto brevis; *ut cito dicta*
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Et alibi:

Est brevitate *opus, ut currat sententia, neu se*
Impediat lassas verbis onerantibus aureis.

Neque

Neque abludunt hæc Græca:

Πᾶν τὸ περιττὸν, ἐπὶ λόγου ἦν παλαιοὶ,
Ὡς καὶ μέλιτος τὸ πλέον ἐπὶ χόλη.
Ingratum est quidquid nimium, sic semper amarum est,
Ut vetus verbum est, mel quoque cum nimium est.

Vel uti Phœdrus,

temperatæ *suaves sunt argutiæ*, Phædr. lib. 5. cap. 5.
Immodicæ *offendunt.*

Pauciſſimis opus eſt ad bonam mentem, cum rerum etiam *optimarum intemperantiâ* laborari aliquando poſſit. De *Frobenio*, celebri apud *Baſileenſes* Librario, referunt, quod queſtus ſæpe ſit, ſe ne *unum* quidem Operis Auguſtini de *Civitate Dei*, cum Notis *Ludovici Vivis*, exemplar vendere *Francfordiæ* potuiſſe, ob ſolam (*Eraſmo* judice) *brevitatem* in eo non obſervatam. *Vides* (inquit in Epiſtolâ ad d. Vivem) *etiam in Muſarum rebus regnare fortunam. Ego hic nihil non ſuſpicio, niſi quod* brevitas, *quam tibi olim commendavi, reddidiſſet Librum commendabiliorem.* Neque mirum hoc, cum nemini non manifeſtum ſit, non in corporis quantitate, ſed virtutis intentione rerum omnium laudem perfectionemque conſiſtere. Quod ita expreſſit *Plutarchus*: Ὡς ἡ νομισμάτος ἀξία πλείστῳ ἐν ὄγκῳ βεβυθέντῳ δυνάμιν ἔχει, οὕτω λόγῳ δεινότης πολλὰ σημαίνει ἐπ' ὀλίγων. *Sicuti numiſmatis æſtimatio in*

Eraſm. Epiſt. lib. 18. Ep. 36.

Chryſoſtom. ad Pop. Antiochen. hom. 40.

Plutarch. in Quæſt. Platon.

minore *massâ plus valoris continet*; *sic orationis vis & acumen majus est*, *quæ plurima* paucis *significat*. Sive, uti *Zeno* apud Laërtium: οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα κεῖται. *Non in* magnitudine *bonitas*, *sed in* bonitate *rerum magnitudo consistit*. Quare neque ullus unquam magnum marmor parvo adamanti, vel magnam argillæ molem aureo obolo præstulerit, nisi cui cerebrum non in capite, sed in calcaneo contidere dixeris. *Timanti* pictori laudi datum est, quod in operibus ejus plus fere *intelligeretur*, quam *pingeretur*. Et siquidem *magnæ* nos artes sæpe delectent, quod in rebus *parvis* explicatæ notari tamen in iis possint (ut cum in minutis horologiis ars illa tota comparet) quî dubium esse potest, quin capere illi nos quoque præ aliis possint, qui amplam rerum copiam *brevibus* potius commentariolis, quam tractationis apparatu latissime deducto, exponere solent? Hoc magis, quod ipsâ experientiâ magistrâ *unica* sæpe vocula, imo littera, plus in quibusdam effecerit, quam quævis alia effusissima & redundantissima oratio vel scriptio. *Cæsar* Iulius, cum tempore quodam tumultuantes suos milites ad officium revocare intenderet, non verbis *numerosis*, comptoque & prolixo sermone, sed voce tantum unicâ (*Quirites* inquiebat) omnes eorum motus iraque compescuit non tantum, sed & composuit. Et quid Poëta *Philoxenus*? Hic, a *Dionysio* Juniore in lautumias conjectus, quod laudare carmina ejus renueret, imo ne legere quidem

Laert. in Zenon.

Job. Verat. in Præfat. Orat. & Concion. ex Histor. collect.

Toll. Fortunt. pag. 337.

vel

vel audire vellet, cum per literas a *Tyranno* rogaretur, *ecquid jam pœniteret*? totam Epistolam unicâ duntaxat negitante literâ O conscribillatam responsi vice ipsi remisit; tum ad animi proprii constantiam testificandam, tum ad ferum Tyranni animum, si non emolliendum, acerrime saltem perpungendum, abunde sufficere id putans. Alia *Brevitatis* in scribendo *commoda* sic edisserit Martialis:

At nunc succincti *quæ sunt bona, discite* libelli: Martial. Epig. lib. 2. Epigr. 1.
Hoc primum *est, brevior quod mihi charta perit.*
Deinde *quod hæc unâ peragit Librarius horâ,*
Nec tantum nugis serviet ille meis.
Tertia *res hæc est, quod si cui forte legeris,*
His licet usque malus, non odiosus eris.

III. De *Pythagorâ* referunt *Annales*, quod *silentium* non tantum discipulis suis præceperit, sed omni etiam *scriptione* iis interdixerit. Quidam id ἀκουσικὸς respexisse tantum putant, μαθηματικὸς vero & verba faciendi, & quærendi, quæque audivissent scribendi, & quæ ipsi sentirent, exponendi potestatem habuisse. Quod utcunque sit, certum minimum est, nulli non *prolixitati* infestum Philosophum illum fuisse. Quod hinc quidem palam est, quia, ut *nimiæ scriptioni* metam & terminos poneret, edicto veluti ordinavit, ut rationibus cubicis præcepta in voluminibus scriberentur, constituitque quemque cubum ducento- Gell. lib. 1. cap. 9. Plutarch. de Curiosit. Oper. part. 2. pag. 519.

rum & sedecim versuum, eosque non plures quam tres in unicâ scriptione esse oportere existimaverit. Quæ lex tametsi, ob discipulorum ejus scribendi pruritum, non usque adeo diuturna fuerit, demonstravit eâ saltem Philosophus, quantopere *Libri* magnâ mole turgidi sibi displicuerint. Et quis certe spissis Librorum voluminibus hoc fere agi non animadvertit, *ut insigni pompâ exposita gregariis tantum Libris terribilia & formidabilia appareant, atque omnium oculos vultusque ad se trahant?* quod non immerito *Sfortiæ Palavicino* improperabat *Cæsar Aquilinius* ob vastissimam *Concilii Tridentini* Historiam, multo cum strepitu a *Sforti* editam. Equidem imperitissimi non raro *verbosissimi* sunt, & qui *plurimum* scribunt, minimum sæpe eloquentes. Utque qui corpore tenuiores sunt veste dilatare se solent, ita qui ingenii & Sapientiæ inopes sunt, numerosioribus seipsos verbis nonnunquam explicant, vel potius implicant. Imo ne quidem seipsos tantum, sed & ipsam nonnunquam *veritatem* Mæandris suis subdole involvunt; quæ sicuti lucem & claritatem semper amat, adeoque non diffusâ sed succinctâ & *brevi* tantum oratione & commendatione opus habet, ita *falsitas*, cum inconstans & multiplex sit, multiplices etiam gyros, variasque & operose deductas ambages quærit, in quibus tanquam in obscuro quodam speculo aut tenebricoso Caci antro occultare se possit. Vetus verbum est, *manum de tabulâ tollendam* esse; quod in eos dictum, qui expoliendo cuidam *Libro* tam mordicus olim inhæ-

Aquilin. de Trib. Historic. Concil. Trident. p. 13.

Quintilian. lib. 10. cap. 4.

inhærebant, ut a *scribendo* desistere nequirent. Applicatum id etiam aliis est rebus. Hinc enim est, quod pictor *Protogenes*, utcunque immensi laboris, admirandæque elegantiæ opus confeciſſet, in hoc tamen cedere debuerit *Ethionis* industriæ, quod *manum de tabulâ tollere*, id est, tempestive opus suum finire nequiverit, cum hic absque diuturnâ morâ id absolvisset. Ita profecto & nimis præfracta & morosa, ac proinde minus laudanda Scriptorum nonnullorum industria & ἀκρίβεια est, se potest; quâ sine fine modoque lucubrationes suas quandoque premunt, semper addentes aliquid & infarcientes, quandoque etiam dementes & mutantes, sed ejus loco altero tanto plus tum substituentes, donec intumescat tandem opus, atque hoc ipso tum maxime quidem, imprimis *prolixitate*, peccantes, dum sollicitissime cautum volunt, ne quicquam peccent: præterquam quod nimiopere sua expolientes, frangant ea sæpe & debilitent, quæque mascula alias essent supervacaneâ curaturâ juncea pene reddant. Quemadmodum ergo ob *breviloquentiam* ab *Homero* laudatus est *Menelaus*:

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως· ἐπεὶ οὐ πολύμυθος. Homer. Iliad. 3. pag. m. 104.

Non is multa *quidem*, *sed argutissima*, *quippe*
Pauciloquus.

ita

ita ob *succinctam* & conciſam *ſcribendi* ratione m a Catullo *Nepos* commendatur:

Catul. ad Nepot.

Quoi dono lepidum libellum,
Aridâ modo pumice expolitum,
Corneli? *Tibi; namque tu ſolebas.*
Meas eſſe aliquid putare nugas;
Jam tum cum audeas unus Italorum
Omne ævum tribus *explicare chartis,*
Doctis, Jupiter! & laborioſis.

Panvin. Catalog. Script. Veronenſ. lib. 6.

Cui adnutat *Onuphrius Panvinius*, qui ipſum *accuratiſſimè rerum Romanarum Chronicon ſcripſiſſe*, *eâque* brevi *explicatione omnis ævi memorias*, id eſt, *duûm millium annorum*, *complexum eſſe* dicit. Quinimo ab uno non tantum ſed quam plurimis hoc ipſo nomine deprædicatur *Salluſtius*, a *Seneca*, *Quintiliano*, *Macrobio*, *Apulejo*, *Statio*, *Sydonio &c.* Unde & in proverbium *Salluſtiana brevitas* abiit, ipſeque Criſpus *ſubtiliſſimus brevitatis artifex* Gellio dictus eſt. Quippe qui *Thucydidem*, Hiſtoricum Græcum, tanto ſecutus eſt ſtudio, ut eum poſt ſe reliquerit; cumque præcipua *Thucydidis* virtus brevitas *eſſet*, etiam hâc ipsâ eum vicerit, *inque propriis ſuis caſtris*, ut loquitur Seneca, *ceciderit*. Neque in hoc tamen *brevitas* ejus ſita fuit, quod materiarum laborârit inopiâ, ſed quod, cum abundans rerum copia ipſi ſuppeteret, *tribus verbis* integras paſſim ſententias expleverit, aſynthetis uſus ſit, non circumduxerit, nec interpoſuerit, imo verba multa nonnunquam omiſerit, quod rem acutiores ſatis intelligerent. Atque hoc certe uti audientibus & legen-

Senec. Ep. 115. Quintilian. lib. 10. cap. 1.

Macrob. lib 5. cap. 1. Apulej. in Apolog. Gell. lib. 3. cap. 1.

Colet. de Vit. Salluſt. pag. 16.

legentibus acceptius, ita & nunquam non utilius esse potest, juxta hoc Cypriani: *Etiam legentibus* brevitas *plurimum* placet & prodest, *dum non intellectum legentis & se ipsum Liber longior spargit, sed subtiliori* compendio *id quod legitur tenax memoria custodit, & ad usum opportune a commodat.* Cyprian. in Præfat. adv. Judæos.

III. Poterit autem ad *brevitatem* hanc haud unâ sed variâ *a Scriptore* perveniri viâ: (1) Siquidem isti præcipue insistat materiæ, quam tractandam sibi sumpsit, resectis & rejectis omnibus, quæ ad rhombum non faciunt. Secus ac fieri nonnunquam a quibusdam videas, qui quidlibet ex quolibet educentes, uni argumento nescio quas non alias materias sæpe intexunt, inque iis elaborandis tam latè seipsos diffundunt, ac in ipso principali argumento; atque hoc quidem si fiat, impossible est, *Librorum montes* exinde non exsurgere, ac in nauseosam & fastidiosam non incurri prolixitatem. E. G. si quis, acturus de *verâ Dei cognitione*, primum ejus describat *naturam*, tum *motiva* & *signa* ejus indicet, tandem & *media*, quibus in sedulo ejus studio juvari anima possit, alleget, utique haud male hactenus procedit. At vero si addere tum porro velit *signorum* signa, *mediorum* media, *motivorum* motiva &c. quis ipsum ἐκτὸς χορῦ tum ἐκχορεῖν, id est, *extra chorum saltare* non videt? *Melius faciunt quidam* (inquit alicubi *Varro*) *qui minori pomœrio finiunt, ex lusis partibus, quæ ad rem non faciunt.* Vapulat ac jure quidem ob supererogatoriam hanc diligentiam *Censori* suo nominatus mox *Palavicinus*, sic enim habet *Aquilinus*, Hoornb. Theolog. Pract. part. 1. in Prolegom. Acont. Ep. ad Wolf. Varr. de R. Rustic.

sive

Aquilin. Tract. cit. pag. 9.

sive quisquis sit sub ejus nomine: *Cæterum non adeo* magna *sunt duo illa volumina, quia multa referunt adversus* Petrum Suave, *ejusque Historiam pro* Concilio Tridentino, *sed quia horum voluminum Autor* innumera *adjunxit, quæ neque ad* causam Concilii *spectant, neque pro adversarii impietatibus & hæresibus redarguendis faciunt. Quid enim pro Concilio Tridentino faciunt prolixæ narrationes sub Historiæ initio de Actis* Pisani *Conciliabuli? quid censuræ ad Pontificum vitas? quid Pontificum actiones? quid innumeri eventus inter Principes inter se belligerantes? quid Conclavium Acta? quid* Caraffarum *clades, & reliqua similia & dissimilia? quæ nec lingua amplecti recensendo, nec mens cogitando assequi unquam potest. Certe si ex illis duobus maximis* Voluminibus *excerpenda essent, quæ pro* Concilio Tridentino *faciunt, satis minima, & multo minora essent its, quæ in Henrici libello inveniuntur.* Fuit hic *Henricus* (aliter *Seigio Henricus*) is, qui omnium primus *Petri Soavis Historiam censurâ notavit*, sed opusculo perquam brevi & restricto. (2) Si res nullas ex professo tractare instituat, quam de quibus alii, quantum sciri saltem potest, vel nihil, vel parum, vel haud satis saltem politè, & profundè commentati hactenus sunt. Hoc enim pacto ante dictis vel scriptis nova quædam; atque huc usque non dicta vel scripta superaddere, non tam novaturientis crimen, quam rem literariam promoventis, & ulterius producentis, virtus & industria est. Gloriosius quippe apud *Antiquos* semper habitum est,

in

in messe nullius falce tacta laborare, campoſque ab aliis derelictos colere, quam agellum in ſuburbano cujuſvis e vulgo coloni pede & aratro tritum; ſatique & ingenii felicioris argumentum eſſe judicarunt, *Mercurii* acervo vel lapillum unicum adjicere, id eſt, ingenuorum cenſus qualitercunque ampliare, quam multoties dicta identidem reponere, ſive, ut in vulgi verbio eſt, *farinam molitam rurſus molare.* Præclare laudatus mox Voſſius: *Cogitet ſcriptor, an argumentum, quod ſuſcipit, melius tractârit, quam priores; hoc eſt, an priorum inventis pulchra quædam ſuperaddat de ingenio ſuo, vel an cohibilius ſuccinctiuſque, & majore cum genio exprimat, & verbo ut dicam, an poſtquam tantum eſt* Librorum *in Orbe, ut iis legendis nec plurimorum ætas ſufficiat, nihilominus interfuerit orbis literati, iſthoc etiam Scriptum in publicum prodire.* Voſſ. loc. citat.

Eâdem paſſim chordâ nimiopere oberratur, eandem recoquentibus cramben *Scriptoribus*, quæ centies forte vel millies appoſita ab aliis fuit. *Scribimus indocti doctique* (inquit Hoornbekius) *& nihil mundo accedit, niſi oneroſa congeries* Libellorum, *ſoli ſtudiorum, & temporis & nummorum impendio, uſui vero nulli. Legere illos, & idem argumentum ſub variis* titulis *&* diverſis *Autoribus identidem reſorbere, plus quam bis coctum faſtidio, ut quod maxime, plenum eſt.* Hoornb. Vet. & Nov. Lib. 1. cap. 26.

Reſpexit procul dubio verbis illis Eruditiſſimus Vir ad *Ægyptiorum & Sybaritarum* morem, quibus ſolenne fuit, ante omnia alia ſumere *cramben coctam*, eorum quibuſdam

busdam crambes etiam semen, ex *Amethystino* vasculo, ante compotationem, ut citra *ebrietatis* periculum vino indulgere possent. *Recoctam* vero *cramben* impensè aversabantur, adeo quidem ut in fastidii proverbium ipsis abierit, Δὶς κεφάλη θάνατος, *Crambe bis cocta mors est*, sive, uti exprimit Juvenalis.

Juvenal. Satyr. 7.

Occidit miseros crambe repetita *magistros.*

IV. Atque huc tum est, quòd invidiosum *Librorum plagium* etiam referas, quod jam quasi *licitum* esse incipit, quia vulgare & *publicum* factum est. Perpaucis quippe gloriari hodie datur cum *Manilio*:

Manil. Astronom. ib. 2.

Nostra *loquar*, *nulli Vatum* debebimus *orsa*,
Nec furtum *sed opus veniet*, *soloque volamus*
In Cælum curru: privâ *rate pellimus undas.*

Et fuerunt fortunata illa tempora, quorum meminit alicubi Ludovicus Vives: *Olim* (inquit) *adeo erant in suum unicuique tribuendo æqui & liberales, ut ne* verbum *quidem* unum *autori suo surriperent*: *declarant id* Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, *& alii*: *nunc &* verba *&* sensa *&* argumenta *etiam* integra, *nonnunquam inventa & opera subtrahuntur.* Est vero *Plagium* hoc, uti alibi etiam diximus, " nihil aliud, quam *furtum* Eruditorum " sive Eruditis proprium, vel mendacium potius

Lud. Vives. Comment. Vit. & motib. Viri Eruditi.

O T. Theol. in Præfat.

potius juſtitiæ commutativæ oppoſitum, „
quo quis debitam alteri eruditionis opi- „
nionem, cogitata ejus peculiaria, quomo- „
docunque ad ſe delata, maligne profe- „
rendo pro ſuis, *mentionemque alterius*, „
ubi fieri ea oportebat, intermittendo „
quærit. Hujus reos *informes corniculas*, „
quæ alienis plumis ſe ornant, Hieronymus dixit, alludens ad *Horatii* hæc verba: Horat. Epiſt. lib. 1. Ep. 3.

Nec ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula
riſum,
Furtivis *nudata coloribus*.

Quod & in *Philippum Labbæum* jecit Hottingerus. Hottinger. Ennead. Diſſert. Diſp. 8.

Cyprianus *invidas* vocitavit *manus*, quæ ſe ſcelere hoc polluebant; crimenque, quod committebant, *tractatuum elimatorum pannum rudem ſuis inſerere, vel nugis ſuis, quaſi ſua eſſent*, furtivâ *tranſlatione inſuere* dixit. Cyprian. de Oper. Cardinalib. in Præfat.

Queritur de hoc *Mamertus*, Epiſcopus Viennenſis: *Iſthic illi laudati* (inquit) *ne infra laudatum videantur ſtare ingenium, panniculos quoſdam e diverſorum variâ lectione concerpunt, eos denique vilibus ſuis, veluti quibuſdam ſtupeis adſuunt, laceroque veſtitu turpiores nudis, abſque furaci meditatione metus eloquentiæ palliati incedunt.* Bibliot. P P. Tom. V. p. m. 708.

Necnon *Mauritius Hellingus* in Epiſtolâ ad Joachimum Erneſtum, Anhaltinum Principem: *Res oſtendit, quoſdam ignobilis famæ captatores ipſis Autoribus partes & laudes præripere, & ſine ullo judicio, & rerum delectu, ſpargere* aliorum *labores*, ſuppreſſo Autorum nomine, Helling. Ep. Dedic. 1. part. Argum. & Object. Melanchton.

atque ita in alienâ meſſe falce ſuâ frumenta demetere. Uſitatum enim admodum nunc eſt, aliorum ſuffurari *labores, & velle creſcere aliorum vigiliis & Commentationibus, quorum* nomina *tam* ſtudioſe *diſſimulantur.* Ac tandem *Martialis* in *Epigrammate* ad *Fidentinum*:

Martial. lib. 1. Ep. 14.

Una eſt in noſtris tua, Fidentine, *libellis Pagina, ſed certâ domini ſignata figurâ, Quæ tua traducit* manifeſto *crimine* furto,

Nec deeſſe videas, qui ſingulari *artificio* rem hanc agunt, alienas ſententias, *vocibus* aliquot *immutatis*, pro *ſuis* uſurpantes; quos *Severus Caſſius* iis comparare ſolebat *furibus*, qui poculis alienis *anſas* mutant, *ne agnoſci poſſint*; vel, juxta hoc Senecæ, *cuncta, quibus adjuti ſunt ingenioſè* abſcondunt, *id tantum, quod ipſi feciſſe videri volunt, oſtendentes.* Scilicet, ut *furum* effugiant nomen, *homicidæ* fiunt, rebus furtivis ipſam nonnunquam animam expectorantes. Quin cautius adhuc alii veluti *latrociniis* furta hæc tegunt; metuentes enim, ne horum aliquando peragantur rei, ſuperſtitibus, quibus convinci poſſent, documentis, bonos Autores in cineres redigunt, ne vel ex eorum cinere ultor ſuo tempore quiſquam exſurgat: per ſcelus laudem *ingenii* aucupantes, laudem *ingenui animi* amittentes *magnæque* famæ cupidiores quam *bonæ*. Sicuti enim, juxta Plinium, *benignum eſt, & plenum ingenui pudoris*, fateri, per quos profeceris, *ita obnoxii & contra animi eſt, & infelicis ingenii, deprehendi*

Eraſm. Apopht. lib. 8. pag. m. 661.

Senec. Epiſt. 84.

Plin. Ep. Hiſtor. Natur. præfix.

hendi tandem in furto *malle, quam mutuum reddere.* De ipso Aristotele sic loquitur Philosophus omni laude major *Gerardus Vriesius*: Fingunt [æmuli ejus] *Philosophum, coëmta regio sumptu priscorum sapientum volumina victimæ loco* Vulcano *obtulisse, ut sub arâ oblivionis ea componeret, ne olim hinc commissi* Plagii, *inde affictarum opinionum fide malâ, apud seram posteritatem existerent testes.* Et rursus *Martialis* ad sui expilatorem: Ger. de Vries Orat. pecul. habit. ultraj. 1. Septemb. 1674. Martial. lib. 1. Ep. 67.

Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse Virginis pater chartæ,
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest Liber novus.
Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus, atque membranâ,
Mercare tales ab eo, nec sciet quisquam,
Aliena quisquis recitat, & quærit famam,
Non emere librum *sed* silentium *debet.*

In quæ verba annotavit Scriverius; *Heraldus sic scribendum censet*: Mercare tales habeo; nec sciet quisquam. *Si vis, inquit, Libros ejusmodi emere, præsto est, qui tibi vendat. Habeo enim, quos nemo unquam vidit; nec cuiquam, quid inter nos actum sit, dicam: quod unum præstare debet is, qui merces ejusmodi vendit homini ἀλαζόνι, & ex alienis laboribus famam aucupanti.* Idem Martialis ad Quinctianum: Scriv. in h. loc. Martial. ibid. Ep. 53.

Commendo tibi. Quinctiane, *noſtros*
(Noſtros *dicere ſi tamen* libellos
Poſſim, *quos recitat tuus* Poëta)
Si de ſervitio gravi queruntur,
Aſſertor venias, *fatiſque præſtes*,
Et cum ſe dominum *vocabit ille*,
Dices eſſe meos, *manuque miſſos*:
Hoc ſi terque quaterque clamitâris,
Impones plagiario *pudorem*.

Maſtrigt. Gangren. Novit. Carteſian. Sect. poſt. cap. 17.

Adhuc ſunt, quibus aliorum Scriptorum *materiem* non tam volupe eſt *furari*, quam *nomen*; id eſt, qui *ſua* quidem produnt, ſed non niſi ſub *aliorum* illuſtrium Virorum *nominibus*, non quaſi *ſua* eſſent, ſed *illorum*:

Voſſ. Variar. Obſervat. pag. 246.

Tales haud pauci olim fuerunt inter *Judæos*, de quibus ſic Voſſius: *Infinita illi* [Judæi] *edidêre volumina partim ſub Patriarcharum & Prophetarum ſuorum nominibus*, *quales fuere Libri*, *qui lecti fuere ſub nominibus*, Adami, Enochi, Abrahami, Moyſis, Eliæ, Eſaiæ, Jeremiæ &c. *partim vero ſub nominibus illorum*, *quorum magna eſſet* apud Gentiles *exiſtimatio*, *veluti* Hyſtaſpis, Mercurii Triſmegiſti, Soroaſtris, Sibyllarum, Orphei, *& compluria alia rum*; concinente ipſi Celeberr. Spencero: *Olim* (ita ille) *Scripta πεψευγα in vulgus edebantur*, Zabiorum *dogmata rituſque referentia*, *quorum unum* Hermeti, *aliud* Ariſtoteli, Setho *aliud*, *aliud* Abrahamo, *aliud aliis Autoribus adſcribebatur*; *nempe ut eorum Autores genuini*, *tantorum Virorum autoritate muniti*, *cum ſplendore & privilegio quodam mentirentur*. Tales etiam quidam primis renaſcentis Eccleſiæ temporibus

Tacit. Annal. lib. 6.

Spencer. de Legib. Hebræor. lib. 2. cap. 1. §. 3.

bus extiterunt: quorum nonnulli bono fine, quidam dolo malo, adhuc alii ex ignorantiâ, vel a se scripta, vetustioribus adscripserunt, aut quæ subscriptione forsan carebant, *Sanctorum* nominibus inscripserunt. In hos digitum intendit Casaubonus, dum ait: *Quo ex fonte dubio procul exorti Libri sexcenti, quos illa ætas & proxima viderunt* [E.G. Euangelium *Thomæ*, *Thadæi*, *Bartholomæi*, quique *Dionysio Ariopagitæ*, *Clementi* Apostolorum discipulo, *Anacleto* &c. vulgo attribuuntur] *ab hominibus minime malis sub Sanctorum quorundam, imo ipsius D. Jesu nomine publicati.* Et paulo ante: *Officiosa hæc mendacia vocabant, bono fine excogitata. Palmarium quippe facinus judicabant, Cælestem veritatem figmentis suis adjutum ire, quo facilius nova doctrina admitteretur*, vel (quod addit Franciscus Fabricius) *ut Libri hominis alicujus insignis* nomine *ornati veluti reverentiâ quadam se commendarent, Autoribus eorum eos vendibiliores sic fore, majoremque* alieni nominis, *quam* sui, *insignibus gratiam consecturos se sperantibus.* Obtigit hoc *Ambrosio*, *Augustino*, *Hieronymo* ac præcipue a Monachis *Athanasio*; qui varia huic suppositerunt Opuscula, ut vino suo vel potius vappæ, hoc est, *ritibus* suis gratiæ & nominis aliquid conciliarent. Atque hâc de causa celebri nobilissimi illius Patris Scriptô (saltem adscribi ipsi solito) *Syntagmati fidei* dicto, hederam imprimis suspenderunt. Talis quoque *Marcus Marcellus*, nobilis Romanus, qui nil nisi sub aliorum nominum inscriptione publicum fecit. Talis famosissimus

Hottinger. Histor. Orient. p. 176.

Casaubon. adverſ. Baron. pag. m. 73.

Rivet. de Autorit. Pat. cap. 13. p. 83.

Fr. Patric. Discussion. Peripat. Tom. 1. lib. 3.

Basnag. Ep. Chrysost. pag. 112.

Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 1. §. 7.

ille *Alphonſus Ciccarellus*, qui, uti *e Leone Allatio* teſtis eſt *Hoornbekius*, aliorum *ſcriptis conſingendis, & ſub aliorum illuſtrium Autorum nominibus ſupponendis, venditandiſque, operam ſuam peſſimam impendit, celebris præcedenti ſeculo per Italiam falſarius.* Tales etiam alii, & plures forte, quam multis, qui diffuſæ lectionis non ſunt, facile obvium eſt. Eſtque hoc *plagii* genus omnium quidem turpiſſimum & impudentiſſimum: eo quod qui id committunt, in eos, quorum mentiuntur *nomen*, hoc non tantum reſpectu injurii ſint, quod *libros* ipſis adſcribant, quorum conditores non ſunt; ſed quod publicè etiam, ac mendaciſſime quidem, mediantibus iſtis pſeudo-epigraphis, orbi univerſo perſuaſum id velint; qui judicare aliter non poteſt, quam illorum *Libros* eos, quos vident, eſſe, quorum *nomen* titulumve in fronte ſuâ gerunt, juxta hoc Auguſtini: *Ubi potens aliquis invenerit* titulos *ſuos, nonne jure rem* ſibi *vindicat? & dicet: Non poneres* titulos *meos*, niſi *res* mea *eſſet.* Quod ſi vero jam contingat, ut *Librorum* illorum *ſuppoſititiorum* argumenta celebritati nominis eorum, quibus ſupponuntur, non reſpondeant, ut minimè vulgo reſpondent, quis non videt, agendi hunc modum in eximiam exiſtimationis illorum *Autorum* diminutionem non poſſe non cedere? Haud utique difficile eſſet variorum inter Antiquos exemplis, quæ de vulgari imprimis *plagio* mox dixi, adſtruere, ſed Scripti ratio id non fert. Omnium loco hæc pauca tantum habe: *Ariſtoteli* id quoſdam adſcripſiſſe ſupra diximus.

Voſſ. de Sibyll. cap. 7.

Auguſtin. in Pſ. 21.

Thomaſ. Tract. peculiar. de Plag. Literar.

mus. Adde hæc *Agrippæ* tantum verba: *Veterum dicta tantum compilavit, maligne explicuit, atque ita ingenti laudem* furto *& calumniâ sibi comparavit.* Homero idem impegit *Naucrates*, eo quod, cum in templo *Vulcani* Memphidico Libros *Phantasiæ* fœminæ, quæ *Iliadem* & *Odysseam* conscripserat, easque in Templo illo reposuerat, invenisset eos ut *suos* ediderit. Junge his *Hieroclem & Theopompum* apud *Eusebium*: de quo *priori* refert, quod *Scripta ejus ex* aliorum *sententiis non modo, verum* dictionibus *quoque ipsis, ac pene* syllabis *impudenter subducta fuerint.* De *posteriori* habet: Νῦν ὃ τῷ κλοπὴν δῆλην πεποίηκεν ἡ ὀνόματος μεταθέσις: Τοῖς μὲν γὰρ πράγμασι κέχρηται τοῖς ἀυτοῖς, ἕτερον δ' ὄνομα μετενήνοχε. Φερεκύδην γὰρ τὸν Σύριον πεποίηκε ταῦτα προλέγοντα· ἀ μόνον ὃ ταύτῳ τῷ ὀνόματι ἀποκρύπτει τὴν κλοπὴν, ἀλλὰ καὶ τόπων μεταθέσει. *Nunc vero furtum ipse suum nominis mutatione patefecit; rem enim eandem scribens* nomen *supposuit* alienum. *Id videlicet a* Pherecyde *quodam* Syro *prædictum fuisse tradit. Imo non hujus tantum nominis integumento, verum etiam locorum mutatione, suum ipse* plagium *conatur occultare.* Genuinus certe *Lavernæ* pullus! cui hoc *Ausonii* jure occinas:

Agripp. de Vanit. Scientiar. cap. 54.

Tollii Fortuit. pag. 29.

Euseb. de Præpar. Evangel. lib. 10.

Hic est ille Theon Poëta falsus,
Bonorum mala carminum Laverna.

Auson. Ep. 5.

legunt alii *Laberna.* Erat hæc Dea, cui supplices se exhibebant *fures*, qui & *laverniones*

Arnob. c. Gent. Lib. 3.

niones inde dicti. Ita Festus: *Fures* laverniones *Antiqui dicebant, quod sub tutelâ Deæ* Lavernæ *essent, in cujus luco obscuro abditoque soliti* furta *prædamque inter se luere, id est, partiri seu dividere.* Περιδίκη dicta est *Hesychio*, quod δίκην det, id est, jus τῆς πράξεως, sive *astutæ* & *callidæ actionis*; nam & hanc πρᾶξις aliquando notat. Quare & Germanis Belgisque *practyk*, Gallis *prattique* forensis non tantum usus est, sed *dolum* seu technam qualemcunque etiam significat Rogantque technas has suas *fures* a *Lavernâ* hâc Deâ; Horatius:

Varr. de L. l. lib. 4.

Rosin. Antiq. Rom. lib. 2. cap. 19.

Horat. Ep. lib 1. Epist. 16.

pulchra Laverna!
Da mihi fallere, *da justum sanctumque* videri,
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Prout idem fere lapidi *Ophthalmio* adscribitur, de quo sic *Marbodeus* apud *Ursinum*:

Ursin. Theol. Symbol. §. 190.

Asseritur furum *tutissimus esse* patronus,
Nam se gestanti visus *conservat* acutos,
At circumstantes obductâ nube *recondit,*
Ut spoliare domos possint impune latrones.

Addunt quidam *Mercurium*, furum quippe furtorumque autorem & repertorem. *Fures* enim, si quiquam, *lucro* intentissimi sunt, cujus præses est *Mercurius*. Ad eum *Ovidius*:

Saubert. De Sacrif. cap. 3. pag. 50.

Te quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra, *rogant.*

Ovid. Fast. lib. 5.

Ipse

Ipse *fur* nonnunquam dicitur, & *furta docere.* Prudentius, Arnob. lib. 4. pag. m. 83.

Expertes furandi *homines hac* imbuit *arte Mercurius.* Prudent. Hamartigen. pag. m. 363.

Quas autem non artes, tanquam verus Deæ hujus alumnus, *Eusebianus* hic *Theopompus* adhibuerit, apud eundem *Eusebium* videre est. Qui quidem, cum pluribus ex *Clemente*, *Porphyrio* aliisque *furti* hoc genus *Veteribus*, ac imprimis *Græcis*, usurpatissimum fuisse demonstrasset, sic tandem concludit: Τὰς γοήτων μέλας ὁ καθεῖς αὐτῶν λέξει ὁμοῦ καὶ διανοίας, καὶ ὅλας λόγων συντάξεις ἀποκλέψας, ὡς ἐπ' οἰκείοις πόνοις ἐσεμνένατο. id est; *Imo quemlibet passim videas, vicinorum suorum verba simul atque sententias, operaque nonnunquam integra* suffuratum, *non secus iis, ac propriis laboribus gloriari.* At quid *Antiquos* moror? Utinam ne in ipsis quidem probatissimorum seculi hujus Scriptorum *Libris* integra quandoque capita, verbotim imo iisdem plane syllabis ex aliis descripta, haud crebro nimis occurrerent, ne in genere quidem nominatis aut laudatis Autoribus, per quos profecisse se confiteri debebant! Diserte hâc de re *Rainaudus*, Scriptor non incelebris: *Inter sacros* (inquit) *Interpretes nihil hodie frequentius, quam ut unus alium expilet. Inde* tot recantationes, *tot variis titulis & nonnihil variâ dispositione plane* iidem *Libri. Quæ prior quispiam in* Genesin *dixerat, alius prope* verbotim *carpta, ne* nominato quidem Autore, *transfert*

Euseb. lib. Cit. pag. 461. 464.

Raynaud. Erotem. n. 274.

fert in suos Psalmorum *vel* Epistolarum *Commentarios*. Et quam acriter hoc nomine a Clar. *Vossio* non exagitatur Vir haud vulgariter alias eruditus *L. Cælius Rhodiginus? Nempe hoc actum* (dicit) *Rhodigino passim*, ut dissimulatis *Scriptoribus*, *unde sua hausisset*, *non alius quam ipse testis laudaretur.* Et alibi: *Et hic mos etiam fontes*, *unde quidque hauserint*, dissimulandi, *summis aliquot Viris seculo nostro perquam est familiaris.* Licet verear, ne *Vossius*, sic scribens, aliquanto iniquior in *Rhodiginum* fuerit. Quotquot enim *Lectiones* ejus *Antiquas* evolvere non dedignabuntur, deprehendent facile, cum vix quicquam in iis differre, quod Scriptoribus, quorum usus est operâ, generosè & ingenuè non attribuat. *Anteloquii* saltem dictarum *Lectionum* Autor quisquis sit, plane aliter de eo pronunciavit. Hæc ejus verba sunt: *Sicuti* Antiquarum *Lectionum Commentarios* conc nnarat *olim vindex* Cesselius, *ita nunc eosdem per incuriam interceptos*, *reparavit* Ludovicus Cælius Rhodginus, *in corporis unam veluti molem aggestis primum linguæ utriusque floribus*, *mox advocato ad partes* Platone *item ac* Platonicis *omnibus*, *nec non* Aristotele, *ac ejusdem hæreseos Viris aliis*, *sed &* Theologorum *plerisque ac* Jureconsultorum, *ut* Medicos *taceam* Mathesin *professos*, *ex quâ velut lectionis farragine*, *explicantur linguæ Latinæ loca*, *quingentis haud pauciora fere*, *vel aliis intacta*, *vel penticulate parum excussa.* Immemor forte *Vossius*, cum hæc scriberet, fuit, quod ipsemet innumera ex *Martinio*, autoris nomine dissimulato, desumpserit, testi-

Voss. de Idololat. lib. 3. cap. 84.

Præfat. Ll. Antiqq. Rhodigin.

Menag. Amœn. Jur. Civil. c. 99.

teſtibus *Menagio* & *Almelovenio*. Prout & nuperrime Grammatici *Paraſini* ei improperarunt, quod e *Sanctio* & *Scioppio* ſuorum quamplurima exſcripſerit; quâ tamen culpâ abſolvere eum conatur Doctiſſimus *Phorbæus*; cui haud illibenter calculum adjicio. De *Petro Galatino dicit* Johannes Morinus: *Quæcunque habet* Galatinus *toto libro ſuo a* Porcheto *Carthuſiano deſumpſit; nec* Porcheti *vel de nomine mentionem fecit.* Plagium *ſane portentoſum, cui vix ſimile unquam factum eſt. Nam* Galatini *liber nihil aliud eſt quam* Porcheti *deſcriptio, ipſiſſimis* Porcheti *verbis, atque etiam textum Hebræorum tranſlationibus conſervatis.* Et poſtea: *Verba* Galatini *legiſti*, Lector, *cum* Porcheti *retulimus.* Prout *Plagii hujus Galatiniani*, imitationem *Claudio* etiam *Fraſſenio* nuper exprobravit *Natalis Alexander*, Theologus Pariſinus, conceptis verbis dicens, ipſum *e Waltono, Morino, Buxtorfio, Huetio* aliiſque *Diſquiſitiones* ſuas *Biblicas*, Aº. 1682. *Lutetiæ* editas, æque ac olim ordinis ſui Fratrem *Galatinum* Arcana *ſua e* Raymundi Dominicani *fugione, corraſiſſe & compilaſſe.* Criminis hujus dicam *Aretino* etiam ſcripſit *Chriſtophorus Perſona*, eo quod *Procopii* Hiſtoriam *Gothicam*, preſſo *Autoris* nomine, in lucem emiſiſſet. Imo ne ipſi quidem *Scaligero* pepercit *Voſſius*, dum ſic infit: *Autor hujus locuples eſt* (egerat de *leporibus*) Johannes Leo, *Africæ ſuæ libro 9. cap. de* Camelo, *& ex eo, ſed* præterito, ut ſolet, ejus nomine, *Cæſar Scaliger*, *Exercit.* 209. Et alibi: *Eandem rem narrat* Cæſar Scaliger,

Almelov. Opuſc. pag. 194.

Phorbæ. Præf. Medull. Voſſ. præfix.

Morin. de Græc. Hebræ. ſinceritat. lib. 1. cap. 2.

Natal. Alexand. Diſſert. Anticrit. adv. Claud. Fraſſen.

Voſſ. Tract. cit. lib. 3. cap. 58. 59.

ger, *Exerc.* 209. *ubi & alia de* Camelo *miranda legas*: *sed* (NB) *ex uno hoc* Leone *descripta*, nomine Autoris præterito, *quod solenne esse summo Viro, superius etiam querebamur.* Eandem ob causam notatur ab Hoornbekio *Johannes Gerardi*: *Et sic* (dicit) *Cocus noster pag.* 156. *&, qui hunc* gnaviter semper describit, *Johannes Gerardi. pag.* 156. Et quis candidioribus in *Isidoro Clario* verbis id carpit, quam *Matthæus Polus*, eruditissimus *Synopseos Criticorum* Autor? *Ignavum* (inquit) *illum manifestumque* plagiarium *Isidorum Clarium lubens prætereo, qui ex Munstero plerumque, non modo* sententias, *sed &* verba *fere singula descripsit. Qui si in ea Republicâ vixisset, ubi* ingeniosis furibus *veniâ concessâ*, imperitis *tantum & segnibus pœna capitis statuebatur, ad furcam procul dubio damnatus fuisset.* Imo ne absolvi quidem crimine hoc plane potest inter Theologos nostros, vir alioqui subtilissimus, *Johannes Maccovius*. Quodsi enim inspicere non detrectes *Exercitationes* ipsius *Remonstrantium* hypothesibus abhinc annos aliquot oppositas, docebunt te oculi tui, eximiam earum partem non tantum quoad *materiam*, sed quoad ipsa etiam *verba*, e Belgico *Latine* versa, e Clar. *Molinæi* Anatome *Arminianismi* compilatam esse. Quod in Doctore, extemporanei acuminis honore alias celebratissimo, miratus semper fui. Hunc etiam alius postmodum secutus est *scriptor*, cætera optime de Ecclesiâ meritus, qui vernaculo sermone egregium concinnavit opus, Adversariisque opposuit, in

Hoornb. Vet. & Nov. part. 1. pag. 129.

Pol. in Præfat. ad 1. Tom. Synopf. Critic.

Maccov. Colleg. Theolog. Disp. 4. & 11.

Molin. Anatom. Arminianism. cap. 5. & 24.

qu o

quo vix quicquam tamen habet, quod ex alterius doctissimi Viri lucubrationibus *Latinis*, contra eosdem Hæreticos emissis, non deprompsit; cujus tamen perraro, si cum aliis, quos multo frequentius memorat, compares, mentionem facit. Parco aliorum plurium nominibus, ne videar honorificæ eorum existimationi detractum quicquam velle: tametsi forte inter eos non desint, qui satis alias mordaciter eos exagitarunt, qui candide & generose nominare in more habebant, a quibus sua, quæ promebant, commodato acceperant; vasta interim volumina in lucem protrudentes, quorum forte ne minimam quidem particulam, ut vere *suam* venditare auderent, nisi stulte, a nemine alio legenda *sua* crederent, quam ab iis, qui præter illa nullum alium Scriptorem legerint unquam vel inspexerint.

V. Multo proinde *Scriptore* cordato dignius est, istiusmodi sibi imitandos proponere Autores, quibus (ut Jureconsulti *justitiam* describunt) *perpetua constansque animi voluntas est*, ut in aliis rebus, ita etiam in *scribendis libris*; suum *cuique tribuendi*, hoc est, qui a *furto* hoc *literario* plane alieni sunt, *Gryphiandros* nempe, *Heinsios*, *Dietericos*, *Geusios*, *Spanhemios*, *Altingios* &c. *Semper* (de se ipso dicit Gryphiander) *id egi, ut fideliter allegando Autores* furti literarii *maculam effugerem, cujus multi non ex modernis tantum, sed & ex Antiquioribus Scriptoribus rei aguntur, qui opes & Glossas, quas fecerunt D D. antiqui, mortui jam multis temporibus, viventes sibi appropriant, ut*

Gryphiand. Tract. de Insul. in Præfat. p. 14.

ut consequantur laudem & gloriam Scholarum. Et Heinsius: Ad *laudem atque existimationem ingenui probique Viri interesse existimavi semper, ut per* quos profecerit, *a quibus fuerit adjutus, nemo ignoret. Usi ergo sumus* Scaligeri *codicibus duobus &c.* Neque aliter Dietericus: *Satius* (ait ille) *duxi profiteri quemque, quam ullum laude sua fraudare, quam merentur, qui εἰς πάντα μαθήματα facem prætulerunt.* Nec non Geulius: *Cramben recoctam nolunt neque alii, neque ego. Abhorreo, & semper abhorrebo, imo* piaculum *duco, labores a maximis Viris multo sudore exantlatos,* pro *meis venditare, cum in aliorum scriptis compilandis ἀνδραποδίστης & fur audire nolui. Et quod ab aliis laudatum, libatum aut tractatum est, tanquam recens inventum obtendere,* a furto *parum differt, & doctis bilem movet, ac fastidium parit.* Ac tandem Spanhemius: *Hoc etiam addo, me nemini studio observationes suas,* suppresso Autoris nomine, *intervertisse; si quid tamen tale imprudenter a me alicubi factum, repetundis postulatus, aliena spolia res suas sibi habere jubebo.* Ita illi. Quibus non possum non addere *e Gentilibus* Æschylum Poëtam, dicere solitum, *Τὰς αὑτῶ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι τῶν ἐμῆς μεγάλων δείπνων, Tragœdias suas de magnis Homeri cœnis particulas tantum esse.* Adeo nempe æquum justumque esse existimabat, pleraque sua *Homero,* cui debebantur, accepta referre. E. *Christianis* habe *Nepotianum,* de quo sic alicubi *Hieronymus,* cujus suave corculum erat: *Ingenuo pudore ornabat ætatem;*

Heinf. in Append. ad Aristarch.

Dieteric. Præfat. ad Antiqq. Biblic.

Geuf. de Victim. Human. part. 2. cap. 8.

Spanhem. Dub. part. 1. in Ep. ad Lector.

Pezel. in Obj. & Resp. Melancht. part. 3. in Præfat.

Hieronym. Ep. 2. ad Heliodor.

tatem; *quid* cujus esset *simpliciter confiteri*, *atque hunc in modum eruditionis gloriam declinando eruditissimus habebatur. Illud*, *ajebat*, Tertulliani, *illud* Cypriani, *hoc* Lactantii, *illud* Hilarii *est*. *Sic* Minutius Felix, *sic* Victorinus, *in hunc modum locutus est* Arnobius. *Me quoque quod attinet*, *quia pro soliditate avunculi diligebat*, *interdum proferebat in medium*, *lectioneque assiduâ*, *& meditatione diuturnâ*, *pectus suum* Bibliothecam *fecerat Christi*. Imo vero a *criminis* hujus maculâ usque adeo abhorruit consummatissimus Theologus *Henricus Altingius*, ut vel levissimam ejus subire *suspicionem* quam sollicitissimè caverit. Ecce ipsissima ejus verba: *Hunc* Quintilianum *propriâ suâ manu descriptum*, *ante annos xx. scilicet Christi* 1620, *in Collegio* Sapientiæ *manu meâ excepi*, *atque etiam ex communi* (Bibliothecæ scil. Heidelbergensis) *incendio eripuissem*, *nisi veritus fuissem*, *si in supellectili meâ reperiretur* liber antiquus, *etiam mea omnia pessum irent*, *& ego ita apud posteros inter* plagiarios *recenserer*. Neque minori apparatu, sed majori potius & forsan nimio, invidiam hanc amoliri conatus est *Seldenus*, cum esse aliquem deprehenderet, qui nonnulla a se e *Petro Fabro* transcripta, & in *Syntagmata* sua de *DIS Syris* congesta esse, orbi literato persuasum vellet. Se culpâ eâ vocare multis protestatur, Deum innocentiæ testem inclamat, *Fabrum* ante primam *Syntagmatum* suorum editionem nunquam inspectum a se esse dicit, tandem haud uno, sed variis respectibus *Fabriana* a suis quam lon-

Alting. Histor. Palatin. m. 5. pag. 6.

Selden. de DIS Syris in iteratæ Edit. Præfat.

Donat. in Terent. Vit.

longiſſime diſcrepare, invictè oſtendit. Taceo *Terentium* Comicum, qui non tantum *Græcorum* inſtituta moreſque percipiendi, ſed & vitandæ opinionis cauſa, quia videbatur *aliena* pro *ſuis* edidiſſe, urbem *Romam* egreſſus eſt, nec unquam poſtea ad illam rediit. Tempore enim Poëtæ illius non obſcura erat fama, adjutum eum in ſcriptis ſuis fuiſſe, juxta nonnullos, a *Lælio* & *Scipione*, quibuſcum familiariter vixerat, juxta alios (quoniam duo illi adoleſcentuli tum demum erant) a *C. Sulpitio Gallo*, homine docto, vel *Qu. Fabio Labeone*, & *M. Popilio*, conſulari utroque & Poëtâ. Quod qualitercunque ſe habeat, ipſe ſaltem *Terentius* famam illam non tantum non minuit, ſed auxit e contra; eo quod nunquam niſi ſiccè & frigidè duntaxat ſe tutatus contra eam ſit. Ipſum eum audi in *Adelphorum* Prologo:

Terent Adelphor. prolog.

Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, aſſidueque unà ſcribere:
Quod illi maledictum *vehemens exiſtimant,*
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui vobis univerſis & populo placent.

Montagne Eſſ. Livr. 1. Chap. 39.

Ita nempe tum temporis negligebat *Plagii* illius ſuſpicionem; quæ tamen poſtea adeo ipſum uſſit, ut Patriâ extorris fieri maluerit, quam qualitercunque eâ gravatus, inter familiares ſuos diutius morari.

VI. Neque

VI. Neque negari tamen poteſt, perquam arduum eſſe, poſt tot eruditiſſimorum hominum docta pignora, *inauditi* quicquam in ſcenam producere, cum

nil fingere factu,
Aut dictu valeas mirum inviſumque. . .

Barth. Zodiac. Chriſtian. pag. 224.

Unde & neceſſitas Scriptoribus, etiam maxime ingenuis, impoſita eſt, aliorum cogitata, ut ſua, nonnunquam adoptandi; uti & nemo unquam abſolutè id improbavit. Quod enim de Scriptoribus *antiquis* dicit alicubi Euſebius, *honorem ipſis eſſe, ſi bene docuerint, quod* repetantur *eorum doctrinæ*, quidni quibuſvis aliis Scriptoribus etiam applices? Præſtat enim aliquando pedem in alieno ponere, quam impervium ſemper vagari callem, & proprio nimium ſtipiti inhærere, cum Lectoris non tantum ſed & veritatis inſigni ſæpe diſpendio. *Ego quid acturus* (quærit de ſeipſo Hieronymus) *qui nullum* prævium *ſequens*, peſſimum, *ut dicitur*, *memet* ipſum magiſtrum *habeo*? Græce, ἐγὼ δὲ τὶ διαπράξομαι, ἡγουμένῳ ἑπόμενος οὐδενὶ, ἀλλ' ἐμαυτὸν κάκιστον, ὡς ὁ λόγος φησὶ, διδάσκαλον ἔχων? Glorioſum nonnullis videtur ſapere PRÆ multis, ſed longe-ſatius eſt, ſi fieri poſſit, & digni ſint, ſapere CUM multis. De *Mantuano Vate* habet Macrobius; *Quis fraudi* Virgilio *vertat, ſi ad excolendum ſe, quædam ab* Antiquioribus *mutuatus* ſit? *cui etiam gratia hoc nomine debetur, quod nonnulla ab illis in Opus ſuum, quod*

Eccleſ. 1. 9.

Euſeb. lib. 2. adv. Sabell.

Hieronym. Ep. ad Dextr.

Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 1.

æterne manſurum eſt, transferendo fecit, ne omnino Veterum *memoria deleretur.* Imo vapulat exertis verbis *A. Gellio* Seneca, *quod nihil dignitatis aut gratiæ ex* Veterum *ſcriptis vernaculæ & plebeiæ ſuæ* (ut loquitur) *eruditioni addiderit.* Ingenioſè olim *Zeuxis* Crotoniates, *Helenam* formâ undequaque perfectiſſimâ effecturus, cum omnia, e quibus conſtare excellens illa, quam quærebat, pulchritudo debebat, in uno reperienda corpore eſſe deſperaret, quinque formoſiſſimas elegit, & ad ſe deduci juſſit virgines, ut quod in quâque earum excelleret maxime, in ſuum exemplar referret: atque hâc arte opus omni laude majus effecit & perfecit. Quis vero jam eſt, qui ullâ juris vel æquitatis ſpecie ſagaciſſimi illius Artificis a nullis non Scriptoribus, in *Libris* ſuis concinnandis, veſtigia premi vitio unquam verterit? ea ſcilicet, quæ in unoquoque Autore laudabilia & elimata maxime offendunt, in uſum ſuum rapientibus, atque exinde, quod commentari in animo habent, judicioſè, quin & audacter nonnunquam componentibus & perficientibus: imprimis adeo induſtrii ſi ſint, ut quæ *aliorum* ſunt, juſto ordine ſuis infarcire norint, riteque connectere. *Quæ hic pro-*
pono (verba ſunt Paſchaſii Ratberti) *multorum ſunt eruditiſſimorum hominum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis, ſed proprio commendata ſtylo* novitas *facit eſſe mea. Ita ut Tractatus, qui de* pluribus *colligitur*, unus *vere videatur, & ſpecialiter eſſe meus.* Quinimò negare quis auſit, imprimis oculatior ſi ſit, & modicæ tantum

Gell. N. A. lib 12. cap. 2.

Plin. lib. 39. 9.

Paſchaſ. Ratbert. in Præf. lib. 6. ad Matth.

tantum lectionis, quin (ut ut contrarium jactitare soleant homines quidam, qui, ut novivenduli videantur, nugivenduli sæpe sunt) universa fere moderna *scribendi* ratio in hoc solo consistat, quod quæ ab *his* scripta olim sunt, recoqui *ab aliis* videamus, adjectâ tantum novâ quadam super antedictis ἐπεξεργασία, vel appositis novis quibusdam antescriptorum amplificationibus; tum per earundem thesium probationes recenter inventas, harumque ab opponentium exceptionibus instantiisque, hactenus non usurpatis, vindicationem; tum per nonnullorum (quæ plurium Literatorum primaria & laboriosa diligentia jam est) e Scriptoribus antiquis locorum, quæ vel in dubium tracta, vel variis eruditorum interpretationibus intorta, saltem vexata hactenus fuerunt, repetitionem & conglomerationem, haud quidem inutilem semper & illaudabilem, modo, qui modum excedunt, nonnunquam non interstreperent. Invenias enim non raro nonnullos e *Criticorum* grege, qui pro voculâ non ita pervulgatâ, si quam invenerint, aut paulo reconditiore fabulâ, aut abstrusiore loquendi modo, ubivis haud ita obvio, vel febriculosâ quadam ad Grammaticam pertinente observatione (*Lipsius* refert ad *scabiem Criticam*) inauratâ statuâ se dignos putant, tamque effusè nonnunquam eapropter gestiunt, exultant, triumphant, studiumque suum nemini non prædicant, ac si rarissimo exemplo ipsas *Babylonas* occupassent: haud pene absimiles in hoc *Pythagoræ*, de quo testis est *Plutarchus*, quod, cum Geometriæ

Muret. Orat. 3. Vol. 1.

Lips. Epist. Præterit. Ep. 13.

insignis admirator esset, ob *unum* tantum *problema*, eo spectans, inventum, totum bovem Dis suis immolârit. Ita Apollodorus:

Plutarch. Op. part. 2. pag. m. 1094.

Pythagoras celebri diagrammate *quando reperto,*
Mactato fecit splendida sacra Bove.

Atque hi quidem sunt, qui se tum *novi* & admirandi quid in scenam produxisse putant, cum ego e contra, ut olim, ita & jam verissimum & æquissimum *Comici* hoc essatum esse existimem:

Terent. Eunuch. in Prolog.

Nullum est jam dictum quod non dictum sit prius:
Quare æquum est, vos cognoscere atque ignoscere,
Quæ veteres *factitarunt, si faciant* novi;

communi quippe omnes Bibliopæi privilegio hic gaudent. Imo vero siquis e *meris* aliorum cogitatis & dictatis *Librum* forte aliquem concinnet, ne hoc quidem mox fraudi ei esse oportet, modo, debito iis, quorum ope usus est, honore relicto, ea quæ scribit in justum redigere ordinem possit, atque adeo, dum *materiei*, quam tractat, autor non est, *formæ* saltem ejus ingeniosum artificem se esse demonstret. Hinc condemnandi non sunt, e contra commendandi, qui Librorum & Tractatuum, a se selectorum, *Summas* exhibent, uti *Photius* fecit in *Myrobiblo*, & *Gesnerus* in *Pandectis*, & *Justinus* Trogi, Florus Livii, quinipse *Eusebius* in Chronico, Africani

cani *Summatores* extiterunt; vel *Eclogas* e Scriptore vel Scriptoribus edunt, cum *Stobæo*; vel variis denique de locis sensibusque diversis carminis cujusdam structuram in unum solidant, aut e *multis* fragmentis scriptum aliquod contexunt, quod *κέντρων* Græcis, Latinis, omisso R, *cento* dicitur; de quo Scriptorum genere sic alicubi Scaliger: *Quum versuum membra hinc inde collecta assuuntur*, rhapsodiæ. *nomen repræsentant: atque idcirco* centones *appellati sunt, a* centonibus, *quibus sunt stragula. Tale apud* Ausonium *poëma, e frustis* Virgilianis *coagmentatum; tale etiam* Probæ *poëtriæ Christianæ, cui ab opere* centone *nomen factum est.* Quam imitatæ sunt *Eudoxia* Imperatrix, & *Olympia Fulvia Morata* ex *Homero.* Et quid *Lipsius* de *Politicis* suis? *Lapides & ligna* (inquit) *ab aliis accipio, ædificii extructio & forma tota nostra est.* Architectus *ego sum, sed* materiam *varie undique conduxi. Nec araneorum sane textus ideo melior, quia* ex *se fila gignunt, nec noster vilior, quia* ex alienis *libamus, ut apes.* Et ingenue Voetius (*plagium* alias ad *falsi crimen* referens, *Nolo hic taxare, qui ex* aliorum *fontibus & fluviis rivulos derivant, aut qui pugnum aliorum in palmam extendunt, aut vice versa palmam in pugnum contrahunt.*

Scaliger. Poëtic. lib. 1. cap. 43.

Lipsius Not. in Politic. cap. 1.

Voet. Disput. Select. part. IV. pag. 695.

VIII. Sed vero universa aliorum capita harpagari, imo tractatus dimidiatos describere, & ut *suos* Lectoribus obtrudere, ne interposito quidem quali quali propriæ mentis judicio, nullisque *magistris* laudatis, uti aversabile *plagium* est, ita a nemine, cui

vel cerebri unciola tantum restat, nisi pro *ingrati* in *Præceptores* animi manifestissimo indicio haberi potest. Haud immeritò, qui sic faciunt hoc *Aristophanis* applices:

Aristoph. in Equit.

Ἐγὼ δὲ περιπατῶν γ' ἀπ' ἐργαστηρίου
Ἔψαντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὀφειλόμην.
Ego obambulans ab officinâ longius,
Alio *coquente*, ollam paratam *sustuli*.

Vel hoc *Diocletiani*, tum nondum Cæsaris; cui solenne erat, de *discipulis* quibusdam dicere, *quod* Præceptores *suos apros occidere sinerent, ipsi pulpamento placide fruentes*: id est, quod *grave* erat, multâque indigeret operâ & curâ, *Præceptoribus* committentes, quod vero *leve*, & honorificum esset, *aliorum* nempe vitulâ arare, *furtivoque* illustrari splendore, sibi reservantes; quod utique *Scriptoribus* & Autoribus, si resciscant, non nisi tormenti vice esse potest. Scilicet

Hos ego versiculos *feci, tulit alter honores*:
Sic vos *non* vobis *nidificatis aves*,
Sic vos *non* vobis, *vellera fertis oves*,
Sic vos *non* vobis *mellificatis apes*,
Sic vos *non* vobis, *fertis aratra boves*:

uti questus olim est *Virgilius*, cum *Bathyllus* distichon ab ipso in *Augusti* honorem scriptum

(*Nocte pluit totâ redeunt spectacula mane,*
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet)

sibi

sibi ipsi perfidè vindicasset, nec vulgariter eapropter ab Imperatore donatus & honoratus esset. Non *Bathyllus* ille *Samius* (ut obiter id notem) *Anacreonti* dilectus, de quo Horatius in Epodis: Horat. Epod.

Non aliter Samio *dicunt arsisse* Bathyllo
Anacreonta *Teium.*

sed *Pontomimus*, patriâ Alexandrinus, *Mecœnatis* delitium, cujus *Tacitus* alicubi meminit. Tacit. Ann. lib. 1.

Castigavit scribendi hunc modum, ut insignem *ingratitudinem*, in *Macrobio* Petrus Crinitus, cum e penu *Gellianæ* eruditionis quamplurima in *Cœnas* suas deprompsisset: *Homo* (inquit) *fuit quidem eruditus, sed ingenio* maxime ingrato, *ac prope impudenti, ut qui tanto æris alieni cumulo nusquam creditoris* nomen *profiteatur*; neque alio eum carbone in *Galatino* notavit *Hottingerus*, dum dixit: *Quare* Galatinus *ille Franciscanus* ingratus *fuit*, *qui ne semel quidem* Raymundi Sebondi (ex hoc enim, juxta *Scaligerum*, omnia sua surripuerat, *Morinus* dicit ex *Porcheto*) nomen *memoravit*. Pet. Crinit. de bon. Discipl. disc. 4. Hottinger. Histor. E. part. 5. p. 102. Scalig. Ep. 241.

Adde quod *latrocinium* hocce *literarium* hoc quoque nauseoso multari soleat incommodo: quod, qui id committunt, in scriptione suâ nonnisi *inæquali* fere procedere possint pede; adeo ut tunc legere videâre *Tullium*, nunc *Tacitum*, tunc ampullas *Sophocleosque* cothurnos, nunc interruptum, *trivialem*, humique repentem stylum, singultienti magis quam *articulatè loquenti*, vel *accuratè* & nitidè *scribenti* convenientem, quasi veluti

Horat. de Art. Poëtic. Ver. 3. 4.

atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,

& trunco aureo luteos suppositos pedes videas. Quod quam probrosum generoso Scriptori sit προσφανέστατον ἐστὶ. Displicuit saltem vehementer *Erasmo*, Theatri literarii alteri veluti *Roscio*, scribendi hæc ratio. Hujus enim stylum si consideres, eum non nisi apertum, simplicem, modestiæ plenum, doctum, eruditum, perpolitum, nihil scabri, contorti, conturbati habentem, e contra (quod præcipuè videtur attendisse) *sui in omnibus simillimum*, æquabilem, uniformique tenore fluentem semper & ubique offendes. Ut multa paucis, si expendere modo lubeat solertissimum *Aristophanis* judicium, quod apud *Vitruvium* est, patescet facile, quam invisum & invidiosum *Plagium* hoc apud Antiquorum aliquos semper fuerit. Historia sic habet: *Is* (Aristophanes nempe) *cum a Ptolomæo Philadelpho Musis & Apollini dicatis inter judices literatos septimus assideret, cæterique sex unanimi sententiâ primas & secundas in certamine* Poëtarum *tribuissent illis, quos maxime animadvertissent multitudini placuisse, eum primum pronuntiari jussit, qui minime populo placuisset. Quod cum miraretur tum Rex, tum multitudo universa, dicendi veniam flagitavit, eâque impetratâ, factoque silentio, eum solum poëtam esse dixit, cæteros vero non* sua, *sed* aliena *recitasse, judicantium vero esse, non* furta *sed* scripta *judicare & probare. Idque cùm ex armariis eductis Voluminibus ostendisset, coëgissetque qui recitârant, se* furatos

Morell. Enchirid. ad Verb. Cop. pag. 13.

Vitruv. in Proœm. libr. 7.

Ursin. Mantiss. ad Acerram Philologic. §. 137.

tos *sua esse, confiteri, Rex cum illis* furti *agi jussit, condemnatosque cum ignominiâ dimisit.* Aristophanem *vero amplissimis muneribus ornavit, & super* Bibliothecam *suum eum constituit.* Ac justissimum certè *Aristophanis* hoc judicium fuit, meritissimoque hæc in expilatores irrogata pœna, cum juxta *Synesium*, Ptolemaidis *Episcopum*, *impium magis sit mortuorum lucubrationes, quam vestes eorum furari, magnamque hoc crimen cum ipsâ* sepulchrorum effossione *affinitatem habeat*, quam nemo unquam impune commisit. Juxta enim Senecam *sepulchri violati est actio*; proque circumstantiarum vario discrimine *tum* relegatione, *tum* damnatione ad metalla, *tum* deportatione, *tum* pecuniâ, *tum* manus amputatione, nonnunquam etiam morte autores ejus mulctabantur; ut neque multum ab alienarum arborum succisione differt, cujus supplicium non minus capitale semper fuit. Virgilius:

Synes. Ep. 41.

Senec. lib. 4. controv. 4.

Kirchmann. de Funerib. Roman. lib. 3. cap. 26.

Atque malâ vites incidere falce novellas.

in quem locum Servius: *In hoc maximum nefas* est, *quod ait vites* novellas. *Nam* vetulæ *& cum utilitate incîduntur. Fuerat autem* capitale *supplicium arbores* alienas *incidere.* Præsertim autem locum hæc habent, si de tali quoque *Flagio* sermo sit, quo *aliena* non tantum venditamus ut *nostra*, sed *nostra* etiam sub *aliorum* Magnorum Virorum *nomînibus* in publicum emittere præsumimus. Quam enim male hoc *furti* genus cesserit *Alphonso Ciccarello*, cujus & supra

Serv. in Virgil. Eclog 8.

memininus, Hiſtoriæ teſtantur. Hic enim poſtquam univerſæ pene *Italiæ*, idque prolixo ſatis tempore, ementitis ſuis Manuſcriptis, Antiquitatibus, Actis, Libris, iiſque ad omne argumentum confictis, impoſuiſſet, turbaſque haud leves ubicunque excitaſſet, deprehenſus ſub *Gregorio* XIII. Pontifice in phylacam rectà adductus eſt, cumque crimen nec negaſſet, nec palliare, multo minus excuſare potuiſſet, *falſitatis* reus declaratus, ad ſupplicium ductus, reſectâque prius a carnifice manu, palo alligatus, laqueo ſuffocatus, totuſque tandem feralibus flammis exuſtus eſt. Licet non deſint, qui, in mitiorem inclinantes partem, eum capitis ſimpliciter damnatum fuiſſe putant. Quod quomodo ſe habeat, jam non inquirimus. Sufficit in liquido hinc eſſe, Pontificem *Plagiarium* illum non vulgarem indigniſſime habuiſſe; aſſectatum in eo *Grammaticos* ſive *Cenſores* Romanos, qui quoſcunque libros, *falſo* ita inſcriptos, tanquam *ſubdititios* familiâ ſubmoverunt, neque, ut laude lectuque dignis Eruditorum pignoribus accenſerentur, permiſerunt. Ad rem Rivetus: *Si juſto* ſupplicio *plectuntur, qui per incautæ plebeculæ manus* adulterinam *monetam diſſeminant; eodem certe affici merentur, qui horrendum id in Eccleſiâ deſignant* flagitium, *ut ineptias ſuas, hæreſes & ſuperſtitiones* [quidni & alia commenta?] *pro fide dignis operibus, claris* nominibus *confictis ſupponunt, notha pro legitimis.*

Leo Allat. in Append. ad Fragment. Antiquit. Etruſc. & de Libb. Apocryph.

Quintil. Inſtitut. Orator. lib. 1. cap. 4.

Rivet. de Autorit. Patr. cap. 31. pag. m. 86.

VIII. Atque hæc quidem cum ita ſint, mirari ſæpe ſubiit, quomodo Theologi quidam non incelebres, & vere eruditi (forſan

san; quod in more sibi esset in *Commentationibus* suis sine alienâ vitulâ vix arare, omissis passim eorum, a quibus docti sua erant, nominibus) in animum suum inducere potuerint, ut artificium hocce κλοπικὸν tanto conatu excusare, palliare minimum, quantum pote est, & incrustare laborarunt, e contra aculeatè satis exagitare, qui in Scriptis suis aliorum Autorum suffragiis certare, ac per quos proficerint, cum illustri *Spanhemio*, ambitiose *quidem testari in* more habent. Sic ante annos aliquot Prideauxius: *Iis* (inquit) *solenne est aliorum sententiis latas paginas implere, ut ad tam multiplicem lectionem imperitiores stupeant.* Quem secutus pronuper est alius quidam Vir magni nominis, cujus hæc verba sunt: *Nempe prout in convivio cibi appositi, & panis in frusta sectus non amplius sunt solius heri, sed omnium invitatorum, quibus jus est, quantum lubet, de omnibus vesci, & quod vult quisque eligere; ita & cogitationes conceptusque publico donatos, non esse illius solius, qui istos invenit primum, sed omnium communes, & quos proprios facere cuique licet, cui ascisscere placet.* Eos vero, qui a se hic divortunt, *citandis sine modo & fine Auctoribus centones suos farcire* dicit; *ut multæ lectionis & vastæ eruditionis titulo apud semi-doctos & sciolos superbire queant.* Sat equidem dictatorie & odiose! sed vero, uti jungit nonnunquam

Spanhem. Dub. Euang. part. 1. in Præfat.

Prideaux. Orat. 3. cap. 2.

Horat. de Art. Poëtic.

Humano capiti cervicem pictor equinam,

sic componuntur hic etiam cum se invicem, quæ haud magis conveniunt, quam cum quadratis

Leo Allat. in Append. ad Fragment. Antiquit. Etrusc. & de Libb. Apocryph.

meminimus, Historiæ testantur. Hic enim postquam universæ pene *Italiæ*, idque prolixo satis tempore, ementitis suis Manuscriptis, Antiquitatibus, Actis, Libris, iisque ad omne argumentum confictis, imposuisset, turbasque haud leves ubicunque excitasset, deprehensus sub *Gregorio* XIII. Pontifice in phylacam rectà adductus est, cumque crimen nec negasset, nec palliare, multo minus excusare potuisset, *falsitatis* reus declaratus, ad supplicium ductus, resectâque prius a carnifice manu, palo alligatus, laqueo suffocatus, totusque tandem feralibus flammis exustus est. Licet non desint, qui, in mitiorem inclinantes partem, eum capitis simpliciter damnatum fuisse putant. Quod quomodo se habeat, jam non inquirimus. Sufficit in liquido hinc esse, Pontificem *Plagiarium* illum non vulgarem indignissime habuisse; assectatum in eo *Grammaticos* sive *Censores* Romanos, qui quoscunque libros, *falso* ita inscriptos, tanquam *subdititios* familiâ submoverunt, neque, ut laude lectuque dignis Eruditorum pignoribus accenserentur, permiserunt. Ad rem Rivetus: *Si justo* supplicio *plectuntur, qui per incautæ plebeculæ manus* adulterinam *monetam disseminant; eodem certe affici merentur, qui horrendum id in Ecclesiâ designant* flagitium, *ut ineptias suas, hæreses & superstitiones* [quidni & alia commenta?] *pro fide dignis operibus, claris* nominibus *confictis supponunt, notha pro legitimis.*

Quintil. Institut. Orator. lib. 1. cap. 4.

Rivet. de Autorit. Patr. cap. 31. pag. m. 86.

VIII. Atque hæc quidem cum ita sint, mirari sæpe subiit, quomodo Theologi quidam non incelebres, & vere eruditi (forsan

san; quod in more sibi esset in *Commentationibus* suis sine alienâ vitulâ vix arare, omissis passim eorum, a quibus docti sua erant, nominibus) in animum suum inducere potuerint, ut artificium hocce κλοπικὸν tanto conatu excusare, palliare minimum, quantum pote est, & incrustare laborarunt, e contra aculeatè satis exagitare, qui in Scriptis suis aliorum Autorum suffragiis certare, ac per quos proficerint, cum illustri *Spanhemio*, ambitiose *quidem testari in* more habent. Sic ante annos aliquot Prideauxius: *Iis* (inquit) *solenne est aliorum sententiis latas paginas implere, ut ad tam multiplicem lectionem imperitiores stupeant.* Quem secutus pronuper est alius quidam Vir magni nominis, cujus hæc verba sunt: *Nempe prout in convivio cibi appositi, & panis in frusta sectus non amplius sunt solius heri, sed omnium invitatorum, quibus jus est, quantum lubet, de omnibus vesci, & quod vult quisque eligere; ita & cogitationes conceptusque publico donatos, non esse illius solius, qui istos invenit primum, sed omnium communes, & quos proprios facere cuique licet, cui ascisere placet.* Eos vero, qui a se hic divortunt, *citandis sine modo & fine Auctoribus centones suos farcire* dicit; *ut multæ lectionis & vastæ eruditionis titulo apud semi-doctos & sciolos superbire queant.* Sat equidem dictatorie & odiose! sed vero, uti jungit nonnunquam

Spanhem. Dub. Euang. part. 1. in Præfat.

Prideaux. Orat. 3. cap. 2.

Horat. de Art. Poëtic.

Humano capiti cervicem pictor equinam,

sic componuntur hic etiam cum se invicem, quæ haud magis conveniunt, quam cum quadratis

quadratis rotunda. Quæ enim inter *Librorum scriptionem*, & commentitium, quale hic fingitur, *convivium* convenientia? imo quæ non disconvenientia? ut demonstrari pilatim posset, si res tanti esset. Diximus supra, quid per *plagium*, quid per *plagiarium* intellectum velimus (quod attendendum, ne videamur λογομαχεῖν) quodsi ergo accipiamus *comparationem*, quam possemus non accipere, quid tum? Non diffitemur nos, Scriptorem, qui *Librum* aliquem vulgavit, eo ipso nemini non jus facultatemque concessisse, conceptus illos, publico donatos, ut *suos* adoptandi. Verum enim hoc Senecæ est: *Optimam esse ultimæ scribentis, conditionem; parata quippe verba invenit, quæ aliter instructa novam faciem habent; nec illis manus injicit tanquam alienis.* Sive, uti Flaccus:

Senec. Ep. 27.

Horat. loc. citat.

> Publica *materies* privati juris *erit*, *si*
> *Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem.*

q. d. Licet Autorem, qui *publicè* scripsit, ut *tuum* adsciscere, si non hæreas in circulo omnibus patente & contemto; hoc est, si quem imitari videri vis, haud ita religiosè sequaris, ut nequicquam addas de tuo, nihil invenias, quod dictum hactenus non sit, nihil immutes, quod secus sive melius dicendum vel scribendum existimes. At tollitur-ne hoc tum pacto omnis *gratitudinis* obligatio, Scriptori illi a cogitationum suarum adoptatore debitæ, quam in re nullâ aliâ, quam in honorificâ accepti beneficii *professione*

Bond. in Horat.

sione & commemoratione consistere, neminem, credo, fugit? Revera hospes, qui opiparo convivas suos excepit epulo, eo ipso jus eis dedit in omnia, quæ apposuit, fercula; sed an ideo gratitudinis lege non tenentur, quotquot liberaliter excepti ab eo sunt? quis est, cui cor recte salit, qui id dixerit? *Ingrati convivæ est* (ut optimè habet eruditissimus Phorbæus) *nolle fateri, quam benigne exceptus sit epulis conquisitissimis.* Maxime si eadem illa fercula, quibus exhilarare alios intendimus, non *nostra*, sed benefici illius *hospitis* esse, latere haud dudum possit? Pugnarene dicemus, aliorum sibi proprios conceptus facere, & eorum tamen, quorum adjuti sumus operâ, gratanter meminisse? vel an æquior forte gratiarum erit actio, si quæ *aliorum* sunt, clanculum surripiamus, & ut *nostra* parum peritis venditemus? Quod velle videntur Viri Eruditi, *plagium* non tam in rei furtivæ surreptione, quam in surreptionis illius professione & indicio constituentes. Componit cum se invicem, quæ opponi hic ab *Opponentibus* videntur, Doctissimus *Fullerus*, dum ait: *Sane quæ semel divulgata sunt, & in lucem edita*, publici juris *jam fiunt, & a quovis lectore* usurpari *possunt, modo ne de industriâ subtrahat ea Autoribus suis, sibique in morem* plagiarii *vindicet.* Cum vero volupe horum Theologorum alterutri fuerit, *plagiariorum* hoc jus cum eo, quod in omnes ab hospite appositos cibos conviva habet, conferre, eccesis, quam parum causæ ipsius id prosit, in *Johannis Heidfeldii* verbis, quibus olim *Matthæum Tympium* (qu

Phorbæ. Dissert. de Litter. Latinor. p.

Fuller. Miscellan. in Append.

qui eidem huic inhærens comparationi, *Mensam* suam *Theologico-Philosophicam* in lucem emiserat) sic perstrinxit: *Tu* (ait *Tympium* compellans) *& tui similes nostros Libros lectitatis, sed valde illiberaliter & parum ingenuè. Ego, si ea tollam, & mihi vindicem, ut jure debeo, quæ mihi, ut Te* plagiarium *decet, surrepta* in Mensâ *tuâ* Philosophicâ *apposuisti, vah! quantula portio aridarum tuarum micarum supererit? si, inquam tollantur, quæ sunt* Heidfeldiana, *arido pumice eris siccior, & Leberide nudior.* Non desunt, ut ante diximus, qui *infame furtum, piaculum, falcis in alienam messem missionem*, quinimo *sepulchrorum* veluti *effossionem* &c. fallacem hanc occultamque alienarum cogitationum surreptionem indigitarunt: quodsi jam benigniuscule forsan judicare & pronunciare de eâ Viris hisce Doctis visum fuerit, dissentientesque a se suâque opinione errasse existimaverint, cur non aquâ magis quam aceto, id est, fraternè potius quam usque adeo contumeliosè corrigere errorem illum instituerunt? cur non ex charitate potius aliter sentientes tractare, quam mentem actionesque eorum in sequiorem sensum torquere maluerunt? improperando iis, ut liquet, quod *multæ lectionis & vastæ eruditionis titulo apud semi-doctos & sciolos superbire, imperitorumque fucatâ illâ προφάσει stuporem & admirationem* excitare intendant. Procul certe id abit a piissimo Clariss. D. *Burmanni* consilio, *rectius esse*, dicentis, *errorem & ignorantiam, uti nostram, ita & aliorum non* altercatione, *sed* precibus, *non* gla-

Heidfeld. Sphinx. cap. 25.

Burmann. Orat. inaugur. habit. Ultraj. Anno 1662.

gladiatoriâ manu, *sed* flexis genibus *superare* (præsertim si de *citandis* vel *non citandis* Autoribus lis tantum sit) *& in iis, ad quæ pervenimus, eâdem incedere regulâ, & idem sapere; in reliquis vero, in quibus quis dissentit, expectare, donec Deus id revelet.* Sed eximiis magnorum Doctorum in Ecclesiam meritis dandum aliquid est: prout revera *Viri quadrati* (ἄνδρες τετράγωνοι dicuntur *Aristoteli*) id est, qui comsummatæ aliâs virtutis sunt, etiam humani quid pati nonnunquam possunt, juxta hoc *Simonidis*,

Aristot. Ethic. lib. 5. cap. 11.

Simonid. ap. Stob.

Πάμπαν δ' ἄμωμος οὔτις, οὐδ' ἀκόριος.

Nemo vacat prorsus malo, neque crimine.

Tametsi percipere vix sit, quo pacto hi Heröes, multorum Scriptorum allegationes invidiosè ita exagitantes, in gratiam redituri facile sint cum tot nominatissimis Viris, quorum lucubrationes refertissimæ iis sunt, cum *Grotiis*, *Vossiis*, *Mornæis*, *Voetiis*, *Gathakeris*, *Spanhemiis*, & (ne *Nostrorum* solummodo hanc *scribendi* rationem esse quis putet) e *Papicolarum* grege, cum *Martino Delrio*, digno qui, ob illustrem, quem Scriptis suis in Eruditorum choro occupat locum, *solus* hic, nominetur. Hunc enim uti hoc imprimis nomine impense quidam commendarunt, quod in *Brabantiæ* Senatum primum allectus, ejusque Princeps, Palatinorum militum juri dicundo præfectus, Ærarii opulentissimi & vere Regii Quæstor, tandem ad *maxima* quæque natus, *minimam* postea *Jesu societatem* amplecti,

plecti, fastum omnem exuere, omnibus subesse, nulli imperare, & novellus quasi tyro, uti dicunt, repuerascere propter Christum non erubuerit; ita alii hinc etiam deprædicant, nominatim Henricus Dungæus; quod *in solis suis in* Senecam *Adversariis plus minus* mille, & centum *variorum Autorum, in diversis Scientiis & linguis sententias maximo cum labore & judicio congesserit*: ita quidem, ut ne ipse quidem *Lipsius* testari de eo dedignatus sit, *se nunquam Scriptores ullos vel vidisse vel legisse, quos ad testimonium dicendum Vir ille citare solitus non sit.* Vel si forte & hi *plagiarii* Nostris hisce fuerint (ut vereor ne suo sensu fuerint) ergone in omni Disciplinarum genere præstantiores Commentatores & Interpretes, singulosque Consilia, Decisiones, Quæstiones, Patrumque pro re nata testimonia congerentes repetundarum quoque postulabunt? Profecto ne ipse quidem *Plato*, *Herodotus*, *Dionysius Halicarnassæus*, *Cicero*, *Varro*, *Plinius*, *Bartolus*, *Tiraquellus*, *Chassanæus*, *Cujacius*, *Donellus*, vel Antiquorum interpretationes refricantes ulli in tuto tunc erunt. Remittitur quidem Lector ad *doctam* & *elegantem Macrobii*, iiscum scil. ἰσοψήφου καὶ ἰσοφώνου, *Præfationem* &c. At quam gratis hoc fit? *Macrobiusne* enim jam erit, qui negotium hoc conficiet? *plagiariorum* si quisquam *Antesignanus*, perspicacissimisque Scriptoribus, *Muretis*, *Erasmis*, *Obsopæis*, *Vossiis* aliisque pluribus *omnium Autorum vere fucus*, *fartor semipriscus*, *rhapsodus*, *simia*, *Laverna* &c. dictus? Licet in hoc forte aliquatenus Viris

Langevelt. in Vit. Delrii.

Muret. in Senec. de Benef. lib. 3.

Erasm. Adag. 231.

ris hisce Doctis non iniquior, quod non tantum tam acerbè in alios a se dissentientes, ac illi, invectus non sit, sed & depilationem suam ingenue confessus, imo culpam ejus deprecatus nonnunquam sit. Ipsissima ejus verba sic habent: *Nec vitio mihi vertes, si res, quas ex lectione variâ mutuabor, ipsis sæpe verbis, quibus ab ipsis Autoribus enarratæ sunt, explicabo. Quia præsens opus* (loquitur de suis Saturnalibus) *non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Apes enim quodammodo debemus imitari, quæ vagantur & flores carpunt.* Multo proinde hic æquior, magisque extra partes constitutus, ac *Macrobius*, litis hujus arbiter erit Excellentissimus Vir & Theologus consummatissimus *D. Johannes Henr. Heideggerus*; qui cum Scripta sua hanc ipsam ob causam sugillari a nonnullis etiam deprehenderet, invidiam istam hisce a se amoliri conatus est verbis: *Non nescio equidem, eam* citandorum Autorum *rationem & curam vulgo* novitii *aut* Grammatici *commatis haberi, & aut a vano* lectionem variam *jactitantis, aut pusillo credi diffidentis animo profectam. Sed excusabit, credo, me exemplum* cum *magnorum Virorum, præclare tessellata sua Opera eadem ratione texentium, quos sum, licet impari valde passu secutus*, tum *etiam ea ratio, quod*, Euripide momente.

Obsopœ. Not. in Anthолog. lib. 2. cap. 18.

Voss. de Histor. Græc. lib. 1. cap. 20

Macrob. Saturnal. in Procem.

Heidegg. Histor. Patriarchar. part. 2. in Præfat.

λόγος ἐκ δοξάστων ἰών;
Κἀκ τῶν δοκούντων οὐτὸς, ὁ τυχὸν δίκαι.
ab obscuris profecta oratio,
Et a probatis eadem, non idem valet.

IX. Neque laudari tamen omnimode illam Scriptorum alienorum *citationem* velim, quæ ipsi contextui nonnunquam a quibusdam inseritur; quum fieri vix possit, præsertim numerosior si sit, quin aridita-tem quandam scribentis stylo, quem hiulcum fere facit, adferat, orationisque filum & concatenationem ita subinde rumpat ac turbet, ut sine hæsitatione legendo perge-re, si haud plane impossibile, difficillimum saltem sit. Sicuti nec quicquam interest, ut allegationes illæ ipsum præcise textum semper intercurrant; cum nihil obstet, quo minus in margine, appositis quibus-dam asteriscis, appingi possint; quod in-ter multos Illustris *Mornæus*, Plessiaci Do-minus, in eruditissimo suo de *S. Euchari-stiâ* Opere ritè observavit. Dignus sane, qui pro eximio simul bonæ fidei in *citandis* Au-toribus præstitæ, exemplo habeatur; eo quod *tum* Patrum antiquorum *tum* aliorum Scriptorum testimonia, ad quæ provocat, non nisi ex ipsis eorum fontibus revisa, al-leget, adductis insuper Libris, capitibus, columnis, foliis vel pagimis, ubi extant, ut lectori cuivis inquirendi & inspiciendi ea facultas suppetat. Quodsi enim *alienis* hic videre oculis quis malit, quam *propriis*, nec designatius indicare velit, *ubi*, quod cita-tur invenire sit, esse vix potest, quin ipse facile decipiatur, deceptusque alios quo-que decipiat. Vapulat hinc non immeritò Petro Martyri *Gardinerus*, Vintoniensis Episcopus, quod ipsi, ut lectoribus suis fucum faceret, *magna semper religio fuerit*, cum multa pro suâ opinione ex nostris ho-minibus

Mart. de Eu-charist. in Præfat.

minibus accepisse se diceret. *vel Autorem certum, vel locum proprium*, unde ea accepisset, *indicare*. Uti notavit etiam abhinc aliquot annos in *Briano Waltono* laudatissimus Chronologus *Robertus Baillius*, quod in *citationibus suis plerumque laxissimus* fuerit: *Autorem* (inquit) *quidem nominat, sed quo* loco, *quo* libro, capite vel paginâ, *solet silere*. Tametsi neque negandum sit, siquidem ipsorum illorum Scriptorum, e quibus aliquid depromitur, minus compotes fieri possimus, quin etiam ex aliis fide dignis Scriptoribus citari quandoque quid possit; præsertim si id ipsum non ad rei cujusdam quantivis momenti *confirmationem*, sed meram ejusdem *amplificationem* facere videatur. Fecisse id se pro re natâ in suâ *Euangeliorum Dominicalium Analysi*, Opere præstantissimo, non dissimulat Cunradus Dietericus, Johannis Cunradi Dieterici, de quo supra, Parens. *Par fides* (ita ille) *& diligentia in allegatis aliorum Autorum locis adhibita: Quotquot enim eorum habere ad manus potuimus, in originali revidimus, eque illis Libb. capp. folia vel paginas notavimus. Reliqua, quæ hæc annexa non habent*, e fide dignis Autoribus *aliis, quorum copia fieri nobis non potuit, descripsimus*. Additque pusillo post (quod omnino etiam observandum) *sed tamen nec inficias eo, etiam ea, quæ accurato & indefesso scribentium studio recte allegata sunt, detestandâ* typothetarum *&* correctorum *maxime incuriâ ac negligentiâ corrumpi nonnunquam & depravari, id quod facillime numerorum transpositione, ut si pro* 12. *ponatur*

Baill. Op. Chronolog. Lib. 1. Quæst. 4. pag. 8.

Dieteric. Dominic. part. 1. in Prolegom.

Toll. Fortuit. in Præfat.

tur 21. *pro* 34. *ponatur* 43. *&c. fieri poteſt.* Nec eſt, ut plane id quiſquam ſemper caveat, tametſi ipſum *Argum* mendorum caſtigatorem forte adhibuerit. Quodque adeo, ſi in ipſo etiam *contextu* eveniat, uti eveniſſe ſibi alicubi queritur *ὁ πάνυ Seldenus*, mihique ipſi in OTIORUM meorum THEOLOGICORUM editione turpiſſimum in modum accidit, Scriptori fraudi eſſe non debet. Haud licet enim quibuſvis eſſe tam beatis, ut uſibus ſuis nitidiora præla parata ſemper habeant. *Non* meus *eſt error* (dicit Martialis)

Selden. de DIS Syris in Præfat. Londinenſ.

Martial. lib. 2. Epig. 8.

notuit librarius *illis*,
Dum properat *verſus annumerare tibi.*

X. Mittant ergo, ut ad lineas redeam, boni quivis Scriptores vulturiam hanc artem, neque quouſque caveri poteſt, a prædeceſſoribus bene dicta vel ſcripta temere reponant, ſed iis potius inveſtigandis & evulgandis gnaviter incumbant, quæ aliorum aciem diligentiamque hactenus effugerunt, neque in luce ſatis poſita ſunt. Etiamſi enim multa ſint, quæ ſcimus, pluratamen reſtant, quæ neſcimus, quibuſque inveſtigandis & eruendis occupari ſatis moderata ingenia poſſunt. Sunt, quæ penitiorem eviſcerationem & elucidationem, ſunt, quæ ſolidiorem probationem & ab objectionibus, noviter excogitatis, vindicationem, ſunt, quæ ſpiritualiorem ad praxin pietatis efflagitant applicationem. Neque enim materia uſque adeo unquam exciſa eſt, ut reliqui nihil deinceps ad ſpicilegium

cilegium post-futuris superiorum diligentia vel industria fecerit; alius alio invenire potest plura, nemo omnia; & prout in plerisque aliis rebus, ita & in literis, dies curaque *præsens* incusatur, & semper *futura* melior est. Recte alicubi Galenus, *Fieri non potest, ut idem incipiat, idemque perficiat*: loquitur de re *Medicâ*. Galen. lib. 2. de Natur. Facult. Hisce inquam, excutiendis, expediendis, docendis, inculcandis immoretur quisquis lucubrationibus suis inservire publico velit. *Quid* (inquit Seneca) *non ilo per priorum vestigia? Ego vero utar viâ veteri, sed si priorem planioremque invenero hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non* domini *nostri sunt, sed* duces. *Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex illâ etiam* futuris *relictum est.* Et alibi: *Multum interest, utrum ad consumptam materiam accedas, an ad subactam. Crescit indies materia, & inventuris inventa non obstant; qui præcesserunt, non præripuisse mihi videntur quæ dici poterant, sed aperuisse.* Imo vero in *artibus & disciplinis accidere videmus* (verba sunt B. Rhenani) *ut a posterioribus majores superentur, quotidie aliquid adjicientibus, & quod ab illis utcunque inventum est, consummatius reddentibus.* Ecce ingenuam hic *Villalpandi* modestiam, loquentis de admirando & vastissimo suo in *Ezechielem* Commentario: *Neque tamen* (dicit) *ita disputo, quasi putem operâ meâ factum esse satis officio*, præreptumque *aliis locum, aut demum peractum aliquid amplius, quam ut jecerim fundamenta, ex quibus excitatura sit subinde Posteritatis industria molem Operis cumulatiorem:*

Senec. Ep. 33.

Id. Epist. 97.

B. Rhenan. Præfat. in Oper. Tertullian.

Villalpand. in Ezechiel in Præfat.

latiorem: *Via scil. est indicata duntaxat, quâ perfici plurimum possit, edolatumque lignum quod deinceps ab aliis expoliatur.* Tollat Scriptor ab aliis quod lubet, at vero a se de *suo* id ita perficiat, ut esse *aliorum* desinat, *suum* fiat: sive, ut notanter Vincentius Lirinensis: *Spiritualis Tabernaculi Besaleel esto, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpat, fideliter captet, adornet sapienter, adjiciat splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur exponente eo illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per ipsum posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicit, ita doceat, ut cum dicit* nove, *non dicat nova.* Et certe qui sic facit, neque tædiosâ peccabit *prolixitate*, neque inutilem ingratamque lectoribus vere φιλομαθίαν nauseam pariet, ex adverso bonam utilemque Reipublicæ litterariæ operam semper est præstiturus.

Vincent. Lirinens. c. Prophet. Voc. Nov. cap. 27.

XI. Atque hoc proinde casu *Plagii* etiam ratio cessare tum incipit, licet aliquam ejus adhuc speciem manere videri possit; si nempe *Liber* aliquâ sui parte ex *aliorum* cogitatis conflatus, non obsit publico, sed prosit, nec primi cogitatorum illorum inventoris existimationi decedere quicquam faciat, neque ulli tandem homini injuriam inferat. *Illud* (inquit de *Ambrosio* Erasmus) *confitendum, at non improbandum, quod pleraque, quæ scripsit* Ambrosius, *hausit e Græcorum Commentariis præsertim* Origenis, *sed ita ut quod suum esset excerperet, quod a synceritate doctrinæ Catholicæ alienum aut contentiosum, dissimularet, nec errorem*

Erasm. Præfat. in Oper. Ambros.

rem preferens, nec Autorem prodens; quorum alterum non erat tutum, alterum invidiosum. Quod in illo comprobat etiam Divus Hieronymus *Epist. ad Pammachium & Oceanum*: nuper, *inquiens*, *S. Ambrosius* sic Hexaëmeron illius comprobavit, ut magis Hyppoliti sententias Basiliique sequeretur. *Rursus ad Pammachium & Mercellam: Habuit*, inquam, *Ambrosium, cujus pene* omnes libri *Origenis sermonis pleni sunt.* Et Ciceroni *quis vitio vertit? quod in Philosophicis argumentis Græcos sequeretur, non ut* interpres, *sed ut* imitator. *Nec erat* corniculæ furtum, *quod Græcorum* nomina, *quæ pleraque tum apud Latinos magnâ laborabant dogmatum improbatorum invidiâ*, pressit, *sed cauti pastoris, omnem offendiculi dissidiique materiam excludentis.* Imo commendantur hinc a Viris doctis *Justinus, Athanagoras, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius*, quod in disputationibus suis contra *Gentes* iisdem, quibus *Octavius Minutianus*, armis *non tantum sed &* verbis *decertârint.* Sic de iis Franciscus Balduinus: *Usi sunt* (dicti Scriptores) *non iisdem modo & sententiis & argumentis, sed &* verbis *&* formulis: *sic enim* (addit) *majores nostri eadem de iisdem* (*ut ille olim dicebat*) *dicere solebant. Atque utinam posteritas tale observasset exemplum, ambitiosa* novitas *bonam antiquitatem non inquinasset.* Franciſc. Balduin. Prolegom. in Minut. Fel. Octav.

Legitur etiam, vel disquiritur potius e *Porphyrio* apud *Eusebium*, num e *Demosthene* Hyperides, an Demosthenes ex *Hyperide* furatus sua esset? Quod dum utriusque συγχεσιν dubium redderet, litem sic de-

terminavit Apollonius: *Demoſthenem*, etiam poſito quod *fur* ſit, laude tamen dignum eſſe, quia quæ accepit *præſtantiora* reddidit; vitâ privandum e contra *Hyperidem* eſſe, quod elegantiſſimam *Demoſthenis* orationem *in pejus* convertiſſet. Plura de *Plagio* & *Plagiariis* non addo; horum enim totum *Syllabum* nuper publicum fecit Doctiſſ. *Almelovenius*; ubi *Plagiariorum* tamen voce *latiori* ſignificatu ſumere videtur, quam nos eam hic uſurpamus; adeoque Viros nonnullos Eruditos in eorum cenſum quoque refert, de quibus haud immeritò dubites, an accenſeri iis digni quidem ſint.

Euſeb. de Præparat. Euangel. lib. 10. cap. 3.

XII. (3) Scriptionis etiam *brevitatem* aſſequetur Autor, ſi tractandis præcipue *rebus* inhæreat, non tam *vocibus*, verborumque ſupererogatoriis amplificationibus:

Ornari *res ipſa negat, contenta doceri.*

Recte alicubi Clar. Mareſius: *Dum* brevitati *& ſoliditati ſtudeo, obliviſcor* elegantiæ. *Cum de rebus* (dicit Arnobius) *agitur ab oſtentatione remotis*, quid *dicatur ſpectandum eſt, non* quali *cum* amœnitate *dicatur; nec quid* aures commulceat, *ſed quas adferat audientibus* [legentibus] *utilitates: maxime cum ſciamus, etiam quoſdam ſapientiæ deditos non tantum abjeciſſe ſermonis* cultum, *verum etiam, cum poſſent* ornatius atque uberius eloqui, *trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcil. gravitatis rigorem, & ſophiſticâ ſe potius oſtentatione jactarent.* De *Scythis* autor eſt *Bodinus*, quod omnem orationis *ſuavitatem*, dicen-

Mareſ. Diſtribut. Syſtem. Theol. ad Lect.

Arnob. adv. Gent. lib. 1. pag. m. 21.

Bodin. Tract. Citat. cap. 5. pag. m. 197.

dicendique *veneres* respuerint, uti ex sermone eorum & literis, sine vocalibus asperrime collisis, satmanifestum est. Sed neque hoc omnimode laudari velim, *comparate* tantum sumenda sunt, quæ hic disserimus: si nempe alterutrum negligendum sit, vel *amœnitas verborum*, vel *rei* tractandæ momentum, tum *hujus* semper magis, quam *illius* rationem esse habendam; nec *tam* (ut alicubi loquitur *Minucius*) eloquentiæ *tumere, quam* rerum *ipsarum* soliditate *sententias librandas esse*. Alioqui enim sus veluti rosis tantum coronatur, epulum meris jusculis, absque solidâ ullâ carne instruitur, librique moles sine nervis fiunt; & vel in cortice subsistere lectorem faciunt, vel si *rebus* delectari magis soleat, quam *verborum ampullis*, legendi ardorem mirum in modum sufflaminant. Invenias sæpe, prô dolor, quos præpostere curiosos formularum cantores, *syllabarumque*, uti nonnemo eos vocat, *aucupes* dixeris; qui voces pro fastu comtiores quærunt, λογοδαιδαλίαν venalem quasi gestant, tributim verba converrunt, fluctus maris in simpulo excitant, quantum volupe est circulantur, *verbisque* in ostentationem numerosis generosos discursus jactitant, *rerum* interim *tractandarum* vix modicum solliciti, iisque haud absimiles hominibus, qui calceum dum curant, pedis, cui inservire is debet, parum studiosi sunt, vel in pede quam in oculo curando diligentiores se præbent, quæ *potiora* sunt remissiori, quæ *viliora* intentiori zelo consectantes. Ut fecisse se olim *Agatho* alicubi fatetur apud *Athenæum*:

Minuc. Fel. in Octav. pag. m. 119.

Athenæ. Deipnosoph. lib. 5.

Τὸ μὲν παρεργον, ἔργον ὡς, ὡς ποιούμεθα
Τὸ δ' ἔργον, ὡς παρεργον ἐκποιούμεθα.

Operoſe id agimus, agere quod non *eſt* opus,
At in eo, quod opus, *opera perfunctoria eſt.*

Pulmann. in Annot. ad Horat. de Arte Poëtic.

Sic etiam *Dithyrambici* olim *Poëtæ* verborum tumorem & amplitudinem ſectabantur, atque adeo plerumque de Cœlo, nubibus, aëre, &c. *majore cum verborum magnificentia quam ſententiarum pondere* ſcriptitabant. Spectat huc hoc Horatii,

——— *dum vitat humum nubes & inania captat.*

Talis fuit *Gorgias*, Sophiſta *Leontinus*, de quo ſic *Dionyſius Halicarnaſſæus*: Δηλοῖ γ' ἔτι μᾶλλον τὸ λεοντῖνον ἐν πολλοῖς πάνυ φορτικόν τε καὶ ὑπέρογκον ποιῶν τὴν κατασκευὴν καὶ ἐκ πόρρω διῳκισμένων ἔνια φθεγγόμενον, *id eſt, Hujus rei vel* Gorgias *teſtis eſt*, Leontinus *dictus, qui in multis tædioſam admodum, & prætumidam ſive valde tumidam facit orationis texturam, & nonnulla a* dithyrambis *non multum remota profert.* Peculiarem de his *Diatriben* edidit *Eraſmus Schmidius*, quam *Pindari* Commentario ſubjecit. At quam infructuosè hæc omnia, imo præpoſterè! Vix enim, imo ne vix quidem afficit viros cordatos diffuſa illa loquendi ſcribendique farrago, mille licet calamiſtris meretriciis & fluentibus unguentis reuſta, ſive, ut

Schmid. Diatrib. in Pindar. Comment.

Cicero

Cicero loquitur, *uncta*, pigmentisque qualibuscunque Rhetoricis effœminata. Nucleum illi quærunt, non corticem, succum, non florem. *Haud placent* (inquit Prosper) *prudentibus phalarata, sed fortia, quando non* res *pro* verbis, *sed pro* rebus *enunciandis* verba *sunt instituta.* Imo vero grave iis potius est, si tales offendant *libros*, in quibus, præter *judicium*, nihil est, quod desiderent; in quibusque concinnandis plus temporis *scientiæ literariæ* ostentandæ quam *materiei intelligendæ*, riteque pertractandæ impendisse, *verborumque* gratiâ, non *rerum* studia elegisse videri *Scriptores* gestiunt; quasi non propter *res* vocabula, sed propter *vocabula* res adinventæ essent. Concinnè *Cicero* ad Atticum: *Quanquam illa tua horridula mihi atque* incomta *visa sunt, sed tamen erant* ornata *hoc ipso, quod ornamenta* neglexerant, *& ut mulieres, ideo bene olere, quod* nihil oleant, *videbantur.*

Prosp. de Vit. Contemplativ. cap. 34.

Cicer. ad Attic. lib. 2.

Laborioso præstat ornatu *rudis*
Simplexque forma, fuco *egent merces malæ.*

Nec minus pulchre *Euripides*:

Euripid. Phœniss.

Ἀ'πλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
Κ'ὐ ποικίλων δεῖτ' ἂν δίχ' ἑρμηνευμάτων
Ἔχει γὰρ αὐτὸ καιρόν· ὁ δ' ἄδικος λόγος
Νοσῶν σὺν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

quæ sic reddidit Grotius:

Simplex & infucata veri *oratio est;*
Nec indiget res æqua sermonum ambitu

Mani-

Manifesta per se; causa sed juris sui
Vitio laborans, quærit a verbis *opem.*

Quippe *eloquentia* seculo *servit; populo se jactare, & in rebus* malis *placere gestit. Siquidem* veritatem *sæpe expugnare conatur,* Lactant. lib. 5. cap. 1. *ut vim suam monstret*, ut loquitur *Lactantius.* Quid a volutandis spissis multorum *Patrum* voluminibus deterruisse tam multos putas, præter hoc unum, quod immenso cum tædio, tot allegorias, tropologias, inficetasque alias amplificationes permeandas soleant exhibere, antequam ad minutissimam *auri* particulam inveniendam accessus detur? Veteres ἐκ πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον κέρτον συνάγειν, hoc est, *ex* multis *paleis* paululum *fructus colligere* id vocant. Quod itaque in *specie* de *Apophtegmatis* verum est, *quibusvis* etiam *Libris* Scriptisque meritò accommodes: eorum scil. gratiam decoremque in hoc præcipue consistere, quod *pauciss imis* verbis sententiæ *plurimum* complectantur. Estque hic γνῶσις ille *Laconismus* vel sermo *Chilonius* Antiquis adeo commendatus. *Quid enim* (inquit alicubi Cicero) *tam furiosum est, quam* Cicer. Orat. lib. 1. verborum *vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nullâ subjectâ scientiâ vel sententiâ?* Animorum pabulum *res* sunt, non *verba.* Non illepidè in Scriptores istiusmodi *verbosos* invehitur alicubi Jan de Brune Banketw. 2. Deel. pag 333. Amplissimus Vir *Johannes Bruno*, Ordinum *Zelandiæ*, dum viveret, Syndicus, cujus verba *verracula*, eo quod ἰμφαλικῶς sic paritura sint, quam si *Latinè* exhiberentur, ita habent: Wat vindmen „

nu

nu al Schrijvers, die seven bladeren met „
woorden, sonder de minste *wortel der sa-* „
ke daer onder te hebben, vervullen? die „
als gy 't al met spytig tijdverlies overlo- „
pen hebt, niet anders daar van behoud, „
als een hand vol wind of een greep van „
de Sonne. De *Tijtel* bedriegt ons veel- „
tyds, schynende ons goude schatten te „
beloven, en 't zijn maer doove koolen, die „
ongeviert zijn. De overmate van sluy- „
men doet het aengesigte vol en geswollen „
uytsien, daar 't evenwel so droog en so „
dorstig is, als een watersugtige. So gaet „
het met die lange *Penne-breekers*, die 't „
papier met *ydelheid* opvullen, en niet „
een verheven en treffelijk gepeyns daer „
onder mengen. Het schijnen sterren van „
een eeuwige schoonheyd te weesen, daar „
't niet anders als aangesteken dampen en „
stal-keersen zijn, die schielijk in nietig- „
heyd en damp ja stank verdwijnen. Van „
sulke seyt *Longinus*, daer haer schrijve- „
ryen nog vleesch, nog merg, nog leven „
hebben, dat se week, spongie-achtig, en „
als een voose Campernoelje zijn. Sy leg- „
gen 't op een *Nagtegael* aan, maer als 't „
wel doorsien is, *een Uyl* is haar ontvlo- „
gen. Dit heet sijn eer bepissen &c. Ergo „
causam sive *argumentum* potius impleat *Scriptor*, quam *paginam*; neque hoc solum agat, ut turgescat, & inflетur volumen, sed ut aurea potius & gemmea quædam Operi suo inferat, certo sibi certius persuadens, nunquam grata & delectabilia nasutis lectoribus fore, quæ *præter rem*, verbis ut ut *mellitissimis*, intrusa esse deprehenduntur.

henduntur. *Egone* (verba sunt Quintiliani) *fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, & violas, & amœnos fontes scaturientes, quam ubi* plena messis, *aut graves* fructu *vites erunt, sterilem platanum, & tonsas myrtos, quam maritimam ulmum, & uberes oleas præoptaverim?* Et aliquanto post: *Propterea non debet quisquam, ubi maxima rerum* momenta *versantur, de* verbis esse *sollicitus. Neque hoc eo pertinet, ut in his nullus sit* ornatus, *sed uti pressior & severior, eo minus confessus, præcipue ad materiam accommodatus.* Pie tandem Salvianus: *Nos qui* rerum *magis quam* verborum *amatores, utilia potius sectamur, quam* plausibilia, *neque id quærimus, ut in nobis inania seculorum* ornamenta, *sed ut salubria* rerum *emolumenta laudentur; in* scriptionibus *nostris non* lenocinia *esse volumus, sed remedia, quæ scilicet non tam otiosorum* auribus *placeant, quam ægrotorum* mentibus *prosint.*

Quintil. lib. 8. cap. 4. pag. m. 412. 413.

Salvian. de Gubernat. in Procem. ad Salonium Episc. lib. 1. pag. 2.

XIII. (4) Si denique, dum cum *Adversariis* luctandum est, argumentorum non tam *numero*, quam *pondere*, Scriptor decernet, paratissimam ad *Brevitatem* viam etiam inveniet. Communis fere *Controversiarum* Scriptorum dormitantia est, quæque *libros* eorum plus justo *intumescere* sæpe facit, quod *numerosa* ratiociniorum choragio obloquentes non tam convincere, quam obruere satagant. Alia utique mens illustri nostro *Calvino* fuit: hic enim (utcunque πολυχειφώνακτος fuerit, & disputator adeo solidus, ut, si ulli, meritissimo ei adscribas, quod *acris aceti cupas habuerit*, cuique hinc omni jure to-

Turneb. Adverss. lib. 28. cap. 13.

——— totus *doctior Orbis*
Submissis defert fascibus imperium)

nunquam tamen *hæreticos*, contra quos in arenam descendit, totis argumentorum phalangibus est adortus, sed diserto & conciso potius acumine confodere studuit, imò & confodit. Vix enim contingit, ut *turbâ* argumentorum agere quis malit, quam *momento*, quin intercurrant plerumque tela quædam plumbea, ficulnea, straminea, quæ adversarius, non tam retundere & comminuere opus habeat, quam, tanquam catellos eminus allatrantes, & nebulas in pariete, sive (uti apud *Græcos* est) ψιλῶν ἱππικὸν, *pulitum equitatum*, vel *levis armaturæ* milites, ut loquitur Florus, despicere, unoque quasi ictu dispuere, uti ventus folia, aut panniculam tectoriam, quandoque non sine aliorum cachinno, & magno asserendæ causæ intertrimento. Est hoc *volsellis* pugnare, juxta *Varronem*, non *gladio*. Referri huc etiam potest, quod de *Tisaphernis* militibus barbaris habet Plutarchus: *Jussit* (inquit) *Agesilaus captivos vestibus exutos a sectoribus vendi, & cum multi vestium emptores existerent, corpora alba, & plane ob umbratilem educationem tenera*, ut *inutilia & nullius pretii ab omnibus deriderentur*, *adsistens* Agesilaus, At *hi*, inquit, *sunt* contra *quos illa* propter quæ, *pugnamus*. Innuens nullo loco sibi esse invalidos quosvis milites, exitialemque eorum, quem minari videntur, impetum ridendum magis esse, quam extimescendum. *In omni conflictu* (inquit Vegetius) *non tam multitudo*

Flor. lib. 4. cap. 2. §. 49.

Varr. lib. 8. LL.

Plutarch. in Agesilao. Vit. Tom. 2. pag. m. 374.

Veget. de Re Milit. lib. 1. cap. 8.

tudo prodeſt, quam virtus. *Puerorum* terriculamenta ſunt haſtæ junceæ, licet magno numero in hoſtem directæ, non *hominum armatorum*; pluſque hiſce debellandis & contundendis valet *unum* argumentum *apodicticum*, quam *dialectica mille*. Audiatur rurſus *Hoornbekius* noſter. *Ne arbitremur* (dicit) *numero & copiâ argumentorum in diſputationibus rem agi. Sunt, qui putant, ſola fere* multitudine *victoriam obtineri, quos ſua quidem ratio vehementer fallit; non* numero *ſed* pondere *argumenta æſtimanda, & pauca*, quam *plura*. Attendit huc in dicendo *Phocion* olim *Athenienſis*: Huic enim, in concione ſedenti, cum quidam dixiſſet, *videre meditabundus Phocion: recte conjectas*, reſpondit; *cogito enim ſiquid queam* detrahere *his, quæ dicturus ſum apud Athenienſes*. In quæ verba *Eraſmus*: *Alii ſolliciti ſunt, ut* quamplurima *dicant, illi diverſa erat* cura, *nimirum ut quæ ad* rem *faciebant*, id eſt, nervum habebant, *verbis quam* pauciſſimis *complecteretur*. Quippe juxta hoc *Sophoclis*,

Hoornb. Summa Controverſ. in Præfat. pagin. 56.

Rivet. in Præfat. ad Lib. Geneſ.

Eraſm. Apophtegm. lib. 4. pag. 382.

Χωρὶς δ' εἰπεῖν πολλὰ ἢ τὰ κμέρια.

Multa *aliud*, *aliud quid* e re ſit *loqui*.

XIV. Verum enim vero, tametſi ſcribendorum *Brevitati* (ut jam multis aſſertum eſt) ſedulo incumbendum ſit, attendendum tamen etiam eſt, ne ſine judicio modoque id fiat. Quemadmodum enim in mittendâ ſagittâ non minus aberrat, qui *citra* ſcopum, quam qui *ultra* jaculatur, ſic in *ſcribendo* etiam non minus peccat, qui

qui *pauciora*, quam res exigit, quam qui *plura* deprimit. Notat tales *Fabius*, dum ait: *Alii* brevitatis *æmuli*, necessaria *quoque subtrahunt verba*, *& velut satis sit scire ipsos*, *quæ dicere velint*, *quantum ad alios pertinet nihil putant.* In *scribendo* prout περισσολογία pestis instar vitanda est, ita & tractandorum *mutilatio* & decurtatio non minus cavenda; quâ nempe res in eâ, ad quam se per naturam extendunt, amplitudine non proponuntur. Nec juvare hic potest *brevitatis* obtentus, cum id *breve* dici non debeat, cui necessariæ partes desunt, sed *mutilum*; ut mutilum corpus illud dicimus, non *breve* vel parvum, quod capite vel pedibus truncatum est. Ea demum justa *brevitas* est, quæ rebus tractandis æquata, nullam earum integrantem partem omittit. Nec *prolixitatis* invidiam incurrit, qui sedulo huc attendit. Quintil. lib. 8. cap. 2.

Nou sunt longa, *quibus nihil est*, *quod demere possis.*

sive, uti Augustinus: *Al sit*, *ut* multiloquium *deputem*, *quando* necessaria *dicuntur.* Augustus taxasse haud obscure videtur nimiam Horatii *brevitatem*, dum sic ad eum scripsit: *Pertulit ad me* Dionysius *libellum tuum*, *quem ego*, *ne accusem* brevitatem *quantuluscunque est boni consulo. Vereri autem mihi videris*, *ne* majores *Libelli tui sint*, *quàm ipse es.* Erat vero *Horatius* corporis habitu *brevissimus*, ut se ipsum in *Satyris* suis describit. Sueton. in Vit. Horat.

De *Epistolis* ita monet *Lipsius* (quod ἀναλογίας huc applicandum) *Modum a materid spe-* Lips. Institut. Epist. cap. 7.

cto, si seria Epistola aut sapiens, diffundi *paulo magis velim, & rei per se gravi addi* verborum *aliquod pondus. . . Uti vela pro magnitudine* navium, *sic verba debent esse pro* rerum. *Etiam a captu, ut si ad leviter doctum & acutum: si ad juvenem*, extendam *tum profecto, nec tenebras ingenii offundam per se parum claris. Caput artis est scribere. accommodatè.*

XV. Concludendum ergo est, siquidem eo, quo jam dictum est, modo, id est, tali *prudentiâ, soliditate, perspicuitate & brevitate* procedere velit Scriptor, nullo jure πολυῤῥάπῳ illud *Salomonis*, cujus supra injecta est mentio, opponendum ipsi esse, quasi scilicet sapientissimus ille Rex omni plane πολυχρείᾳ infestus fuisset. Quis enim in animum id inducat suum, cum ipse haud *uno* libro, sed *pluribus* stupendæ cognitionis nomen sibi comparârit. Ut sacra ejus monumenta, *Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum* taceam, ipsissimo hoc capite ei adscribitur, quod scrutatus sit & concinnaverit *sententias multas* (quæ idem forte sunt cum *tribus verbiis*) quæsiveritque assequi *verba delectabilia.* vers. 11. 12. Et alibi, quod *elocutus sit ter mille sententias, fuerintque Cantica ejus supra mille*; quod *elocutus sit de plantis a* Cedro, *quæ est in* Libano, *usque ad* Hyssopum, *quæ prodit ex pariete; de jumento & de volucribus, & de reptilibus, & de piscibus.* 2 Reg. 4. 34. &c. Quin addit *Josephus*, cum *de Magiâ & exorcizandi* ratione etiam scripsisse; huncque de eâ Ceremoniarum ordinem tradidisse, ut naribus Dæmoniaci annulus admoveretur, sub

Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.

Rhodigin. lib. 9. cap. 22.

cujus

cujus sigillo inclusa esset radix a Rege indicata, ad cujus olfactum extractus per nares dæmon, collabente mox homine, adjuraretur, ne amplius rediret, mentione *Salomonis factâ*, recitatoque carmine, quocam in rem iste præiverit. Concinentibus Josepho *Bedâ*, *Amalario*, *Alcuino* &c. uti & *Eleazari* exemplo id confirmatur, de quo sic porro Josephus: *Volens de ip* Eleazarus *his, qui aderant, ostendere artis suæ efficaciam, non longe inde ponebat poculum aut polubrum aquâ plenum, imperabatque Dæmonio hominem exeunti, ut his subversis signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem;* quo facto nemini dubium *erat, quanta fuisset* Salomonis *scientia & sapientia* Sed an hæc vera sint, dubitatur. Mihi saltem haudquaquam verosimile videtur, illuminatissimum illum Principem rebus Diabolicis & infernalibus perscrutandis Jonas suas horas impendisse, & Libros nefariæ curiositatis artibus refertos, qui *improbatæ lectionis* Jureconsultis dicuntur, in dias luminis auras protrusisse. Ita etiam Doctissimus D. Lomejerus: *Quod vero*, inquit, *non nulli, ut* Josephus &c. *tradunt eum* (Salomonem) *libros de* artibus Magicis, *de* geniis evocandis &c. *scripsisse, in eo sane maximam ei faciunt injuriam, cum hoc ab hujus* Regis *& sapientiâ, & in Deum pietate alienissimum sit.* Gentilis *superstitionis imitamenta, divinâ Salomonis sapientiâ indignissima* vocat Vir vere doctus *Tobias Pfannerus* in *Diatribe* suâ, quam de *Charismatis* & *Donis miraculosis* anno 1680. publicam fecit: licet dissimulandum non sit, Autorem illum,

Bed. Tract. sup. Act. Apost.

Amalar. de Eccles. Offic. lib. 2. cap. 9.

Alcuin. de Divin. Offic. cap. 34.

Josep. loc. cit.

Perreaud. Dæmonolog. cap. 12.

Leg. 4. Familiercisc. cund.

Lomej. de Bibliothec. cap. 3. §. 3.

Pfanner. de Don. Miraculos. cap. 2. pag. 51. 52.

lum, quoad *Hiſtorias*, quas ibi adfert, credulæ nimis Antiquitati plus juſto nonnunquam adſcribere. Fuit quidem revera *Salomo* triſtiſſimum humanæ fragilitatis exemplum; peccatis enim maxime enormibus ſe contaminavit, idololatriâ, effræni *Polygamiæ* licentiâ, inſano peregrinarum mulierum amore; imo, cum in diebus juventutis ſuæ exemplar fuiſſet ſapientiæ & juſtitiæ, ſenio confectus cor a Deo avertit, poſt idola abiit, & antehac δημιεργὸς Templi Dei, idolorum & templorum Diaboli architectus factus eſt. At vero meminit horum *peccatorum*, diſertè Scriptura, quæ tamen, licet in recenſendis *Regis* hujus prævaricationibus ſatis alias accurata ſit, de *Arte* hâc *incantatrice*, ab ipſo conſcriptâ, ne apicem quidem habet. Laudat etiam poſt mortem *Salomonem* ipſe Dei Spiritus, 2 Chron. 11. 17. quod utique, ut veroſimile eſt, non feciſſet, ſi poſt rogum ejus publicum tantæ impietatis monumentum adhuc ſuperfuiſſet. Ut neque magis credibile eſt, quod idem hic Rex Librum *Remediorum cujuſque morbi*, Templi veſtibulo inciſum, conſcripſiſſet, quem poſtmodum *Ezechias* plane evulſiſſet, eo quod populum morborum ſuorum curationem inde magis, quam ab ipſo Deo expectare animadverteret; quò ejuſdem *Regis* verbatum referunt, quæ morti, uti putabat, vicinus effatus dicitur 2 Reg. 20. 3. *Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulaverim coram Te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt coram te fecerim.* BONUM illud, quo ſpectabat ibi *Ezechias*, ad

Hottinger. Theſaur Philolog. lib. 2. cap. 2. §. 2.

ad evulsionem dicti *Libri* (quem דִּבְרֵי רוּאוֹת שְׁלֹמֹה *verba medicinalia Salomonis* aliter vocant) trahentes. Sed, inquam, incerta hæc sunt, imò a veri vicinià aberrantia. Neque opus est, eo recurrere, quoniam, utcunque Sapientissimi Regis Scriptis hæc non accensèantur, satis tamen manifestum est, *Librorum multorum* conditorem eum fuisse, atque adeo neque suam, neque aliorum πολυγραφίαν allegatis verbis plane condemnasse.

XVI. Sensus ergo dicti Loci hic potius erit: Vel quod Filio suo dicere voluerit *Salomo*, siquidem ego *Scripturam rectam*, *verba omnia delectabilia*, *verba veritatis*, *verba Sapientum* (de his enim versl. 11. 12. 13. locutus erat) minutatim & diffusè explanarem, utique tantus *Librorum* mihi conscribendus esset numerus, ut *nullius* eorum *finis* daretur: hinc e re magis esse duxi, ne tractatione eorum legentium *cor nimium gravetur*, omnia illa ad generale quoddam κεφάλαιον revocare, idque hisce tibi verbis compendiariò indicare: *Finis verbi totius auditus est*, *Deum time*, *& mandata ejus custodi*, *quia hoc est totum hominis.* Vel quod monere Filium suum voluerit, ne *Libris* ullis extra verbum Dei, sive *Scripturam rectam*, nimiopere unquam inhæreret, tantumque iis efficaciæ tribueret, ac si ex iis etiam summum hominis bonum, animique vera & solida consolatio derivanda esset. Q. D. *criptorum* illorum *nullus* quidem *finis* est, sed utcunque infinita pene numero sint, omnia tamen simul sum-

Ursin. Quæst. Bibl. lib. 1. cap. 2.

Mercer. in Loc.

pta, præstare id unum non possunt, quod *Scriptura recta* sola potest; adeoque & hæc sola in solidam animi tui contentationem quærenda & adoptanda est. Corpus *mentemque* quidem *gravabit* alienorum *Librorum* lectio, si ei pertinacius inhæreas, fiduciamque in eam ponas, *animam* vero nunquam tranquillabit. *Exceptis hisce verbis* (ait Hieronymus) *quæ ab uno Pastore sunt data, nihil facias, nihil tibi vindices. Majorum sequere vestigia, ab eorum autoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa* infinitus Librorum numerus *occurret, qui te protrahat ad errorem, & legentem multa frustra faciat laborare.* Atque ita quidem si *Locum* hunc sumamus (ut superpondii loco in gratiam maximi *Regis* hoc adjiciam) manifestam certe rationem is exhibet, quæ abhorrere nos faciat a severâ eorum Doctorum sententiâ, qui salutem ejus æternam in dubium vocarunt, imo sempiternis ipsum cruciatibus adjudicarunt; ut fecerunt ex Antiquis Patribus nonnulli, *Chrysostomus* inprimis & *Augustinus*, assectantibus eos e *Pontificiis* non paucis, *Bellarmino*, *Cornelio a Lapide*, *Didaco a Stellâ*, &c. Posito enim, quod totum hunc *Ecclesiasten*, tam Divini argumenti Librum, post gravissima, in quæ prolapsus fuerat, peccata conscripserit, ut vulgaris opinio est, & hisce ipsis verbis, quæ mox explicuimus, cum antecedentibus & consequentibus collatis, *Sacrarum Scripturarum lectionem* totamque *pietatis praxin* tanto zelo commendarit, quis non inde eliciat, ipsum seriâ dictorum peccatorum pœnitentiâ ductum

Hieronym. in Eccles. 12. 14.

Chrysostom. in Ps. 7. de Pœnitent.

Augustin. Enarrat. in Ps. 126.

Bellarmin. Controvers. lib. 1. qu. 5.

Cornel. a Lapid. in Deut. 17. 16.

Didac. Stell. in Luc. Tom. 2. pag. 108.

ductum ante obitum fuisse, speciatim etiam ejus, quo *mulieribus alienigenis* tam impense & turpiter in ipsâ suâ senectute indulserat, quod inter atrociſſima merito habetur? Hoc magis, quod *versibus* 26. & 28. *septimi* Capitis hujus Libri *mulierum* astutiam, vanitatem & malitiam tam disertis verbis deploret & condemnet. *Invenit* (inquit) *rem* amariorem morte, *nempe* mulierem, *quia est sicuti retia & laqueus cor ejus, ut vincula manus ejus: bonus coram Deo evadet ab illâ, peccans autem capietur abeâ. Quam adhuc quærit anima, & non inveni. Virum de mille unum reperi*, mulierem *ex omnibus non inveni.*

Greg. Michael. in Gaffarel. Not. 13. p. 57.

CAP. VII.

De Librorum Lectione *in* genere.

SUMMARIUM.

1. *Locus Eccles.* 12. 12. *Librorum nec* scriptioni *nec* lectioni *obstat. Præter* S. Scripturam *alii etiam* Libri *legendi.* Lipsii *de neglecto hoc suo tempore officio gravis querela. Ne quidem multi* Ecclesiastici *Scriptores citra* aliorum *Librorum adminicu-*

lum rite perceptibiles. II. Ludiones *duo (de quibus Gathakerus*) Grunewaldus, Turbones Monasterienses, Carteſius, Pontianus Hattemius, *contrarium vel ore vel opere pertendentes, notati.* Ægidii Camarti ἀπιστρηνία *in* Lutherum *injurioſa. Ejuſdem in eundem alioſque Scriptores Reformatos infeſtus animus.* III. Objectionis *anticipatio* Alienorum *Librorum lectio* Scripturarum *meditationi non noxia, ſed proficua. Quod e mero rerum aliquarum reſultat* abuſu *iis ipſis non adſcribendum.* IV. *Gratioſæ Dei* benignitati *acceptum ferendum, quod præter* S. Scripturam, *alia* etiam legenda *concedantur.* Aliorum *Scriptorum lectio* Scripturarum lectioni *non opponenda, ſed ſubordinanda. Multo minus hæc illi ullo prætextu poſtponenda.* Witſius *laudatus. Impium & deteſtabile*

Rab-

Rabbinorum *quorundam effatum explosum.* Hieronymus *an in ecstasi, ob* Ciceronis *lectionem ei, quæ Sacrarum* Scripturarum *est, prælatam,* a *supremo Judice flagellatus? Hic* Ciceronem *absolute legendum non esse, nunquam dixit aut sensit. Non* alii Libri *sed liber* Scripturæ *tempore prius legendus. Quo loco libri* prophani, *si cum* Divinis *comparentur, habendi?* Bernardus, Athanasius, Zwinglius, Isidorus, Rousius *ad partes vocati.*

I. EX dictis planum est, prout sapientissimi *Regis* verba Eccles. 12. 14. Librorum multorum *Scriptioni*, in se consideratæ, non obsunt, ita neque diligenti eorum studio & *lectioni* simpliciter opponenda ea esse; sed eousque tantum, uti dictum est, quatenus iis homo a Sacrarum *Scripturarum* sedulo examine nimium avelleretur; vel sollicitaretur ejus animus, ad veram & *solidam consolationem* e Scriptis *profanis* non minus, ac ex ipso *Dei verbo*, sectandam & conquirendam. Utilissimum enim alias est, quinimo necessarium, ut *Sacrarum Literarum* lectioni librorum *aliorum* tractatio & lectio nonnunquam addatur: *tum*

quod præter res ſpirituales, quas Scriptura abunde exhibet, multa etiam *ſecularia* & temporalia ſint, eaque non *utilia* tantum & conducibilia, ſed tam ad *eſſe* quam ad *bene eſſe* hominis in hoc mundo plane *requiſita*, quæ in *Divinis Voluminibus* haud ita obvia ſunt; *tum* quod non paucæ ipſiſſimæ *Scripturæ* partes ſint, quæ abſque *aliarum* Diſciplinarum adminiculo & uſu vix, imo ne vix quidem percipi poſſunt. *Litteras* (inquit alicubi Magnus Seldenus) *miſceo* profanas, *ut ſacras* illuſtrent; *id nec quis incuſet, niſi qui citra illarum opem omnia in his intelligi poſſe, imperitus, atque idem perquam moroſus opinetur.* Quis enim inter Chriſtianos extat, cui epidemica mentium noſtrarum caligo explorata non ſit? Et quomodo emendari ac diſpelli hæc poteſt, ſine perſpicuis myſteriorum Sacrorum interpretamentis, in plurimorum *humanorum* Scriptorum commentationibus paſſim occurrentibus? Πῶς ἂν δυναίμην [γνώσεσθαι] ἐὰν μή τις ὁδηγήσει? *Quomodo intelligere poſſum* (dicebat *Philippo* Eunuchus) *niſi quis* explicando *mihi præiverit*? Et bene *Caſſiodorus*: *Quoniam tam in Literis* Sacris, *quam in* Expoſitoribus *doctiſſimis multa per artem* Grammaticam, multa *per* Rhetoricam, *multa per* Dialecticam, *multa per diſciplinam* Arithmeticam, *multa* per Muſicam, *multa per diſciplinam* Geometricam, *multa per* Aſtronomicam *intelligere poſſumus*: *non abs re eſt, inſtituta ſingularium Magiſtrorum, artes ſcilicet & diſciplinas, cum ſuis diviſionibus attingere.* Neque abnuit *Coccejus* in hunc ipſum *Salomonis* locum: *Non omnino*

Luduvic. Viv. Introduct. ad Ver. Sapient. §. 135.

Selden. in Præfat. ad Tract. de DIs Syris.

Act. 8. 31.

Caſſidior. de Divin. Inſtit. cap. 29.

Coccej. in Eccleſ. 12. 14.

omnino (inquit) *rejicit Salomon* Librorum copiam *&* Lectionis *sedulitatem* (*nam, ut ait Apostolus Coloss.* 3. 16. Verbum Dei inter pios *copiose* habitare debet, *& ipse Salomon* multas *Parabolas aptavit, quarum partim perscriptæ sunt in Canonicis Libris ad usum Ecclesiæ, partim interierunt, licet ab eodem Spiritu essent*) *sed docet non nimis evagari ad* minus necessaria, *& semper id memoriâ retinere, quod* præceptum *est, eoque cætera omnia referre.* Imo non exiguam seculi sui calamitatem in hoc posuit *Lipsius*, quòd Scripturæ tractandæ ita quidam inhærerent, ut alia quævis studia non tantum negligerent, sed & noxia sibi fore existimarent: Hæc gravis ejus querela est: *Hodierni vero Theologi, credo, altissimæ scientiæ majestatem imminui arbitrarentur, si ad eam elegantes* literas *adjungerent; nisi potius id faciant desidiâ, laborisque tædio, qui non minimus exhauriendus est in linguis addiscendis, & tot Scriptoribus evolvendis. Dii bone! quantum in hoc antiquis illis Theologis, Græcis præsertim, absimiles, qui cum omnes, ut vocant, seculares novissent literas, eas non incongruum esse censuerunt cum rebus* sacris *miscere, ut nihil non, etiam profanum, in summi Dei gloriam proferrent.* Quinimo ne quidem alii etiam rerum Sacratum Scriptores, e. g. Veteris Ecclesiæ Patres, rite intelligi ab iis possunt, qui in Autoribus prophanis plane hospites sunt. Versatum esse oportet in *Cicerone* & *Quintiliano*, qui *Hieronymum* bene assequetur; Theologi Græci multa contra Gentilium Philosophos disputarunt, quæ nemo, nisi aliquatenus

Lipsius Epp. lib. 2. Ep. 36.

Aret. Problemat. Loc. 104. pag m. 351.

tenus in iis tritus, probe percipiet; *Lactantium* quis intelliget, nisi in *Virgilio* & *Cicerone* quadantenus versatus? Quis *Basilium* Aristotelicos refellentem, quis *Augustinum* contra Academicos & Stoicos disputantem hoc sine adminiculo cum fructu legit unquam vel leget?

II. Haud ergo immeritò helleboro opus esse judicavit *Gathakerus* gemino isti hominum pari, cujus in *Præloquio* suo ad *Antoninum Pium* mentionem facit. Sic ait: *Pari ratione rejici possunt omnes in universum ab Eruditis piisque concinnatæ Instrumenti utriusque Sancti enarrationes: ut eodem tandem deveniatur, quo processerunt apud nos haud ita pridem par fere geminum, cerebri certe parum sani uterque. Quorum* alter *præter* Paginam Sacram, *nihil legebat aut legendum censebat.* Alter *postquam* Anachoretæ *cujusdam instar, cum suis domi se concluserat,* Librorum, *quam, pro hominis privati sorte censuque, amplam satis habebat, supellectilem omnem,* Bibliis *Sacris exceptis, foco accenso, flammis absumendam tradidit. Neuter* (hæc ejus censura est) *aut fundo justo, aut exemplo bono, & quod imitatione dignum sobrius quis sanusque sentiat.* Simile quid de quodam *Grunewaldo* habet *Martinus Ruarus*, de quo etiam alibi, Vir sane non indoctus, in *Epistolis* abhinc annos aliquot editis, dum sic scribentem eum inducit: *Cur non potius sumptibus illis, quos in* Libros *edendos insumimus, quosque agre atque difficulter interdum ab alius emendicamus, parcimus? & homines ad sedulam & solam Sacrarum lectionem Literarum relegamus? eosque docemus,*

Gathak. in Præfat. ad Antonin. P.

Ruar. Ep. 3. pag. 15. 46. 47.

mus, ut seriis & assiduis precibus veram illarum intelligentiam a Deo impetrent, missis *interim nostris in eam Commentationibus*? Licet hic idem *Grunewaldus*, pustea a *Ruaro* monitus, opinionem illam retractasse, qualitercunque saltem incrustasse visus sit. Et quid *Turbones Monasterienses*? de quibus ita Sleidanus: *Posthæc idem Propheta* (Johannes Matthæus *cum* Knipperdollingo *Socio*) *mandavit, ne quis* ullum *deinceps* Librum *haberet, aut sibi servaret præter* S. Biblia, *reliquos omnes in publicum deferri jussit* (*quorum pretium viginti millium aureorum æstimabatur*) *flammisque comsumpsit.* Nec impendiò aliter animatus fuisse videtur Illust. *Cartesius*: Hic enim *Libros se tantum legere* non semel dixit *pour divertissement*, id est, *non ut studia sua iis promoveret, sed animum quadantenus ab iis avocaret.* Et aliquoties contigit, ut qui interioris admissionis apud ipsum erant, cubiculum ejus ingressi, *unum alterumque* duntaxat *Librum*, nonnunquam *sola Biblia* in abaco seu mensulâ ejus reposita invenerint. Imò ne defuerunt quidem, inter *Pontificios* imprimis, qui Theandrum etiam *Lutherum*, ut invidiam ipsi conflarent, *παχυδέρμοις* hisce accensuerunt. Sic de eo *Ægidius Camartus*, ordinis *Minimorum* quondam Generalis, Vir alias non mediocriter doctus, ut pulcherrimo suo Opere de *Eliâ Thesbite* testatum fecit: *Quæ* (inquit) *Apostolica sententia* (respicit Pauli locum Colos. 2. 8. *Ne quis deprædetur vos per Philosophiam* &c.) *tantum apud* Lutherum *valuit, ut persuaserit* Philippo Melanchtoni

Sleidan. lib. 10. pag. m. 251.

Rev. Cartesioman. part. 1. pag. 307.

Tob. Andr. Method. Cartes. p. 1. pag. 835.

Camart. El. Thesbit. cap. 9. §. 7.

lanchtoni & Andreæ Caroloſtadio, *adhuc ætate florentibus, & in Diſciplinis* ſecularibus *eruditis, abſtinere ab omni ſecularium literarum uſu, propriiſque manibus laborare; nec aliud curare, quam de* S. Bibliis *volvendis & revolvendis, ut autor eſt Surius.* Scilicet *Surius*, infenſiſſimus *Lutheri* hoſtis, adverſus *Lutherum* teſtis laudandus fuit: Cui certe, *de Luthero* quicquam narranti, nullo jure fidem magis adhibeas, quam ſi de vitâ & moribus Chriſti *Phariſæorum*, vel de *Calvini* doctrinâ & pietate *Boſſeci* teſtimonia allegarentur. Digitum procul dubio *Surius*, ac ex & cum ipſo *Camartus* intenderunt in *Caroloſtadii* Wittenbergæ concitatos motus, *in quibus* (referente Bucholcero) *Scholas vaſtavit, clamoribus inconditis multis in locis præclara multa ingenia ſterileſcere, & deſertis* Scholis, *artium ſtudia abjicere fecit.* Sed quid *Lutherum* hæc feriunt? an ſuaſu conſiliove *Lutheri* hæc contigerunt? nihil minus. Abſens *Lutherus* tunc erat, quinimo (quod neſcire neminem oportet, qui Hiſtoriam Temporum a limine tantum ſalutavit) zelum illum, ut juſto ferventiorem & intempeſtivum, culpavit non tantum ſed apertè etiam condemnavit. Interim non uſque adeo mirum eſt, *Camartum* tam inclementer *Lutherum* ibi habuiſſe, cum paſſim in eodem *Tractatu* quam infeſtus ipſi, imo quibuſvis fere *Reformatis* Doctoribus fuerit, impudenter ſatis oſtendat. Pag. 191. *Lutherum* vocat *tertium*, Germanorum opinione, *e Cœlo delapſum Catonem, quem adverſus Chriſtum & pro Chriſto ſub tertii Eliæ nomine coluerunt;*

Scultet. Annal. p.m. 90.

Bucholcer. Chronolog. pag. m. 484.

Pezel. Mellific. Hiſtor. pag. m. 337. part. 3æ.

runt; impoſturas ei tribuit, hominem *fallaciſſimum* & *ſalaciſſimum* dicit. Alibi in *Calvinum* invehitur: *verberonem* vocat, *Therſitem e rebellium caſtris erumpentem, nova inauditæ & ſceleratæ doctrinæ ſpicula torquentem* &c. Orat. Peculiar. c. med. Nec pepercit *Junio Tremellio, Leoni Judæ, Munſtero, Pellicano* &c. quos *judaizantibus* hæreticis ſimiles fecit, qui (verbis abutitur Hieronymi) *multa myſteria ſalutaria ſubdolâ interpretatione celarunt*. pag. 201. Tandem neque defuit quis e *Reformatorum* ordine, qui eundem hunc errorem erravit. Nuperrime enim in ſcenam prodiit *Pontianus* quidam *Hattemius* Verbi Divini per annos aliquot Miniſter, qui ſagaci ſuo ingenio, quo pollere ipſum negari non poteſt, nimiopere innixus, putidiſſimis ſuis hæreſibus, quas invehere conatus eſt, hunc *fanatiſmum* etiam adjecit, quod *per totos viginti annos nihil aliud quam* S. Biblia *lectitârit, idque pro unicâ fere gloriandi materiâ habuerit*. Hattem. Apolog. pag. 36. Verum non diu tulit hominem illum *Reformata* Eccleſia, ſed erroribus ſuis præfractè inhærentem, conſentientibus & approbantibus Præpotentibus *Zelandiæ* Ordinibus, munere ſuo abdicavit.

III. Neque periculum eſt (quod obtendi a quibuſdam ſolet, qui ultra peram ſapiunt) ne *aliorum Librorum* volutatione ipſa *Scriptura* in contemptum tandem abeat; quum *illorum* lectio *hujus* meditationi & ſtudio opponenda minime ſit, ſed ſubordinanda. Imò eſto nonnunquam, quod metui dicitur, ut fieri id quandoque negari

negari non potest: cum haud paucos pro-cul dubio invenias, imo nimia eorum turba sit, qui *secularibus* disciplinis scientiisque usque adeo insolescunt, ut *Sacrarum Literarum* eloquia, Canonicasque Scripturas, eo quod verborum ornamentis, syllogismorum viribus, affectatisque suadelis, peregrinâque Philosophorum eruditione carere videantur, sed simpliciter in operatione virtutis & fide nudâ firmatæ sint, tanquam *rusticas* & *idioticas* nimis despiciant, aspernentur, contemnant. Sed vero quis iterum non tam *lectionis* & *Librorum*, quam solorum *legentium* vitio & *abusui* adscribendum id esse non judicet, ut supra etiam monuimus? Et cur, quæso, ob qualemcunque optimæ rei abusum *Libri* Tractatusque cætera non mali, sed docti, politi, pii, mortalium excutiendi magis manibus sunt, quam eandem ob causam sedula frequensque *Verbi Divini auditio* iis dissuadenda, cum par utrobique periculum prætexi possit? Rei frustrà *naturæ* quid tribuitur, quod e pravo ejus *abusu* tantum nascitur, & non nisi per accidens ei adhæret. *Solem* inficiunt Horizontis sordes, *Lunæ* globum maculant repercussæ e Terrâ exspirationes, (siqua errori fides) *stellas* noctu jactatas perpetuo Aëris vapor nobis repræsentat. Ergone *Sol* propterea squalidus, maculosa *Luna*, *Stellæ* instabiles? Nihil est tam innocens, quod alienâ culpa reum non facit, si perversos in usus deducatur. *Crudelitatis* officina est bellum, *ambitionis* columen sceptrum, *lasciviarum* illecebra formæ decor, *fastus* conciliatricula

Agripp. de Vanit. Scient. in Præfat.

Lactant. de Justit. lib. 5. cap. 1.

Farnes. de Simulacro Reip. lib. 2. in Præfat.

tricula nobilitas: imo quid attinet plura adferre? quum ipsa sæpe *sanctitas* in usus deflectatur fictæ pietatis, & vera Religio privatarum fiat famula rationum? Non magis igitur damnat *Libros* pii & laudabilis argumenti usus eorum præposterus, quam florum pulchritudinem araneæ, quæ venena ex iis conficiunt;

Nemo ideo culpat fœcundi flumina Nili,
Pestifero fœtu quod Crocodilon *alat.*

Ne addam, *Libros* plerosque *Asceticos* (hisce enim maxime ut nonnullorum invidiâ, ita aliorum socordia infesta est) nihil aliud fere esse, quam *Conciones* scripto calamoque exaratas, ut & multas *Concionis* vix aliud quid, quam *Libros* ore vivâque voce pronunciatos; quippe nonnunquam quidem quoad externam *formam*, raro quoad ipsam *materiam* discrepantes. Tam procul proinde abesse oportet, ut aliorum probatorum Scriptorum lectionem ipsius Scripturæ studio vel hilum præjudicare quis autumet, ut amicissimas e contra sibi invicem operas tradant, imò manuducere genuina *piorum Librorum* lectio ad intensius & fructuosius Verbi Divini studium bene legentes nunquam non soleat. Equidem (verba sunt Jacobi Marchantii) *docent illi* (*quod & ipsa* Scriptura *facit*) *ignaros, arguunt otiosos, excitant torpentes, exstimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, consolantur lugentes, laudant humiles, vituperant superbientes, confor-*

Marchant. Hort. Pastor. pag. m. 1064.

tant debiles, reprimunt præsumentes, mitigant turbatos, lætificant tristes, justificant pios, damnant perversos.

IV. Adhuc, cum sermones Domini *summatim* fere in *Sacro Codice* proposita tantum sint, benevolentiæ utique erga nos miseros homines Divinæ testimonium habendum est, quod eos latius deductos, fusius explicatos, magnâ sæpe argumentorum insignium varietate firmatos, illustratos, digestos, inculcatos, ad vitæ usum accommodatos, aliorum operâ possidere concessum etiam sit. Neque ideo tamen humanorum Scriptorum lectionem ei, quæ Sacrarum Literarum est, ullo prætextu præferendam esse cogites, μὴ γένοιτο: è contra *harum* semper major, quam *illorum* ratio habenda est, eo quod hæ illa multis numeris antecellant, præque his omnia humana fracta vitrea, imo σκύβαλα tantum sint; de quo Amicissimus meus Witsius sic alicubi disserit: *Non inficior* (inquit) *Gentium Legislatores præclara quædam instituta suis inseruisse; laudo etiam celebroque quæ de* Virtutibus *Socrates, Plato, & post eos Cicero, Seneca, Marcus Antoninus Imperator, &, quem omnibus anteferre non dubito, Epictetus copiose & eleganter disseruerunt. Sed ut ut magnifica primâ specie appareant, præ eâ tamen sanctitate, quæ* Euangelio *traditur, frigida prorsus, inania & inanima sunt, veluti statua quædam fabrefacta, at mentis ac spiritus expers.* Quare detestabile plane & impium hoc cœcutientium *Magistorum* effatum est בְּנוּ תוֹהֵר בְּדִבְרֵי חָסוֹפְרִים יוֹתֵר בְּוֹגְרֵי תוֹרָה: id est, *Memento,*

Witſ. Dissert. Epistol. ad Ampliss. Huber. p. 136. 137.

mento, mi Fili, majorem semper præceptorum Rabbinicorum, *quam* Legis *Divinæ curam esse habendam*: Licet alibi longissime ab eo recedant, dum quærunt: *Quare vastatum est forum* Bethene *tribus ante* Jerusalem *annis*? & respondent: *Quia verba* sua *verbis* Legis *præponebant*: quin imo Judæi passim religiosiores Librum *Legis*, siquidem iter facerent, inter præcipua sua viatica olim habuerint. Sicuti neque unquam Deus nisi indignissime ferre potuit, nec potest, si iis, quæ à spiritu humano, eoque fallacissimo fere; dictata tantum sunt, ea, quæ sanctissimi & infallibilis sui Spiritus sunt, postponi à quoquam deprehendat. Expertus id olim est *Hieronymus*, ut ipse alicubi fatetur; & aliquanto fusius enarrat *Jodocus Clichtovæus*, celebris inter Pontificios *Homiliarum* Scriptor: *Cum* (sic ille) *suggerente Satana* [Hieronymus] *quodam tempore, ductus fastidio* Sacrorum Librorum, *quod sermo sibi incultus in* Libris Propheticis *non placeret, imo horresceret, die quodam* Tullium *avidè legeret, & nocte* Platonem, *subitâ correptus febre, ad extrema vitæ perducitur. Cumque jam funus illi pararetur, repente in ecstasin raptus, tribunali summi Judicis sistitur, & cujus sit conditionis interrogatur. Cui se* Christianum *esse respondenti, ait Judex:* Mentiris, non enim *Christianus* es, sed *Ciceronianus*; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. *Statimque jussit eum durissimè cædi. Ille autem inter flagella misericordiam Judicis implorans, promisit sub obtestatione, quod Libros* seculares

Voisin. Theolog. Hebræor. in Prolegom.

Lichtf. in Matt 10. 9.

Maimon. de Libr. Leg. cap. 10. §. 9.

Hieronym. Ep. ad Eustoch. Oper. tom. 1. fol. 67.

Clichtovæ. Homil. p. m. 414.

Reatin. in Descript. Vit. Hieronymi.

nunquam posthac legeret; eo nempe, quo *ante* eos legerat, modo. Neque enim unquam sensit Hieronymus, *Ciceronem* plane legendum non esse, sed tum tantum, cum meliori *Sacrarum Literarum* intellectui & tractationi *lectio* illa obesset. Liquet id e Libro ejus de *Optimo genere interpretandi*, ubi plurimos ipse versus *e Cicerone* allegat, uti testis est *Erasmus*; qui quicquid hujus narratur *fabulam* vocat; forte quia ipse *Hieronymus* haud bene sibi hic constat; cum hic *somnium* dicat, alibi vero diserte *a somnio* distinguere id videatur. Idem *Clichtovæus* de *Bernardo* refert, quod hanc ob causam *Canonicas Scripturas* & *Divinæ paginæ Libros præcipue lectitârit, quod ex illorum verbis veritatem sibi magis elucescere deprehenderet, quàm ex Autorum explanationibus*; satius *ducens e* primario *fonte*, *quam rivis, etsi dulcibus, aquam sapientiæ haurire*. Atque ita quidem unumquemque *lectorem* animatum esse oportet, neque ullo modo concedi in illorum hominum partes, qui *aliorum* opinionibus prius imbuti & præoccupati, postea demum ad *Scripturæ* lectionem se accingunt, ut nempe, non veritatis, sed *præconceptarum* illarum *opinionum* confirmationem haurire inde possint, *depravantes* (ut loquitur Hieronymus) *subinde sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahentes repugnantem*; neque a Scripturâ sensum sumentes, sed adferentes, mentemque ei affigentes ex suâ mente. Sed Scripturæ *ordine* imo *tempore* prius legendæ sunt, ut pietatis studio inde reportato, pias de-

Erasm. in Vit. Hieronym.

Hieronym. Tom. 1. pag. citat.

Clichtovæ. Lib. cit. p. 382.

Noll. Gnostic. in Præfat.

Hieronym. Ep. ad Paulin.

Ruar. Ep. 15.

deinceps meditationes nobis ingeramus, atque ita opinionibus, ad dilectionem Dei & proximi spectantibus, animos nostros imbuamus. Faciunt huc aurea *Zwinglii* verba: *Fateberis, te sæpenumero Scripturas in hunc finem perlegisse, ut verba quædam, quæ sententiæ jam antea conceptæ suffragarentur, excerperes, quibus opinionem tuam, quam mordicus retinere cupis, confirmares. Hoc, hoc omnium humanarum* Traditionum *ulcus est, quod acu tetigisse dolet. Quid enim hoc aliud est, quam sensum proprium* Scripturæ *testimonio probare velle, alienum sensum Scripturis ingerere, & errori suo Scripturarum prætextum, & patrocinium quærere? ut nimirum* Scripturæ *locos, pugnantes licet & invitos, in tuam sententiam pertrahas, & eos id, quod jam* ante *tibi* persuasum *est, loqui cogas.* Alias, uti dictum est, subordinata non pugnant, imò sibi invicem auxilio potius sunt: quare & *Athanasius* hæc cum se invicem sequentem in modum rite conciliavit. *Etiamsi* Scripturæ Divinæ *ad veritatis indicationem sufficiant,* Doctorum *tamen* Tractatus *haud contemnendum ad faciliorem* Scripturarum *interpretationem adferunt adjumentum.* Nec minus judiciosè *Isidorus Peluſiota*, qui, ut omnem prævertat *abusum*, sic loquitur: *Divinæ Philosophiæ* [sapientiæ] oratio *in Sacris Literis* humilis *quidem est*, sensus *vero* sublimis, *planeque Cœlestis. Externorum sane Scriptorum* splendida *est oratio*, res *vero humi serpit. Si quis igitur* illius *valens sensus consequi*, hujus *vero dicendi elegantiam, næ ille sapientissimus est. Elo-*

Zwingl. op. tom. 1. cap. 3.

Athanas. Orat. c. Gent. princip.

Clem. Alexandr. Stromat. lib. 1.

Isidor. Pelusiot. Epp. Lib. 5. Ep. 281.

quentia enim instrumentum esse queat Cœlestis scientiæ, si ei ut animæ corpus subjiciatur, & ut lyra Lyristæ, nihil quidem privatim innovans, sed interpretans illius *meditationes. Sin ordinem hunc invertat, &, cum debeat* servire, *regere, aut potius* imperare velit, *æquum est, ut expellatur.* Nec dissimiliter F. Rousius: *Cœlestis* (inquit) *Academiæ alumnus* Ethnicos *Logicæ vel Philosophiæ magistros* Gibeonitarum *loco ducat, qui lignis findendis, aquisque in usum sanctuarii exhauriendis operam & studium navent.*

Rous Inter. Regni Dei pag. 5.

CAP. VIII.

De Justo & fructuoso *Librorum* legendorum *modo.*

SUMMARIUM.

I. *Non omnes* Βιβλιόφιλοι, *qui* videri *tales volunt. Libri sine* Doctoribus, *Doctores sine* Libris. *Libri ad* studium *non ad* spectaculum *possidendi.* Gronovii *querela. Sola* chartacea *suppellex nulli utilis. Pro genuinis* Librorum æstimatoribus *quinam* non, *quinam* imo *habendi?*

bendi? Vana eorum pompa *ab* Hieronymo & Seneca *contempta.* Ludovici XI. *Galliarum Regis, argutè dictum.* Librariæ *supellectilis* ornatus *quatenus improbandus* Agnes, *Henrici III. Imperatoris uxor, in Episcopum* Cassinensem *perverse liberalis.* Bonifacii *erga Divi Petri* Epistolas *supererogatoria & superstitiosa reverentia.* II. *Librorum* helluones *qui? Eorum* lectio *quomodo ritè instituenda?* (a) Humili mente *ad eam accedendum.* Discentium & *legentium* claves *quæ?* Johannes Wierstius *laudatus.* (b) Linguarum *quibus exarati* Libri *sunt, peritiæ incumbendum. Omnis interpretatio seu* versio *textus primigenii tantum umbra.* III. (c) *Librorum* selectus *habendus.* Senecæ *de hoc effatum. Ennius quomodo* Homeri animam *dicatur?* sortitus

Theognidis γνῶμη. *Libri antiquiores novioribus passim præferendi.* Lutheri, Melanchtonis, Erasmi *hac de re consilium. Ut & illi præ aliis legendi, qui scientiam & pietatem* simul *ingerunt, quam qui illustrando intellectui* tantum *inserviunt.* Nazianzeni *de salutaribus hinc in animâ suâ fructibus testimonium. Scriptorum* Basilii *laus. Eorum, qui Scriptores prophanos* castrant, ludicraque *eorum in* sacra *convertunt, institutum commendatum.* IV. (d) Ordinis *in legendis* Libris *ratio habenda.* Præjudicia *tam* pro *quam* contra *legendos Scriptores deponenda. Animæ* carnales *sordes excutiendæ. Quid sit libellum* pure *legere? Curæ etiam mundanæ cohibendæ, & negotia temporalia moderanda. Festivæ* Erasmi *de hoc ad* Hervagium *Literæ. Autoris, qui legitur,* scopus *probe attenden-*

dendus. Librorum vitia *vel* commissionis *sunt vel* omissionis. *Quomodo ad* hæc *quomodo ad* illa *habere se debeat Lector. A* facilioribus *ad* difficiliora *in legendo ascendendum. De* Hebræorum *instituto, de primo* Geneſios *capite, de* Canticorum *libro, principioque & fine* Ezechielis, *ante* trigesimum *ætatis* annum *non legendis, quid sentiendum?* Autoris *hanc in rem considerationes.* Turrettini *calculus. Per* multos *simul Autores*, junioribus *imprimis, non divagandum.* Voetius, Aristippus, Seneca *ad partes vocati. Scriptores* toti *legendi, &* ipsi, *potius quam eorum* epitomatores. *Aliquis tamen* compendiorum *usus concedendus.* V. *Lectioni* Re petitio, Meditatio, Oratio, Collatio & Continuatio *connectendæ.* Ἀκεραίως ἀναγινώσκειν & ὁλοχέρως ἐννοεῖν *quinam dicendi?* Ἁμυδὶ πίνειν *quid?*

Coletus, Auguſtinus, Bernardus, Didym. Alexandrinus, Alcuinus, Hieronymus, Eraſmus *teſtes laudati. Loco* Prov. 27. 17. *lux affuſa.* Collationum *ſuper rebus lectis origo & fructus.* Quando *a Gentilibus inſtitui olim ſolitæ?* VI. (e) *Quisque ſcriptor* ſuâ *in* arte *ſuſpiciendus.* Grotii *genius a* Riveto *delineatus.* Luduvici Vivis ἐπιείκεια. *Lectores quidam cum* ſcarabæis pilulariis & muſcis *comparati.* Baſilius & Horatius *laudati.* VII. (f.) *Eorum, quæ lecta ſunt,* Adverſaria *conficienda. Quæ* quid *ſint* & unde *ſic dicta, explicatur.* Libelli *apud* Romanos *quid?* Memoriæ *vis magna, ſed imperfecta.* Semel *ſcriptum,* decies *lectum.* Cur *Regibus Iſraelis Legis exemplar* propriis manibus *fuerit deſcribendum?* Adverſaria *non indiſcriminatim. ſed cum* ſelectu & judicio *con-*

congerenda. Plinius, Scaliger, Erasmus, Muretus, *Cæsar* Augustus, Benedictus Carpzovius *laudati.* Excerpendi *negotium non debet nimis esse operosum.* Excerptorum & Adversariorum *fructus.*

I. VErum enim vero, prout esse ex dictis liquet, qui *Salomonis* allegata verba intorquentes, *aliorum* præter Scripturam *Librorum* lectionem oppugnare iis studeant, ita neque ex adverso omnes illi, qui diversum seu contrarium sentire se obtendunt, insigneque βιβλιόφιλοι audire gestiunt, pro genuinis Librorum *æstimatoribus* habendi mox sunt. Quis enim, uti *Doctores sine Libris* sæpe sunt, ita *& libros sine Doctoribus* nonnunquam esse non videt, doctiora fere *scrinia* habentes, quam *pectora*? Hoc est, tales haud raro dari nominetenus φιλοβίβλους, qui magnam non tantum felicitatis, sed & eruditionis suæ partem in hoc solo collocant, quod instructissimis *Bibliothecis* gaudeant, extra eas nequicquam fere sapientes, imo ne sapere quidem laborantes, librosque non tam ad *studium*, quam ad *spectaculum* possidentes. Quod vitium in Optimatibus nonnullis præcipue notatur ab Illustri nostro *Gronovio*, dum ait: *Nescio, quomodo ex barbarie superiorum seculorum præ cæteris unum pertinacius hæret, ut* ma-

Gronov. Ep. Dedicator. Senec. Tragic. præmiss.

magnæ *domus ſtudiis* minores *ſint, & Libri in* ſericos pulvillos, *ac* citrios lectos *faſtidioſe recipiantur: ſicubi fit tamen, nihil fere, niſi tralaticium, vulgare, umbraticum, & ut ſic dicam, ſine litteris literatum efficitur.* Neque mirum hoc, cum ſola *chartacea* ſupellex, librorumque ſuperficiaria tractatio nec erudire quem poſſint, nec emendare.

Clericus in Libro *non valet* ova *duo.*

Eraſm. Epp. Lib. 3. epiſt. 29. *Haud enim mihi* (addit Eraſmus) *libros amare videntur, qui eos intactos ac ſcriniis abditos ſervant, ſed qui nocturnâ juxta ac diurnâ contrectatione ſordidant, corrugant, conterunt; qui margines paſſim notulis, hisque variis oblinunt, qui mendi raſi veſtigium, quam mendoſam compoſitionem malunt.*

Auſon. Ep. 43. Et feſtive ad Philomuſum Auſonius:

Emptis quod Libris *tibi* Bibliotheca *referta eſt,*
Doctum & Grammaticum te, Philomuſe, *putas,*
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Mercator hodie, eras citharædus eris.

quibus adde hoc Juvenalis:

Juvenal. Lib. 1. Sat. 11. *Indocti primum: quamquam plena omnia gypſo*
Chryſippi invenias, nam perfectiſſimus horum eſt,
Si quis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit. *Vel*

Vel jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Contempſit etiam hanc pompam *Hieronymus*, ut hiſce innuit verbis: *Habeant, qui volunt, veteres Libros, vel in membranis* purpureis auro argentoque *deſcriptos, vel* uncialibus, *uti vulgo ajunt, litteris* onera *magis exarata, quam* codices, *dummodo miki meisque permittant pauperes habere ſcedulas, & non tam* pulchros *codices, quam emendatos.* Nec quisquam cordatius Senecâ: *Quò miki* (inquit) *innumerabiles libros & Bibliothecas, quarum dominus vix totâ ſuâ vitâ*, indices *perlegit? onerat diſcentem* turba, *non inſtruit? multoque ſanius eſt, te* paucis *Autoribus tradere. Quadraginta millia Librorum* Alexandriæ *arſerunt, pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum, alius laudaverit, ſicut* Livius, *qui* elegantiæ Regum curæque egregium *opus id eſſe dixit. Non fuit* elegantia *illud ſed* ſtudioſa luxuria, *imò ne* ſtudioſa *quidem, quoniam non in* ſtudium *ſed in* ſpectaculum *comparaverant, ſicut plerisque* ignaris *etiam ſervilium Literarum Libri non ſtudiorum ſunt inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta. Paretur igitur Librorum quantum ſatis eſt, nihil in apparatum. Vitioſum eſt ubique quod* nimium. *Quid habes cur minus ignoſcas homini nomen marmore atque ebore captanti, quam opera conquirenti, aut ignotorum aut improbatorum, & inter tot millia Librorum oſcitanti? cui librorum ſuorum frontes maxime placent & tituli. Apud deſidioſiſſimos igitur videbis quic-*

Hieronym. in Prolegom. ſup. Job.

Senec. de Tranquil. Anim. cap. 10.

quicquid Orationum & Historiarum est, & tectotenus exstructa loculamenta. Certe indoctus quisque auro margaritisque fulgentes *Libros* sibi comparans, nihil aliud facit, quam siquis ligneis pedibus aureas elegantesque crepidas inducat. Quid enim *cum fidibus graculo?* sive, ut *Epicharmus* apud Stobæum, τὶς τυφλῷ καὶ κατόπτρῳ κοινωνία? *Quid cæco cum speculo?* Luduvicus XI. Galliarum Rex, cum de illiterato quodam audivisset, quod insignem, multisque *Libris* refertam *Bibliothecam* haberet, dicebat: *Homo ille gibboso mihi similis videtur, qui, licet magnum gestet in tergo gibbi onus, nunquam tamen id intuetur.* Et alius quis (puto esse Erasmum) *Qui divite gaudent* Librorum *supellectile, atque eorum magis fruuntur* spectaculo, *quam* studio, *similes sunt* pueris, *quibus totas noctes lampades ardent, sed parum advigilant.* Lucianus hinc τὸν ἀπαίδευτον & πολλὰ βιβλία ὠνούμενον, id est, *ineruditum & multos Libros coëmentem*, ut individuos socios conjunxit. Neque dico tamen, omnem plane *Librariæ* supellectilis *ornatum* damnandum esse, statuo tantum, eum nihil iis prodesse, qui soli illi inhærent, ejusque magis aspectu se titillant, quam assiduo usu studioque oblectant. Sicuti eum duntaxat in finem *Agnes*, Henrici III. Imperatoris olim uxor, *Euangeliorum* Sacrorum exemplar *Benedicto Cassinensi* obtulisse fertur, cujus *tabulæ argenteæ, & splendidissimo auro obductæ* erant: insigni se procul dubio, imo regiâ liberalitate defunctam rata, quod donum misisset, magis ad oculos, quam ad animum ejus,

Epicharm. ap. Stobæ.

Ursin. Mantiss. Acerr. Philolog. §. 12.

Lucian. in Dialog.

Sydon. Epp. lib. 5.

Chronic. Cassinens. Lib. 3. cap. 30.

ejus, qui accipiebat, afficiendum accommodatum. Ut neque majoris pretii est, quod in *Sancto* (ut loquitur) *Bonifacio* tam impense deprædicat *Baronius*, adscribens ei, quod Divinos Libros *aureis* sibi describi *literis* curaverit. Verba epistolæ eum in finem ad *Eadburgam*, nobilissimam in *Angliâ* fœminam, ab eo datæ, sic habent: *Deprecor ut mihi cum auro conscribas Epistolas Domini mei Apostoli* S. Petri (cur *hujus* tantum, non etiam aliorum Apostolorum & Prophetarum?) *ad honorem & reverentiam sanctarum Scripturarum ante oculos* carnalium *in prædicando*. Fucus fit hominibus carnalibus, si nulla alia SS. Scripturis quam per deauratas *literas* reverentia exhibeatur. *Librorum superbiam* id vocat *Peraldus*, octo, quas proponit, adminiculis debellandam. Secus alienum non est, quod jam laudatus sæpe *Erasmus* habet: *Non commemorabo, quantum majestatis accedat* voluminibus *ex* amplitudine chartarum, *ex elegantiâ dignitateque formularum; quæ res ut Typographis vix credendis impendiis constant, ita Doctori tam eximio* (spectat Chrysostomum) *non parum conciliant gratiæ, & lectorem, alioqui fastidiosum, ceu lenocinio quodam invitant.*

Bonifac. Ep. 28. ad Eadburg.

Perald. Summa Virtut. & Vitior. p. 2. pag. 232.

Erasm. Epp. Lib. 28. Ep. 40.

Ovid. Trist. Lib. 1. Eleg. 1.

II. Sunt etiam, quos *helluones Librorum* Cato dixit (quidam *Ciceroni* id adscribunt) id est, qui multa quidem, imo infinita pene legunt, releguntque, sed haud aliter fere, quam si sus tibiam audiret, hoc est, sine ullo fructu aut profectu; miselulo *Tantalo* assimiles, quam perpetuâ fame sitique tortum fuisse finxerunt Veteres,

res, aquis utut pomisque ori ejus imminentibus:

Quærit aquas in aquis, & poma minantia captat
Tantalus.

vel cum peregrinantibus illis comparandi, qui terras remotissimas labore, impendio & periculis nonnunquam quidem lustrant; verum tamen, utut situm Regionum, ædificiorum magnificentiam, fontium amœnitatem, fluminum cursus, montium moles, Gentiumque mores rite quidem viderint & perspexerint, quomodo tamen ad *usum* referenda illa sint, plane ac stupidè ignorant. Atque hâc itaque de causâ curandum sedulo est, ut non *legat* tantum Libros ὁ βιβλιόφιλος, sed ut *bene* & *fructuosè* eos legat. Quod ut fieri possit, hoc procedendum est modo: (1) *Humili* semper *mente* ad lectionem accedendum est; id est, tali, quæ ineptitudinis suæ ad ullos inde, sine altiori auxilio, fructus carpendos probe conscia sit. Sic enim animus in ea, quæ *lectitando* addiscenda sunt, attentior redditur, ad majorem diligentiam excitatur, ampliorem-que Divinæ benedictionis spem concipere & potest & debet. Haud immerito hinc *Johannes Sarisburiensis*, discentium *Claves*, uti vocat, proponens, primas inter eas *humili* huic *menti* partes assignavit: Sic habent ejus versiculi:

Sarisbur. de Nug. Curial. lib. cap. 13.

Mens humilis, *studium quærendi*, *vita quieta*,

Seru-

Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hæc referare solent multis obscura legendo.

Neque alio, quam hoc fine animoque, aureos & piissimos suos *Dialogos* a Filio suo legi voluit Amplissimus *Johannes Wiertsius*, Curiæ, cum eos ederet, *Brabantiæ* Assessor, nec non Sereniſſimo *Auraſionenſium* Principi a consiliis: *Eo, mi Fili* (ait) *hæc evolvas animo, quò ego illa ex Jansenio, Jansenius ex Augustino, Augustinus ex Paulo, Paulus e divino hausit Spiritu, non quærendo tumultuosam contentionem, sed placidam veritatem, non sectando vanitatem* inflatæ scientiæ, *sed puritatem* humilis conscientiæ: *ut paucis multa, in omnibus suspiciens in te gratiam Dei, despiciendo in te* nihilum *tui.* (2) *Linguarum*, quibus exarati *libri* tam Sacri quam prophani sunt, *peritiæ* haud leviter est incumbendum: non uti canis e *Nilo*, sed ita, ut ab ipso, uti ajunt, fundo addiscantur, nec in superficiario tantum earum acquiescatur studio. Voces enim & vocabula cum rerum notæ, sint & indicia, vix tam emphatice se mentibus nostris ingerunt, si per *interpretem*, quam si ex *ipsis fontibus* offerantur: estque exactissima quævis *versio* textus primigenii mera tamen umbra. Peculiaria unaquæque lingua idiomata proprietateque suas habet, quas qui Eruditorum scripta in linguas alias transfundunt, vel vix sæpe percipiunt, vel in tralationibus suis haud significanter satis exprimunt, imo ne exprimere quidem possunt. *Sunt enim quædam verba certarum linguarum*, teste Augustino, *quæ in usum al-*

Wiertſ. Præ-Legat. ad Fil. Præfix. Centur. Colloquior.

Noll. Gnoſtic. cap. 6.

Dilliërr. Diſpp. Academ. p. 1. pag. m. 754.

Auguſtin. de Doctrin. Chriſtian. Lib. 2. cap. 11.

alterius linguæ per interpretationem transfire non possunt. Bene itaque Erasmus: *Nullâ ratione, nullâ industriâ fieri potest, ut intelligas quod scriptum est, si* sermonis, quo scriptum *est, sis ignarus; nisi forte malumus, otiosi quicquid hoc est muneris, cum Apostolis e Cælis exspectare.* Addit Cl. Coccejus, *Fieri facile posse, ut a verâ mente interpretis aberrans, in absurdam aliquam & falsam sententiam agaris, vel non ita afficiaris conversis, atque primigenia te affectura fuissent.*

Erasm. de Method. Theolog. lit. B. 1.

Coccej. in Præfat. ad Libr. Sanhedr.

Dulcius ex ipso fonte *bibuntur aquæ.*

neque *suis* bene oculis videre censendus est, qui credit *alienis.*

III. (3) Librorum legendorum *selectus* instituendus est. *Nec enim* (ut rite Seneca) *refert, quam* multos *Libros possideas, sed quam* bonos. Et alio loco: *Vide, ne lectio illa* multorum *Librorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.* Nusquam *est, qui* ubique *est. In peregrinationibus vitam agentibus hoc evenit, ut multa* hospitia *habeant, nullas amicitias.* In tantâ ergo ætatis fugacitate, Scriptorumque, quâ jam non premitur duntaxat orbis, sed tantùm non opprimitur, multitudine, cum legere non liceat *omnia*, quis legenda non dicet *optima*? Hoc magis, quod tales ipsi fere reddamur, quales *Autores* sunt, quos perpetuò terimus. Neque enim perinde ciborum qualitas in corporis habitum transit, ac *lectio* in animum mores-

Senec. Ep. 2.

Melancht. Rhetor. lib. 2. pag. 141. 142.

Cicer. de Orat. Lib. 2.

resque *legentium* commutatur. Si in jejunis, si in trigidis, in fucatis, in spinosis ac in rixosis Scriptoribus simus assidui, tales ut plurimum evadimus; sin in talibus, qui veram sapientiam virtutemque sapiunt, vix est, quin & ejus nobis aliquid adhærescat. Theognis: Epictet. ap. Arrian. Diss. lib. 3. cap. 16.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπο ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖς Theogn. pag. m. 5. vers. 18.
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸ ἐόν σε νόον.

A puris pura *accipies*, *sed turpibus amens*
Mixte cave mentis perdere quicquid habet.

Et Seneca: *Qui in unguentariâ tabernâ resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci trahunt, & qui apud* Philosophum *fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus* Uti Ennius *Homeri animam* sortitus dicitur, quod Versus ejus tam *assidue* lectitasset; & de *Cicerone* proditum est, quod usque adeo *Platonicorum* Librorum copiam imbiberit, ut *is ipse propemodum sit factus*. Præferendi proinde novioribus libris *antiquiores* fere sunt, *tum* quod in *illis* vix quicquam sæpe sit, quod in *hisce* etiam reperire non est, idque magis haud raro genuinum, minusque aliorum additamentis, nonnunquam etiam figmentis collutulatum; *tum* quod simpliciore passim animo styloque *hi* præ *illis* concinnati sint. Suadebant hoc suo imprimis tempore *Lutherus*, *Melanchton*, *Erasmus*; qui postremus, cum Senec. ad Lucil. Ep. 108.

Erasm. de Rat. Theol. Lit. B. F. & Epistol. Lib. 28. Epist. 8.

per *Theologiæ Scholasticæ* Scriptores *Literaturam* turpiter fœdatam conspiceret, eosdemque ipsam *Theologiam* magis magisque corrumpere, & deinceps corrupturos esse videret, de iis, cum Scriptoribus antiquioribus collatis sic monet: *Tantum illud dicam in genere, si quis hujus rei promptum aliquod argumentum requirat, veteres illos Theologos*, Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, *cum hisce recentioribus componat conferatque. Videbit illic aureum quoddam ire flumen*, hic *tenues quosdam rivulos, eosque nec puros admodum, nec suo fonti respondentes.* Illic *tonant oracula veritatis æternæ*, hic *audis hominum commentula, quæ quo propius inspicias, hoc magis similia in somniis evanescunt.* Illic *solidis Scripturarum fundamentis innixum ædificium surgit in altum*, hic *futilibus hominum argutiis, aut etiam adulationibus, non minus inanis, quam immanis superstructa machina tollitur in immensum.* Illic *veluti in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis, dum* hic *inter spineta sterilia dilaceraris & torqueris.* Illic *majestatis omnia plena* &c. Uti & illi præhabendi *Libri* sunt, qui *intellectum* non tantum *illustrant*, scientiamque adaugent, sed *mores* etiam *formant*, animamque ædificant, *doctiores* non tantum lectores suos reddentes, sed *meliores* etiam & pientiores. Atque hos inter primas tenere debet *Sacer Codex*, affectantibus illum omnibus iis scriptis, qui Spiritum Dei, devotionis ardorem, rerum cœlestium desiderium, omnigenæque virtutis studium vel infunderc,

dere, vel excitare, vel adaugere apta nata sunt. Horum etenim *Librorum* lectionem ejusmodi etiam animi excipere solet mutatio, qualis mox indicata est, & *Nazianzeno* e lectis *Basilii* Magni voluminibus olim obvenit: *Cum Martyrum* (inquit) *encomia, a* Basilio *conscripta, lego, corpus contemno, & cum iis, qui laudibus efferuntur, animo versor, atque ad certamen excitor; cum* orationes *eas, quas de* moribus *&* bene vivendi ratione *scripsit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumque Dei capax efficior, atque instrumentum Musicum a spiritu pulsatum Divinam gloriam & potentiam canens; per eas* corrigor *& continuor, atque* Divinâ *quadam* immutatione *alius ex alio efficior.* Atque hâc quidem de causâ dissimulandum non est, omne tulisse punctum inter Literatos viros, qui ipsissimos quoque *propkanos* Auctores, eorum saltem nonnullos, ita castrarunt, castigarunt & emendarunt, ut demptis iis, quæ bonis moribus non convenicbant, & materiis ludicris in *Sacras* & scripturarias conversis, una cum politiore *Latinitate* pietatis etiam principia juventuti instillarent. Uti feliciſſimè præstitum hoc est *a Cornelio Schonæo*, in Libello, quem *Terentium Christianum* inscripsit; in quem sic *Hadrianus Junius* sub personâ Autoris:

Nazianzen. Orat. 20. in laud. Basilii.

Exhibeo pietatis opus sub imagine lusus
Comici, *& hic secum* seria *multa trahit.*
Exulat hinc petulans jocus, *&* lasciva *Dione,*
Conveniens sancta vena pudica *rei est.*

IV. (4) *Modi ordinisque* in legendo curata etiam ratio habenda. *Præjudicia* quævis deponenda sunt, & mente iis vacua planeque defæcata ad lectionem accedendum; neque præjudicia illa tantum, quæ *contra* Scriptum vel Scriptorem, sed etiam quæ *pro* iis mentem nostram occupant forte, vel occuparunt; ut prorsus liber animus esse possit, & nullis præconceptis opinionibus vitiatus, sed solius veritatis, se oculis nostris ingerentis, evidentiâ convictus *Librorum*, qui leguntur, argumenta recipiat & asservet. Aliter enim si fiat, vel sine fructu legitur, vel vera facile pro falsis vel falsa pro veris, pro vario, quo in *Scriptorem* ferimur, vel non ferimur, affectu, adoptantur.

Toll. Fortuit. cap. 3. pag. 15.

Ne siet alterius, *qui* suus *esse potest.*

Adhæc nimium tum fere iis inhæremus, non quæ justissima, saluberrima adeoque maxime necessaria sunt, sed quæ vel ætati, vel peculiari nostro genio, vel aliis, in quibus positi sumus, circumstantiis maxime convenire existimamus.

Sext. Empiric. advers. Grammat. Lib. 1. cap. 13.

Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή
Νοσῶν ἀνὴρ νοσοῦντι καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεῖς, ἐποδὸς ἐστὶ τῷ πειρωμένῳ.

Seni senilis lingua jucundissima est:
Puero puerilis; mulierique muliebris.
Vir æger ægro; & qui malis est obsitus,
Mali haud inexperto exhibet solatium.

Spe-

Speciatim cavendum, si *sacri* vel *ascetici* pervolutandi sint *Libri*, ne spinis vel saxis oppletæ mentes sint, id est, inutilium cogitationum vepetris horreant, vel pravæ consuetudinis usu indurverint, atque adeo ad vota Divini Agricolæ ita veluti obsurdescant, ut nihil omnino proficere *lectitando* possint, ex adverso optato ejus fructu plane semper destituantur. Vocat id Poëta *pure* librum legere:

Horat. Epp. lib. 1. Ep. 1.

Ter pure *lecto poterunt recreare Libello.*

Turneb. Advers. lib. 26. cap. 26.

In quæ verba Turnebus: *Hic* pure lectum *libellum dicit, quem qui legit, se aquâ purificavit eâ castimoniâ ad* legendum *accedens, ut si* rem divinam esset *facturus: unde &* piacula *dixit.* Neque est, quod in *Librorum* sacrorum *lectione* id tantum requiram, quoniam etiam in *prophanis* scriptoribus evolvendis impense necessarium est. Hoc enim ut cum fructu quoque fiat, rerum *temporalium* lancinantes curæ, si revelli ex animo plane non possint, ut sæpe non possunt, prudenter moderandæ saltem sunt: vix enim ingenia humana

Curarum geminos *sunt admissura labores.*

Appositè de tali quo, cui, ut ait, *vernantissimi sapientiæ*, e Libris hauriendæ, *horti soli patent*, Gasparus Stiblinus:

Stiblin. Annot. in Euripid. Hippolyt.

Haud mundi sordida cura
Te coquat, *a rebus sit mens* abstracta caducis:
Sed procul hinc claras Cœli porrecta sub auras.

Tum tibi odoratam puro de flore coronam
Nectes, & viridi lætus spatiaberis horto.

Erasm. Ep. ad Hervag. præmiss. Epist. Florid.

Festivum etiam est, quod in hanc rem disserit *Erasmus*, indicans quantopere *studiis* suis obfuerit negotiorum corporalium moles: *Hoc tempore* (dicit) *sum in eo rerum statu, ut si maxime desit ætatis aut valetudinis excusatio, ab omni* Musarum commercio *sim alieniissimus. Profecto rem facio, quæ mihi nec minus molesta est, nec minus operosa, nec minus aliena ab* ingenio *genioque meo.* Ædes *hic mercatus sum honesti quidem nominis, sed iniqui pretii. Itaque* Erasmus *ille rerum omnium dispendio* Literarum otium *redimere solitus, nunc licitatur, contrahit, stipulatur, cavet, consulit, demolitur, exstruit, rem habet cum fabris lapidariis, lignariis, ferrariis, vitriariis, nosti genus hominum, tanto cum tædio, ut malim totum triennium in quamlibet iniquis* studiorum *laboribus versari, quam unum mensem hoc genere curarum agitari. Nec antea unquam perinde ac nunc intellexi, quantopere sapuerit* Diogenes, *quod maluerit ad* dolium *confugere, quam cum talibus conflictari.* Autoris etiam, qui legitur, scopus attendendus est, cui si respondeant quæ scripsit, *boni* utique *Scriptoris* officio satisfeciisse censendus est, tametsi neque desint forte quædam, quæ addi infarcirique possent. Impossibile enim *Scriptori* est, ita in alieno habitare cerebro, ut scire omne id possit, quod alii quivis sciunt, scribentisque adjiciendum cogitatis esse judicant. In Libris esse peccata possunt tum *omissionis* tum *commissionis*; hæc uti censoriam

riam virgulam vix est quod effugiant, ita illa facillime condonanda, benigne minimum interpretanda sunt. Scripti etiam *antecedentia* cum *consequentibus* rite conferenda sunt, quæque leguntur, quantum fieri potest, a *contradictionibus* liberanda & vindicanda. Libri *elementares* & explanatiores primo loco evolvendi sunt, ac tum demum ad eos, qui involutius scripti, adque altiora evehere *lectorem* possunt, ascendendum. De *Hebræorum* Magistris constat, quod lectionem *primi Capitis Geneseos*, *Cantici Canticorum*, *principiique & finis Ezechielis* nemini concesserint, nisi qui ministerii Sacerdotalis ætatem, id est, *triginta* annorum, jam impleverat. Cujus instituti quænam vera fuerit ratio, non usque adeo in liquido esse videtur. Quidam fuisse putant singularem quandam & superstitiosam reverentiam, quâ circa libros illos magis ducebantur *Judæi*, quam circa alios. At cur ergo Libri *Estheræ*, lectionem & tractationem qui, ut alibi ostendimus, summo apud ipsos in honore erat, etiam non prohibuerunt? Alii ad *absconditum* Librorum illorum, vel partium illorum, sensum refugiunt, quem neminem nisi ingenii plane maturum assequi posse existimabant. Sed ridet illum obtentum *Lutherus*, haud opus fuisse dicens, *ut eâ de causa eorum speciatim Librorum lectionem tantum vetarent, cum universa Scriptura, ob velamen cordibus oculisque Judæorum impositum*, obsignatus Liber *eis esset*. Me quod attinet, ego *tria* dicenda hic puto: 1. Utut non fuerint hi *Libri* revera *abstrusioris* sensus,

Hieronym. Ep. ad Paulin. & in Cap. 1. Genes. & in Proœm. ad Ezechiel.

Joh. Gerard. Locc. Theolog. Tom. 1. loc. 1. pag. 63.

quam quidam etiam alii, Hebræos tamen illos pro talibus habuisse, atque hâc hypothesi nixos interdictum hoc invexisse. 2. Quoad *speciem* nonnulla ei connexa fuisse, quæ superstitionem & ἱπελοθρησκείαν manifestè redolucrunt, ut quod ministerii *Sacerdotalis* annis præcise id adstrinxerint, omnesque indiscriminatim, tam ingeniosiores quam stupidiores ei subjecerint. 3. Quoad *genus* tamen, & generalem eorum intentionem haud plane id improbandum fuisse: voluerunt quippe dubio procul fructuosum, in Scripturâ legendâ & tractandâ, *ordinem* eo præscribere; nempe ad minus intelligibilia scrutanda accedendum non esse, nisi prælibatis & cognitis in anteccssum iis, quæ evidentiora & obvia magis sunt. Atque hoc ipsum est, quod & nos hic volumus. Faciuntque huc (quantum Summi Viri mentem capio) *Turrettini* etiam verba, dum ait: *Non quæritur, an* discretio *quædam possit & debeat adhiberi in* lectione *Librorum pro captu cujusque, quomodo olim arcebantur a nonnullis Scripturæ Libris Juniores, quibus ob ætatem judicium non satis erat confirmatum; hoc non tam* interdictio *est, quam* methodus discendi *& commode fieri potest ad majorem profectum & ædificationem.* Quibus adde hæc Eruditissimi Viri *Andreæ Acoluthi*, qui, prolixâ inter *Templum Salomonis* variaque ejus Atria, & *Christianam Theologiam* comparatione, hujusque ad illa accommodatione institutâ, inter alia sic fatur: *Patebat illud* (Atrium nempe quod *a Templo* stricte sic dicto remotius erat) *Gentibus simul ac Judæis omnibus*, *nec*

Turettin. Theolog. Elenct. part. 1. pag. 154. 155.

Acoluth. de Aq. amar. in Dedicat.

nec nisi puerperæ, & qui gonorrhæâ, hemorrhoide ac menstruis laborarent, eo excludebantur. Ad *Catecheticam Theologiam nulli hominum aditus oppessulatus, munditie tamen cordis requisitâ. Infantes etenim non admittit, nisi prius lavacro regenerationis atque renovationis peccatorum sordes absterserint. Adultos infideles aliquantisper quidem tolerat, tandem tamen ad S. Baptismatis fontem abluendos relegat. In Templi* interiora *intrare* nemo *poterat, nisi* (NB) *qui Atrium* Gentium *prius calcasset. Theologiæ ipsiusque Christianismi* arcana *celantur omnibus, qui* τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον, *sive* sermonem inchoationis Christi *ignorant.* Utcunque sit, in genere verum est, quod habet Comicus, Aristophan. in Equitib.

Ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν

Remigem oportere ante esse aliquem, quam clavum in puppe tenere;

Hoc est, nec in re nauticâ, nec in Literariâ, nec in ullâ ad *difficiliora* adspirandum cuiquam esse, nisi qui, quid in *facilioribus* valeat, expertus prius sit. Neque per *multos* variosque simul Scriptores, *juniorum* imprimis, animus diffundendus est, antequam solidæ cujusque sapientiæ fundamenta bene jecerint; sed *uni* potius, paucissimis saltem Autoribus mordicus insistendum, iique in succum & sanguinem convertendi sunt. *Multum legendum est*, inquit Plinius, *non* multa. De scriptis *Basilii* Nazianzenus: ἤρκεσε γὰρ εἷς ἀντὶ πάντων Plin. Epist. de exercit. styl. lib. 7. Nazianz. O-

rat. 20. de Basil. τῆς Σπουδαιοτέροις εἰς παίδευσιν. *Omnium loco* unus hic *sufficit studiosis ad eruditionem.* Secus enim si fiat (observante Cl. Voetio) *ingenium obtunditur, & superficiariâ atque Historicâ quadam disciplinarum cognitione leviter tingitur, ad abditos earum recessus nunquam penetratur, nec proprios & accuratos conceptus formare discitur.* Quo & hæc *Aristippi* faciunt apud *Laërtium*: Σεμνομυθοῦντός τινος ἐπὶ πολυμαθίᾳ, ἔφη, ὥσπερ οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτω οὐχ οἱ πολλὰ, ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες, εἰσὶ Σπουδαῖοι. *Quopiam se jactante ob multam scientiam, dixit, ut non ii, qui* plurimum *comedunt & exercentur,* melius *valent iis, qui* modice, *ita non qui* plurima, *sed qui* utilissima *legerint docti & studiosi censendi sunt.* nec non hæc Senecæ: *Fastidientis stomachi est,* multa *degustare, quæ ubi varia sunt & diversa, coinquinant, non alunt.* Probatos *itaque semper lege, & siquando ad alios diverti libuerit, ad* priores *redi . . . Qui quo destinavit pervenire vult,* unam *sequatur viam, non per* multas *vagetur. Non* ire *istud est, sed* errare. *Ipsi* quoque *Autores* legendi potius sunt, quam *epitomatores* eorum; iique non truncati & mutili, sed integri, ut rerum, quas tractant, connexio percipi fructuosius possit. Præterquam quod in principio sæpe præparare tantum & dissimulare scriptores videas, quod intendunt, ac talia dicere, quæ in summâ demum parte profutura sunt; atque adeo suo loco forsan nobis haud ita placent, dum quâ de causa vel dicta vel scripta ita sint,

Voet. Præf. ad Biblioth. Stud. Theolog.

Laërt. in Aristip.

Senec. Ep. 2. & 45.

Noll. Gnostic. cap. 6. §. 8.

Sohn. Præf. Tom. 3.

sint, ignoramus. Rite alicubi Melanchton: *Series narrationis & collatio membrorum ostendit, quomodo quælibet scripti pars sit accipienda.* Et inciVile Jureconsulti ducunt, nisi totâ lege, cum iis, quæ connexa sunt, perspectâ, ex unâ aliqua ejus particulâ judicare. Neque est tamen, quod omnia rejici *Librorum compendia* velim, nisi a provectioribus forte, quos ad altiora assurgere fas est. Si qui vero in Musarum castris prima demum stipendia merent, his hoc Clariss. *Berkringeri* consilium commendatissimum velim: *Similis consilii* (ita ille) *bonæ mentis studiosis autor ego, ut artes domi, atque in suis hospitiis, &, ut ita dicam, fontibus, id est*, Compendiis, *invadant ante occupentque, quam superinductis aut superadditis aliunde* Commentariis, *tanquam Corrivationibus in* vasta *flumina, id est*, Volumina *egrediantur, quæ nec superari amplius queant a discentium diligentiâ, vel saltem non æque facile, ac* compendia, *quæ ipso nomine compromittunt* compendium *studiorum.* Berkringer. in Dedicat. Instit. Oeconomicar.

V. (5) Connectendæ lectioni sunt *Repetitio, Meditatio, Oratio, Collatio, Continuatio.* Seponendi quidem aliquando *Libri* boni, sed *ad tempus* tantum, non in perpetuum, de quo mox plura. E contra *iteranda* & recapescenda eorum *lectio* subinde est, ut argumentum tenacius hæreat. Δὶς ἢ τρὶς καλά. *Iterum ac tertiò quæ pulchra.*

Lectio prima *placet, nec non* repetita *placebit.*

Hipponensis Doctor Librum suum *de Gra-*

Augustin. de Grat. & Liber. Arbitr. circ. fin.

Gratiâ & libero Arbitrio sic claudit: Repete assidue *Librum hunc, & si intelligas, Deo gratias age, ubi autem non intelligis, ora ut intelligas, dabit enim tibi Dominus intellectum.* Etenim *lectio* (si *Fabium* audire velimus) *libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed* repetere *sæpius licet, sive dubites, sive memoriæ affigere velis.* Repetimus *autem & tractamus, ut cibos mansos ac prope liquefactos dimittimus, quo facilius digerantur. Ita* lectio *non* cruda *sed multa* iteratione *mollita, & velut confecta, memoriæ imitationique tradatur.* Eundem in finem *ruminanda* quoque sunt, quæ leguntur, neque legendo continuo pergendum; *Lectionis* enim *tædium* (ut idem loquitur Fabius) *vicibus levatur*: sed cum dignum notatu quid se offert, tamdiu subsistendum, donec quod legitur, haud plane pleneque tantum innotescat, sed vim dulcedinemque ejus *Lectoris* animus persentiscat & degustet. Est id, juxta *Antoninum Pium* ἀκριβῶς ἀναγινώσκειν, *accurate legere*, aliter λεπτουργεῖν apud *Clementem*, hoc est, quo singula quæque, etiam minutiora inter legendum expenduntur: cui opponitur mox ὁλοχερῶς σπεύδειν, quod est *summatim capita tantum delibare*, leviterque percurrere. Quâ ratione & festinatione qui tantum legunt, ἀμυδὶ πίνειν Græcis dicuntur, id est, *haustim bibere*, in eos jactum, qui adeo avidè bibunt, ut inter bibendum spiritum non reciprocent, sed potum in alvum non aliter atque in dolium infundant; vel in eos, qui *lectione immoditâ* & continuâ spiritum obtundunt, cum præstet *lectioni*

Quintilian. Lib. 10. cap. 1.

Id. lib. 1. cap. 19.

Antonin. de Reb. suis Lib. 1. §. 7.

Clem. Alex. Stromat. lib. 7.

sub-

subinde *cogitationem* intermiscere.

Labor (monitum est Mauri Terentiani)
—— *vobis ferendus in* legendo *est maximus.*
Non enim cursim *aut* remisse *tam minuta acumina*
Adsequi quicunque poterit, sed morosa interitio
Tum legentis *debet esse, quam fuit nobis quoque,*
Qui laborem provocando, perdomando tædium,
Forsitan nec lecta multis, e latebris scalpsimus,
Ardui laudem expetentes, non favorem ex obviis.

Maur. Terentian. Tract. de Syllab.

Quid in os (inquit Augustinus) *ingerere cibum juvat, si in stomacho non coquatur, & digeratur?* Et de Ambrosio: *Cum legebat oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum* rimabatur, *vox autem & lingua quiescebant.* Johannes Coletus, apud *Erasmum*, rogatus, quibus modis ad concionandum iturus, animum *suum* præpararet, respondit: *Solitus sum in manus sumere Paulum, in ejusque lectione* tam diu *commorari, donec* sentiam *pectus meum incalescere?* Quod procul certe abest a lectione volatili, & mere tumultuariâ. Et quam sedulo id inculcat Bernardus: *Lectionis istiusmodi modum* (inquit) *meditatio sequi solet. De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum est, quod* fidelius *digeratur, & rursus revocatum* crebrius ruminetur, *quod proposito conveniat, quod intentioni pro-*

Augustin. Confess. lib. 6. cap. 3.

Erasm. in Epistol.

Bernard. ad Fratr. de Monte Dei.

proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. Qui & ipse fecit quod alios monuit: Sic de *eo Clichtovæus*: *Ita ex assiduâ sacræ* meditationis *Divinarum Scripturarum consuetudine* Bernardus *corporeos sensus ab exteris rebus habuit aversos & avulsos, ut quæ in prospectu forent, interdum non attenderet, & obvia quæque non videret: quia intentissimâ* meditatione *vires omnes sensuum ad interiora erant revocatæ, ut animo famularentur, circa Divina intelligenda occupatissimo.* Gemella his quoad res profanas sunt, quæ de *Carneade* Philosopho habet Valerius Maximus: *Carneades* (ita ille) *laboriosus & diuturnus sapientiæ miles; siquidem nonaginta expletis annis, idem illi vivendi & philosophandi finis fuit; ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, ut cum cibi capiendi causa recubuisset,* cogitationibus *inhærens,* manum *ad mensum porrigere oblivisceretur.* Precibus etiam exercitium *Lectionis* sanctificandum est, quandoque etiam, pro eximio occurrentis materiæ momento, solennioribus, semper saltem ejaculatoriis. Sic de *Didymo Alexandrino* autor est Ruffinus, *quod* precibus *suis miscuerit* studia *& laborem.* Sive, uti alicubi Alcuinus, *qui vult cum Deo semper esse, frequenter* orare *debet &* legere. *Vices suas habeant lectio & oratio.* Adhuc Bernardus; *Hauriendus est sæpe de* Lectionis seric *affectus, & formanda* oratio, *quæ* lectionem *interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuo animum ad intelligentiam* lectionis *restituat.* Et alibi: *Lectio*

Clichtovæ. Homil. p. 381.

Iac. 1, 5.

Valer. M. lib. 8. cap. 7.

Ruffin. Hist. lib. 2. cap. 7.

Alcuin. de Virt. & Vit. Cap. 5. & Ep. 101.

Bernard loc. cit.

Hieronym. Ep. 18.

in-

inquirit, *meditatio* invenit, *oratio* poſtulat, *contemplatio* deguſtat. Adde *Hieronymum*, cujus hoc monitum: *Orationi* Lectio, *lectioni ſuccedat* oratio, *& breve videbitur ſibi tempus, quod tantis rerum varietatibus occupatur.* Pie *Eraſmus:* Lectionem *ſubinde interrumpat* precatio, *vel gratiarum actio, quarum* altera *ſacri Spiritus imploret opem.* altera *beneficium agnoſcat, ſicubi te ſenſeris profeciſſe.* Accedat etiam *Collatio*, quæ eſt eorum, quæ *lectitando* accepimus, cum aliis mutua & amicabilis communicatio; συνήθειαν vocat Cicero, ὁμιλίαν Euripides. *Ferrum ferro acuitur, ita vir exacuit faciem amici ſui*, inquit Regum ſapientiſſimus. *Quod ad* ſtudiorum *& conſiliorum* communicationem *& collationem refero* (dicit Mercerus) *quam magni eſſe momenti in rebus omnibus, & ingenia alacriora, vivaciora, & ad res penitius & accuratius intuendas ac perveſtigandas accommadatiora reddere, docet experientia quotidiana.* Addo ego: Rerum lectarum memoriam eâ renovari, in ſenſum earum profundius deſcendi, difficultates, dubia, ſcrupulos circa eas animo eximi, rurſusque iterumque eas legendi, cumque familiaribus ſuper iis diſceptandi generoſioribus pectoribus deſiderium ingenerari: quæ omnia quantopere *Lectionis* adaugeant *fructum*, ego vix dixerim, tu vix conceperis. Si *Durando* fides, placuit *conferendi* hæc ratio Antiquis præcipue Doctoribus: *Religioſi* (ita ille) *ante completorium præmittunt* collationem, *quæ a* Sanctis Patribus *originem traxit, qui con-*

Eraſm. Tract. cit. lit. A. f.

Proverb. 27. 17.

Mercer. in loc.

Durand. Rational. Divin. Offi. lib. 5. cap. 9. §. 11.

venire, & de Scripturis sacris dictis Vesperis conferre *solebant*. Usum hujus fructumque sic explicat *Smaragdus*, Monasterii *S. Michaelis* olim Abbas: *De Scripturis Divinis aliis conferentibus interrogationes, conferunt, aliis congruas responsiones, & sic quæ* diu *latuerunt occulta*, conferentibus *fiunt perspicua*. A *collatione* Scripturarum itum postmodum est ad *collationem* Patrum, ad quam tribus in hebdomade vicibus dato signo conveniebant, teste *Isidoro*. Sed hæc in abusum tandem abiit: a *Collatione* enim *Monachi* surgentes, ad *bibitionem* sic accingebant: unde & factum forte, quod cœnæ serotinæ *Collationum* nomine venire, postea cœperint, quin etiamnum veniant. Veteres Gentiles *collationes* has in conviviis suis *Festalibus* fere instituebant, uti ex uno hoc *Agellii* loco manifestum est, qui, ut ut prolixior, hic tamen non omittendus. *Saturnalia* (inquit) *Athenis agitabamus hilare prorsum & modeste, non, ut dicitur, remittentes animum, sed demulcentes eum paulum, atque laxantes, jucundis honestisque sermonum illectationibus. Conveniebamus autem ad eandem cœnam compluscuti, qui Romani in Græciam veneramus, quisque easdem auditiones eosdemque Doctores colebamus. Tum qui cœnulam ordine suo curabat, præmia solvendæ quæstionis ponebat librum veteris Scriptoris Græcum vel Latinum, & coronam e lauru plexam; totidemque quærebat, quot homines istic eramus, cumque eas omnes exposuerat, rem locumque dicendi sors dabat. Quæstio igitur soluta corona & præmio donabatur: non soluta autem*

Smaragd. Comment. in Reg. Benedict. cap. 4.

Isidor. in Regul. cap. 8.

Gell. N. Attic. lib. 18. cap 2. pag. m. 582.

tem transmittebatur ad eum; qui sortitò succesſerat, idque in orbem vice pari ſervabatur. Si niemo diſſolvebat. Quæſtionis *ejus nodum, præmium ipſum & corona Deo, cujus* Feſtum *erat, dicabatur. Quærebantur autem res ejuscemodi, aut ſententiæ Poëtæ veteris, lepidè obſcuræ, non anxie: aut Hiſtoriæ antiquioris requiſitio, aut decreti cujuspiam ex* Philoſophiâ *perperam invulgati purgatio; aut captionis ſophiſticæ ſolutio, rariorisque verbi indagatio; aut tempus item in verbo obſcuriſſimum.* Finitimum his eſt quod de *Therapeutis* eorumque *convivandi* ratione lineris proditum eſt, qui an *Chriſtiani* fuerint, an *Judæi* diſceptant Autores, *prius* tenet Euſebius, *poſterius* Valeſius, Huetius, alique, viri ſaltem fuerunt in *Ægypto* Philoſophiæ addictiſſimi, & in Monachorum veluti ordinem redacti: *Tum* (ſic de iis Philo) *proponit quispiam* Quæſtionem *e Sacris Literis, aut ſolvit ab alio propoſitam, nihil de ſolutione ſollicitus; nec enim* captat laudem *argutiarum aut eloquentiæ: hoc tantum agit,* ut rem diligentius perſpiciat, *tum perſpectam non invideat minus perſpicacibus, & non minus diſcendi cupidis.* Neque omittenda eſt lectionis *Continuatio*, quâ ita tractandis *Libris* mancipatur animus, ut deſiſtere nec poſſit, nec velit, antequam optatus inde fructus perceperit. Vocat id Apoſtolus προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, 1 Tim. 4. 13. commendatque filio ſuo *Timotheo* 2 Tim. 3. 15. Perparum plerumque *Lectores* illi proficiunt, qui vel *deſultoriè* tantum legunt, id eſt, uno vix dum *volumine*

Euſeb. H. E. lib. 2. 17.

Valeſ. in Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. pag. 35. 35. Huet De monſtrat. Euangel. pag. m. 1084.

Phil. de Vit. contemplat.

perlecto, adeoque haudquaquam intellecto, mox ad aliud, hujusque iterum exiguâ tantum parte inspectâ, ad tertium aliquod evolvendum provolant; vel qui *totos* quidem aliquot Scriptores legunt, sed qualiquali forsan cognitione vel Divinâ vel humanâ exinde comparatâ, abjiciunt deinceps *Libros*, solis mentium suarum lusibus, profundisque, uti putant, meditationibus standum sibi esse existimantes, satis scilicet jam sine cortice natare edoctis. Pariter ac *Enthusiastis* in Religionis negotio delirare solenne est, ipsam Sacram Scripturam pro mero *alphabeto* habentibus, non nisi *pueris* & in re Christianâ *tyronibus* indulgendo, inutili vero *adultis* & spiritualibus, quos verbo interno, hoc est, immediatis Spiritus illapsibus duci debere pertendunt. Pessimè hi in *Scripturarum* usu procedunt, neque multo proinde melius, quibus in *aliis* evolvendis *Autoribus* vestigiis eorum insistere volupe est. Nunquam *Lectionis* filum plane abrumpendum est, nec ullis difficultatibus aut molestiis animus ab eâ deterrendus, e contra persistendum in eâ laudabili pertinaciâ,

dum Spiritus hos regit artus,

vivendum *lectitando*, moriendum *lectitando*, siquis genuinus sapientiæ alumnus sit, & non vivere tantum sed & jucunde ac erudite vivere optet. Feciſſe sic *Carolum Magnum*, Imperatorem Augustissimum, autor est *Theganus*, Chorepiscopus Trevirensis: *Quatuor Euangelia* (inquit) *quæ*

Thegan. in Gest. Ludov. Pii.

ap-

appellantur Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, *ipso* ultimo ante obitum *suum die* perlegit *non tantum*, *sed* eum *Græcis etiam & Syris optimè correxit*. Sicuti & *Zenonis Cittici* infatigabilem in hoc opere *assiduitatem* hoc carmine expressit *Laërtius*: Laërt. de Philosoph. vit. lib. 8. pag. m. 224.

Τὸν δ' οὐκ ἀρ' χειμὼν κρύοσεις, οὐ ὄμβρος ἀπείρων,
Οὐ φλὸξ ἠελίοιο θαμάξεται, οὐ νόσος αἰνὴ,
Οὐχ ὡ τὶς δήμου ἐν ἀρίθμιος, ἀλλ' ὅγ' ἀτειρὴς
Ἄμφι διδασκαλίη τέταται νύκτας τε καὶ ἦμαρ.

Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,
Non Solis radii, non vis teterrima morbi,
Non quicquid vulgo pretiosum; invictus *at unus*
Instabat *gravibus* studiis *noctesque diesque.*

VI. (6) Quisque, qui legitur, *Scriptor* in iis, quæ artis suæ sunt, suspiciendus est & æstimandus; neque mox fraudi ipsi esse oportet, si forte in omnibus, quæ accessoria scriptioni suæ sunt, haud ita excellat, quam in aliis, imo leviter nonnunquam in iis aberret: modo pateat, ipsum in principali, quod ad disciplinam agrumque suum pertinet, argumento, melioribus satisfecisse.

Non omnia possumus omnes.

Ἀλλ' οὐ γὰρ ὤντος πάντ' ἐπίστασθαι βροτῶν,
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο σπόσκειται γέρας

Ut cuncta noris nemini mortalium
Datum est, sed alia dos adest alii viro.

Qui in *Theologiâ* princeps est, mox in *Philosophiâ*, *Medicinâ*, *Literaturâ*, aliisque faculatibus, quas in subsidium nonnunquam vocat, eodem gradu modoque non eminet; sed suæ quisque artis magister est optimus, stultitiamque sapit, siquis victor simul & piscator, medicus simul & magnus, augur simul & scœnobates audire gestiat; vel uti *Grotium* alicubi describit Rivetus, *si ingenii tam ampli quis esse se putet, ut nullis coarctari possit terminis, upique juris dictionem exercere, in Literaturâ omnis generis, in linguarum cognitione, in legum & juris peritiâ ac tandem in Theologiâ dictaturam attribuere sibi velit.* *Ars* (ut pulchre alicubi Franesius *naturæ imitatrix est, & scientia ita existit: ut quemadmodum neque oculus simul de odoratu & colore, neque nasus de colore & odoratu una judicat, sed unum quodque membrum suo gaudet munere; sic uniuscujusque hominis* mens *suo fungatur officio, nec ad plures rerum scientias simul videtur idonea. Sensus quippe omnia percipiunt, sed alius aliud; homines item omnia intelligunt, sed alii alia.* Perpaucis obvenit *Philonis* illa felicitas, qui cum armamentarium *Athenis* fecisset, opus & sumptu & elegantiâ excellentissimum, ita facundè inventionis suæ rationem in theatro reddidit, ut populus *Atticus*, non boni *architecti* tantum sed & disertissimi *Oratoris* laudem ei adscripserit. Aliquando, ut in Adagio est Κροτωνιάτων ὁ ἔσχατος πρῶτος τῶν ἑλλήνων; qui Cro-

Rivet. Præfat. in Cassandri Consultat.

Farnes. de Similacr. Reip. lib. 4. cap. 5. pag. m. 83.

Strab. Geograph. lib. 6.

Crotoniatorum postremus est, reliquorum *Græcorum* primus esse potest, hoc est, qui in *uno* infimus, in *alio* supremus, princeps aulœdorum, inter citharœdos utut vilissimus, & contra. Notanter hanc in rem *Ludovicus Vives*, qui cum licet quoad *materiam* bene scripsisset, ob scriptionis tamen modum minus forte politum, carpi se a quibusdam videret, ita respondit: *In Autore alicujus Disciplinæ boni consulitis errores* alterius; *in* Theologico *Historiæ*, *in* Historico *Primæ Philosophæ*, *modo* muneri suo *satisfaciat*: *multo benignius linguæ peccata condemnabitis*: *bonam sententiam* Gallice *aut* Hispanice *dictam amplectemur*, *non accipiemus* vitiose latine. *Ego vero cum M. ipso Tullio* indisertam *malo* sapientiam, *quam* stultam loquacitatem. *Augustinus recte*, *qui eo magis ait solœcismis & barbarismis offendi homines*, *quo* infirmiores *sunt*, *& eo esse* infirmiores, *quo doctiores* videri *volint non rerum scientiâ*, *quæ ædificat*, *sed* signorum, *qua non inflari difficile est*, *cum & ipsa* rerum *scientia sæpe cervicem erigat*, *nisi Dominico reprimatur jugo*. Quapropter omnes dicendi sunt excedere ἀμιξίας & inhumanitatis terminos, qui, prout scarabæi pilularii, omnibus vel *equini* vel *bovini* corporis sanioribus partibus prætermissis, huic vel illi putido ejus ulceri involare solent, ita omnibus iis, quæ in *Opere* aliquo *bene* scripta vel dicta sunt, neglectis, huic illive laciniæ vel voci fugillandæ sæpe inhærent, ne nihil pro suo, quod jactant, acumine, quod censurâ dignum sit, videantur

Lud. Viv. de Vit. & mor. Viri Erudit.

Montagn. Ess. Livr. 1. Chapit. 16.

obſervaſſe. Prout & alios ex adverſo invenias (tam varia & perverſa hominum ſtudia & vota ſunt) qui, ſi quædam in *Libris* non tam laude quam cenſurâ digna ſint, ea admirantur, extollunt, mordicuſque iis inhærent, præſtantiora e contra, quæ inibi occurrunt, vellicant, exagitant, nullo ſaltem loco habent, de quibus ita Baſilius: *Quid aliter muſcæ communiter faciunt? quæ* politiſſimum *manus* candorem *celerrime præcurſant, eoque minime adficiuntur; at ſi quid forte* ſcabioſum *invenerint, hoc ut delicias ſuas ſuavius deoſculantur.* Atque ejusmodi quidem *lectio* non tam *judicioſa* tum eſt, ut videri vult, quam in Scriptorem ſcriptumque bonum *invidioſa* & *injurioſa*. Quanto æquius Venuſinus olim Vates:

Baſil. lib. 16. Ep. 7.

Horat. de Art. Poëtic. vers. 351.

——— *ubi* plura nitent *in carmine, non ego*
paucis
Offendor maculis, *quas aut incuria fudit,*
Aut humana parum cavit natura ———

Eraſm. Epiſt. lib. 4. Ep. 7.

VII. (7) Eorum denique, quæ legimus, excerpta & *Adverſaria* conficienda ſunt. Vox *eſt Ciceronis*, quâ indicavit ſcedulas, commentariolos & chartas, quæ homines *advertebant*, & veluti memoralia iis erant, ne res quædam excideren. Alii *tumultuarios* vocant *Codices*, qui nos *advertunt*, & memoriæ causâ fiunt, poſtea tamen eadem illa, quæ in iis perſcripſimus, in ordinem redigimus, & in tabulas referimus. Erant ergo chartæ quædam viliores, quibus Eruditi utebantur, quando primum

Cicer. pro Roſcio.

David. Cleric. Orat. 10. pag. 124.

ali-

aliquid componebant, ut opus emendatum in mundiorem chartam postmodum referrent; quas Romani in genere *libellos* nuncupant, de quibus ita *Suetonius* in Nerone: *Venêre in manus meas pugillares* libellique *cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis.* Epiphanius χεδάρια appellat, ut quæ opus correctius excipiebant τετράδας; Ὑπομνήματα *Demostheni* dicuntur. *Adrianus Junius* ita vocari vult, quod rerum memoriam *adversâ paginâ* in iis annotemus; & in hoc differre putat a *tabulis*, quarum meminit *Cicero*, quod *illa* negligenter & non sine liturâ scribantur, *hæ* vero cum diligentiâ & accuratè. *Libros exceptorios* vocat *Vives*, ut &, qui notas *in Exercitationes* ejus conscripsit, *Johannes Thomas Freigius.* Germanis sunt *Sudelbücher* nobis Belgis *Klad-Boeken.* Sed de *voce* satis, *res* præcipue attendenda & præstanda est. Quod si enim vel attentissimè *legas*, ac profundissime *mediteris*, aquam in mortario tantum tundes, id est, ne quicquam proficies, nisi memoriæ imperfectioni *Adversariorum* hujusmodi adminiculo subvenire studeas, & e *Scriptore* qualicunque in certas quasdam Classes ea seligas, & annotes, quæ olim usui tibi fore existimes. Docuit hanc artem *tum* exemplo suo, in eruditissimo *Adversariorum* Opere, *tum* verbis hisce *Adrianus Turnebus*, Professor primum *Tholosæ*, deinde *Parisiis*: Cum *seria* (ait) *tum studia animus ob molestias communium temporum, & Patriæ cadentis interitum, refugeret & aspernaretur, per* scriptores *elegantiores ul-*

Sueton. in Neron. cap. 52.

Epiphan. in fin. Oper.

Jun. Nomenclat. cap. 32.

Lud. Viv. Exercit. p. 137. 151.

Freig. Not. in Viv. Exercit. pag. 157.

Turneb. Ep. ad Michael. Hospital.

tro citroqu curſitare vel volitare cœpi; &, ut quemque librum prehenderam, quicquid ex tempore ſubitoque in mentem veniebat, tumultuariâ ſcripturâ *comprehendebam: interdum repetitâ memoriâ, quæ in diverſis Autoribus legeram*, unum *in* caput *congerebam* —— *Interdum oblitus quid ante notaſſem, illud idem in aliâ chartâ iterabam, omnia quidem fere velut folia Sibillæ in numerum digeſta, ſed nullo delectu ordineque deſcripta, temere inconditeque ſcribebam, & in pulverem ſitumque abjiciebam.* Nec diſſimiliter Gellius, qui de ſeipſo: *Uſi ſumus ordine fortuito, quem antea in* excerpendo *feceramus. Nam proinde ut librum quemque in manus ceperam*, ſeu Græcum ſeu Latinum, *vel quod memoratu dignum audieram, ita quæ lubitum erat, cujus generis cunque erant, indiſtinctè ac promiſcè annotabam, eaque mihi ad ſubſidium memoriæ, quaſi quoddam literarum penu, recondebam, ut quando uſu veniſſet, aut rei aut verbi, cujus me forte repens oblivio tenuiſſet, & inibi, ex quibus ea ſumpſeram, non adeſſent, facile nobis inventu & depromptu forent.* Eximia *quidem* humanæ *memoriæ* vis eſt, penetrale amplum, ſed haud infinitum tamen; certos enim limites habet & fines, ultra quos progredi ſæpe non datur. Diverſarum in eâ rerum imagines certis quaſi cellulis reponuntur, quibus niſi cuſtodes addas, qui ſollicitè ſervent in iis recepta & recondita, nullo negotio effringent ſæpe & aufugient, atque ita omnis *lectionis* peribit fructus Huic ergo, inquam, occurrendum imbecillitati & incommodo eſt, niſi effluere tandem

Gell. N. A. Lib. 10. cap. 1.

Plutarch. de Liberor. Educat. Oper. part. 2. pag. 9.

Ursin. in Præfat. ad Theol. Symbolic.

quam

quam plurima, si non omnia, velis, quæ *lectitando* tum recepisti unquam, tum confirmare & retinere intendisti: at quomodo feceris id melius, quam *excerpendo* & annotando? Neque enim multos invenias *Alexandros*, *Demosthenes*, *Cosroês*, *Hortensios*, horumque similes, qui *stupendæ* & tenacissimæ *memoriæ* extiterunt. De *Augusto* testis est *Suetonius*, quod in *evolvendis utriusque linguæ Autoribus nihil æque sectatus sit, quam præcepta & exempla publice vel privatim salubria eaque, ad verbum* excerpta, *aut ad domesticos, aut ad Exercituum Provinciarumque rectores, aut ad urbis Magistratus plerumque miserit, prout quique monitione indigerent.* Quod Principis *memoriæ* inserviisse dicit *Pontanus*. Imprimuntur plerumque altius quæ non *lecta* tantum, sed & *scripto consignata* asservantur; *semel* scriptum, *decies* lectum. Estque ipsissima hæc ratio, ob quam Rex olim *Israelis* juxta Talmudicos (ex loco enim *Deuteron.* 17. 18. quem nonnulli huc trahunt, educi id non potest) *propriâ* describere *manu* exemplar *Legis* debuit, ut nempe menti suæ argumentum ejus firmiter hæreret. *Mox post acceptam potestatem* (dicit Philo.) *jubetur Rex Deuteronomium, id est*, Legis *compendium* manu propria αὐτοχειρίᾳ *describere, quo magis ea præcepta* inhæreant animo. *Qui autem scribit per otium imprimis & infigit menti singula fideliter, non in transcursu animadversa, sed cunctanter, non prius transeunte cogitatione ad sequentia, quam bene pensitatis quæ præcesserant.* Imovero hac ipsâ viâ tam profunde subsidunt in *re mi-*

Sueton. in August. cap. 89.

Pontan. in Salust. p. 181.

Philo de Creat. in princ.

miniſcentiæ noſtræ habitaculum quæ *lectitando* accepimus, ut vix niſi cum *ipſâ vitâ* nobis eripi ea permittamus; juxta hoc *Caſſii Severi* exemplum, qui cum ex Senatusconſulto *Libros* ſuos comburendos cerneret, patienter injuriam tulit, nihilque aliud hoſtibus ſuis reſpondit, quam hoc: *Supereſt ut & ipſe jam* comburar vivus, *quia* libros *meos edidici*. Accedit, quod ſi forte *Liber* aliquis egregius ad manum non ſit, nec pretio comparari facile queat, compenſari impendium id poſſit, ſi *excerpſerimus* ex eo, mutuo a quopiam ſumpto, quæ in rem noſtram fore arbitrati ſumus. Teſtatur de ſeipſo eruditiſſimus Vir *Johannes Benedictus Carpzovius*, quod cum *Wilhelmi Schickardi* Libellum de *Jure Regio Hebræorum* nullo anquirere pretio potuiſſet, ex eo, ab Amico commodato accepto, quicquid reconditum in eo erat in *Adverſaria* ſua retulerit, nihil moratus *Libri* defectum, quod ſibi de latente inibi theſauro ſatis proſpexiſſit. At vero non omnia, non vilia, non vulgaria, ſed aurea, optima, *ſelectiora* enotanda ſunt; aliter enim ſi fiat *exſcribi* magis quam *excerpi* dicenda ſunt. Bene Lucretius:

Rhodigin. Antiqq. LL. Lib. 11. cap. 13.

Carpzov. in Schickard. de Jur. Reg. Hebr. in Præfat.

Lucret.

Florigeri ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea *dicta.*

Spongiarum inſtar *Lectores* eſſe non debent, quæ omnia attrahunt, nec *clepſydrarum*, quæ quod exceperunt parte unâ, altera rurſus emittunt, ſed *ventilabrorum*, quæ, excuſsâ paleâ, bonum triticum tantum re-

tinent. Notat alicubi *Gellius*. istiusmodi quosdam homines, qui albâ amussi, id est, *nullo delectu* omnia conglomerabant: *Illi omnes* (inquit) & eorum maxime *Græci, multa & varia* lectitantes, *in quas res cunque inciderant, albâ, ut dicitur, lineâ sine curâ* discriminis, *solam copiam sectati converrebant*. Est hoc (ut falsè alicubi Scaliger) *in horrea vestra simul cum frugibus, etiam scarabeos cum tabernaculis suis congerere, dum omnia converrimus sine vanno & cribro*. Gell. loc. antea citat.

Rectius Plinius: *Sicut* apes *non* quidvis *ex* omnibus *colligunt, sed ex diversis herbis & floribus primum favos constituunt, deinde ceram fingunt, hoc est, domos cellasque faciunt, deinde sobolem, postea mella: ceram ex floribus, melliginem ex lachrymis arborum; ita non* omnia *petenda ex eodem Autore sed ex unoquoque sumendum quod habet utilissimum*. Plin. lib. 1. cap. 6.

Et post ipsum Erasmus: *Erit huic* [lectori] *per omne scriptorum genus vagandum, ut* optimum *quemque primum legat, sed ita, ut neminem relinquat inqustatum. Atque id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usquam acciderit annotandum &* observatu dignum, *id suo adscribat ordini*. Erasm. de Stud. & Legend. Autorib.

Atque quidem hâc de causâ haud-quaquam tam operoso opus hic molimine est, quale abhinc annos aliquot adhibuisse quosdam refert illustre Jure-consultorum decus, *Ulricus Huberus*; Qui (uti ait) nihil, quod *in libris* occurrebat, intactum relinquebant, sed eos lituris refertos, suâ vel conductâ manu describebant, singula videlicet *Excerpta* toties, quoties in illis Huber. specim. Philos.

verba

Civil. in Præfation.

verba pinguioribus insignia lineis exstabant. Unde & fiebat, ut absolutus *Index* ipso *Autore* suo longe major & spissior fere evaderet, ipsique inter se & apud alios hoc tenerent postulatum, nullius valoris *Indicem* videri, qui non ipso *Scriptore* longior & copiosior esset. Qui etiam, descripto auctoque eum in modum *Libro*, in chartis ἀντιγεγράφοις, id est, ab alterâ parte descriptis, singula dicta sententiasve in totidem fragmenta tabellarum scindebant, quæ tum iterum secundum ordinem literarum initialium, in tot saccos vel loculos, quot sunt elementa literarum, secernebant, eadem illa fragmenta, numero infinita, ordine Lexicographo disposita, chartis insuper aliis illinentes; ac deinceps iterum, quia deformia sic erant, nec tuto satis hærebant, describenda collocantes, & compacta suis in Bibliothecis seponentes, ut eò, quoties opus esset, tanquam ad inexhaustos thesauros, se reciperent. Haud opus, inquam, est tam anxie hic procedere: non enim puto laborioso tali conamine juvari ingenuorum mentes, sed opprimi; nec firmari *memoriam*, sed distrahi, ne addam, ne millesimum quidem hominem inter βιβλιοφίλους esse posse, qui tanto oneri suscipiendo, nedum diu ferendo par sit. Neque multum etiam refert qualis *liber* sit, e quo *excerpas*, an bonus an malus, modo quod *excerpis*, non malum, sed *bonum* & *utile* sit. Virgilius etiam ex Ennii *stercoribus* aurum collegit veluti e luto margaritas, quod *grandis prudentiæ esse* Hieronymus asserit. Unus tandem accedat *Plinius*, mox laudatus, de

Donat. in Vit. Virgil.

Phædr. Fab. 17.

Hieronym. Op. tom. 3. Ep. 3.

quo

quo ferunt, quod bis mille *librorum* lector extiterit, imo nullum unquam *librum* viderit, quem non legerit, sed quomodo? obiterne tantum? absit; e contra (quod tribuit ei Muretus) *nihil dignum cognitu legit, quod non in* litteras *retulerit*. Atque hâc *legendi* & studendi ratione tantum profecit, ut magno suo merito a nemine non Eruditorum rerum omnium, scitu dignarum, *promuscondus*, Artiumque ingenuarum *receptaculum* salutatus tandem sit. Neque ipsi tantum tam feliciter id cessit, sed quamplurimis etiam aliis, qui ipsissimâ hâc viâ ingentem profundissimæ, tum *sacræ* tum *prophanæ*, eruditionis thesaurum auspicatissimè sibi compararunt.

Muret. Vol. 2. Orat. 13.

Drexel. Aurifodin. part. 1. cap. 9.

CAP. IX.

De singulari *quorundam* in *Libros* affectu.

SUMMARIUM.

I. *Dignissimi* Bibliothecarum & Librorum *possessores qui?* Cato, Cicero, Alexander M. Labeo Antistius, Julianus *Apostata*, Pamphilus Presbyter, Hieronymus, Origenes, Alphonsus, *Arragoniæ Rex*, Bessa-

Beſſarion *Cardinalis*, Franciſcus, *Galliarum Rex*, Cælius Calcagninus, Martinus Silicæus, Laurentius Medicæus *viri* φιλοβιβλώτατοι. II. *Ingenti ſummâ* Libri *a nonnullis coëmti. Stupendi* pretii *donaria a* Ptolomæo, *Ægypti Rege, in* LXX *Interpretes profuſa. De quorum tamen* valore *non una omnium ſententia eſt. Ei, qui* Nicolao V. PP. *Euangelium Matthæi* Hebraicum *adferret, quinque Ducatorum millia promiſſa. Ejuſdem* Nicolai *non vulgaris in quoscunque*, Literatos *imprimis, munificentia. Quâ collapſa Studia non parum reſtituit.* Heideggeri *de eo judicium. Principes alii in* Literatos *quoque liberales.* III. *Etiam Regum Imperatorumque quidam* ſcribendis Libris *ſe tradiderunt.* Bibliothecariorum *munus non liberis ſed* ſervis *olim demandatum.*

tum. Ab illustribus *tandem Viris postmodum etiam quæsitum & susceptum. Principes quidam sibi invicem nonnunquam* Libros *donariorum loco miserunt.* IV. *Φιλομαθία nulla sine βιβλιοφιλία.*

I. ROut & istiusmodi Librorum *Lectores*, quales jam descripsimus, demum sunt, quos ut dignos insignium *Bibliothecarum* possessores jure suspicias; quosque hic eruditi sui apparatus effectus nunquam non manet, quod *Librorum*, tanquam felicitatis suæ literariæ instrumentorum, desiderio effusissimo flagrare non tantum, sed & consumi fere se sentiant, *φιλομαθίαν* suam genuinâ *βιβλιοφιλία*, ut fideli pedissequâ, nunquam non insequente. Plurimorum exemplis demonstrari hoc posset, sed pauca tantum adducam; poteris enim *ἐκ τῆς περιπόδος τὸ ὕφασμα γινώσκειν, de totâ veste e fimbriâ judicare.* Tot enim alias, si campum hunc ingredi animus esset, se proderent,

quot dicere nunquam
Tam cito, nec tanto possis contexere cursu, Juvenal.
Ut non ter decies respires.

Ita hanc in rem Cicero: *Quo cum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in* Bibliotheca *sedentem,* multis *circumfusum* Cicer. lib. 3. de Finib.

Stoicorum Libris. *Erat enim, ut scis, in eo inexhausta aviditas* legendi, *nec satiari poterat; quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsâ Curia soleret* legere *sæpe, dum Senatus cogeretur, nihil operæ Reip. detrahens*: Tam impense amabat *Libros*, neque publico, prudenti tamen, indicio demonstrare id detrectabat. *Cæsar Julius* reprehensus subinde est, quod, teste Suetonio, *inter spectandum epistolis libellisque legendis ac rescribendis vacaret*. Cicero tam impense sibi servari *Attici* Libros optavit, ut assecutus eos *Crassum* ipsum divitiis se superasse existimaverit. *Alexander* M. Homeri carminis lectione adeo captus fuit, tantoque ejus inflammatus est studio, ut aureum scrinium, in prædâ *Dariani* repertum, gemmisque opulentissimè variegatum, isti destinaverit usui, ut *Homeri* opera, eo inclusa, ipsis bellicis expeditionibus gestarentur. Addit *Plutarchus*, quod ea sub pulvino cum pugione reposita habuerit; ut quoque quod, cum in superioribus Provinciis aliorum *Librorum* facultas non esset, mandaverit *Harpalo*, ut mitteret, eumque ei misisse *Philisti* Libros, *Euripidisque* & *Sophoclis*, & *Æschyli* tragœdiarum magnam vim; *Theestis* quoque *Philoxenique* dithyrambos. Labeo Antistius, non ille, qui *Servii Sulpitii* auditor fuit, *Cinna* aliis dictus, sed hujus filius, *Trebatii discipulus*, ingenii qualitate & doctrinæ fiducia maxime insignis, qui juris Civilis scientiâ *Capitonem Atejum* antecelluisse, & incorruptâ libertate eminuisse dicitur; hic, inquam, tam flagranti in *Libros* fuit af-

Sueton. in Julio. cap. 45.

Plutarch. in Alexand.

Hotoman. de Senat. & Senatus-consult. insignib. pag. m. 166.

affectu, ut oblatum ab *Augusto* consulatum, tanquam *servitutis auctoramentum*, fortiter contemnens, usque adeo studiis fuerit mancipatus, ut sic universum divise- Gell. lib. 13. rit annum, ut Romæ *sex* mensibus cum cap. 10. studiosis esset, *sex* mensibus secederet, *li- brisque legendis* non tantum, sed & *scri- bendis* operam daret; sicuti quamplurima Macrob. lib. 1. ejus monumenta etiamnum extant, testibus *Macrobio*, *Gellio*, *Augustino*, *Servio* &c. Serv. in Æ- neid. 15. Julianus Parabates, atrociſſimus licet Chri- stiani nominis hostis, vir tamen vere litera- tus literarumque & *Librorum* amantiſſi- Augustin. de Civitat. Dei, lib. 4. mus fuit. *Princeps*, ut nonnemo eum vo- cat, *ad unguem factus*, *odium in Christianos si excipias*. Sic habet ad *Ecdicium*: Socrat. 14. Eccles. lib. 3. cap. 1.

Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δ' ὀρνίθων,
Ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι· μοι δ' βιβλίων
Κτήσεως ἐν παιδικῷ δεινὸς ἐκτέτηκε πόθος.

Alii quidem equos *amant*, *alii* aves, *alii* Julian. Ep. ad Ecdic. feras, *mihi vero a puerulo mirum acquirendi & possidendi* Libros *desiderium insedit*. Pamphilus Presbyter, autore *Hieronymo*, tanto Divinæ *Bibliothecæ* captus est amore, ut maximam *Origenis* Voluminum partem (quæ, uti supra observavimus, ad *sex* fere *millia* excreverant, unde & σωφρονίου & χαλκεντέρου *Adamantii* nomen ipsi adhæsit, ob assiduum *scriptionis* studium) propriâ manu, descripserit. Quin de scripto refert idem Hieronym. de Scriptor. Eccles. Op. Vol. 2. fol. 132. *Hieronymus*, tanto sibi *Origenis* volumina, dicti *Pamphili* manu exarata, fuisse gaudio, ut ea nactus *Cræsi* opes possidere se credide- rit. *Si enim lætitia est* (ajebat) *unam epistola m*

lam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sanguinis sui vestigia consignasse? Autolycus Gentilis, vir usque adeo doctus, ut omnes propemodum tam novas quam veteres calluerit Historias, totas interdum noctes in Bibliothecis transegit. Sic enim ad eum *Theophilus Antiochenus*: Ἐι γὰρ σοὶ δυνατὸν, καὶ νύκτωρ οὐκ ὀκνεῖς διατρίβειν ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις: *Nam si tibi facultas detur, haud pigritaris vel* noctes *in Bibliothecis transigere.* Alphonsus, *Arragoniæ* Rex, omnes sese uniones suos margaritasque amittere malle, quam *Librorum* unum, quos habebat, aperte professus est: cumque *Cosmus Medices* Livii aliquot *decades*, nuper repertas, ipsi misisset, summi muneris loco eas accepit. Estque hic idem ille Princeps, qui, adinstar *Alexandri*, cum *Libris sub spondâ* positis dormiebat, noctuque experrectus allato lumine eos volvebat. Ut quoque *Scipio Africanus* absque *Xenophonte* suo somnum nunquam cepit, βιβλίοις ὡς προστετηκῶς, *libris veluti agglutinatus.* Equidem *ego* (verba sunt *Bessarionis* Cardinalis, Constantinopolitani Patriarchæ, in *Epistolâ* suâ ad Venetos) *semper a tenerâ ætate omnem laborem, omnem operam, omne denique studium in conquirendis* Libris, *in* omni *genere scientiarum, consumpsi.* Quod argumentum pluribus ibi notatu dignis exequitur Refert de seipso *Origenes*, sibi, ob jugem *Librorum* tractationem, concessum non fuisse cœnare, nec â Cœnâ deambulare, aut corpus quiete reficere, nec restituendi corporis causâ totam noctem dormire. *Fredericus*

Theoph. ad Autolyc. lib. 3.

Anton. Panormitan. de dict. & Fact. Alph. lib. 1. & 4.

Camerar. Horar. subcisiv. Cent. 3. pag. 243. 258.

Goldast. Ep. 45.

Cedren. Ep. ad Ambros.

ricus II. Imperator Græcæ, Latinæ, Saracenicæ & Germanicæ linguæ peritus, *quicquid habuit otii* legendis & volutandis *Libris* impendit. Carolus M. inter ipsos *armorum strepitus* studiis poëticis vacavit, ac *carmina* versusque dictavit. De *Francisco* I. Galliarum Rege, habet Sleidanus: *Prandens atque cœnans semper de* literis librisque *loqui solebat. Quicquid in Poëtarum, Historicorum, Cosmographorum* Libris *hauserat, quicquid de Plantis, herbis, animalibus, metallis, gemmis prodiderunt Aristoteles, Theophrastus, Plinius, & id genus alii, multo usu & quotidianâ recitatione cognitum habuit, & exploratum. Adhæc per Italiam atque Græciam habuit, qui Veterum Autorum* Scripta *conquirerent atque describerent.* Laurentius Medices in lectissimorum *Librorum* copiâ magis, quam in ipsis *divitiis* gloriari solitus fuit, eamque amicis suis deliciarum loco ostendere consuevit; tamque impellentia ab *Angelo Politiano* & *Pico Mirandulano* Comite *ad Libros* emendos optabat sibi præstari incitamenta, ut, deficientibus sumptibus, *totam* tandem eapropter *supellectilem* suam oppignorare cogeretur. Martinus Silicæus, Archi-Præsul *Tholosanus*, ut quanto in pretio *Libri* sibi essent, ostenderet, cum eorum comparandorum gratiâ ad *Bibliopolarum* tabernas se conferret, nunquam passus est per *famulos* eos domum deferri, sed *ipse* suis manibus dulce sustinere onus voluit. Urgentibus autem amicis, ut aliis illos concederet: *haud id fecero*, respondebat, *Libri me honorarunt, quidni vicissim eos gestan-*

Ivar. Adolph. Medull. pag. 123.

Sleidan. lib. 19. ad Ann. 1457.

Hotoman. de Senat. & Senatus-cons. insign. pag. m. 166.

lam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sanguinis sui vestigia consignasse? Autolycus Gentilis, vir usque adeo doctus, ut omnes propemodum tam novas quam veteres calluerit Historias, totas interdum noctes in Bibliothecis transegit. Sic enim ad eum *Theophilus Antiochenus*: Ἐι γὰρ σοὶ δυνατὸν, καὶ νύκτωρ οὐκ ὀκνεῖς διατρίβειν ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις: *Nam si tibi facultas detur, haud pigritaris vel* noctes *in Bibliothecis transigere.* Alphonsus, *Arragoniæ* Rex, omnes sese uniones suos margaritasque amittere malle, quam *Librorum* unum, quos habebat, aperte professus est: cumque *Cosmus Medices* Livii aliquot *decades*, nuper repertas, ipsi misisset, summi muneris loco eas accepit. Estque hic idem ille Princeps, qui, adinstar *Alexandri*, cum *Libris sub spondâ* positis dormiebat, noctuque experrectus allato lumine eos volvebat. Ut quoque *Scipio Africanus* absque *Xenophonte* suo somnum nunquam cepit, βιβλίοις ὡς προστετηκῶς, *libris veluti agglutinatus.* Equidem *ego* (verba sunt *Bessarionis* Cardinalis, Constantinopolitani Patriarchæ, in *Epistolâ* suâ ad Venetos) *semper a tenerâ ætate omnem laborem, omnem operam, omne denique studium in conquirendis* Libris, *in* omni *genere scientiarum, consumpsi.* Quod argumentum pluribus ibi notatu dignis exequitur Refert de seipso *Origenes*, sibi, ob jugem *Librorum* tractationem, concessum non fuisse cœnare, nec â Cœnâ deambulare, aut corpus quiete reficere, nec restituendi corporis causâ totam noctem dormire. *Fredericus*

Theoph. ad Autolyc. lib. 3.

Anton. Panormitan. de dict. & Fact. Alph. lib. 1. & 4.

Camerar. Horar. subcisiv. Cent. 3. pag. 243. 258.

Goldast. Ep. 45.

Cedren. Ep. ad Ambros.

ricus. II. Imperator Græcæ, Latinæ, Saracenicæ & Germanicæ linguæ peritus, *quicquid habuit otii* legendis & volutandis *Libris* impendit. Carolus M. inter ipsos *armorum strepitus* studiis poëticis vacavit, ac *carmina* versusque dictavit. De *Francisco* I. Galliarum Rege, habet Sleidanus: *Prandens atque cœnans semper de* literis librisque *loqui solebat. Quicquid in Poëtarum, Historicorum, Cosmographorum* Libris *hauserat, quicquid de Plantis, herbis, animalibus, metallis, gemmis prodiderunt Aristoteles, Theophrastus, Plinius, & id genus alii, multo usu & quotidiana recitatione cognitum habuit, & exploratum. Adhæc per Italiam atque Græciam habuit, qui Veterum Autorum* Scripta *conquirerent atque describerent.* Laurentius Medices in lectissimorum *Librorum* copiâ magis, quam in ipsis *divitiis* gloriari solitus fuit, eamque amicis suis deliciarum loco ostendere consuevit; tamque impellentia ab *Angelo Politiano* & *Pico Mirandulano* Comite *ad Libros* emendos optabat sibi præstari incitamenta, ut, deficientibus sumptibus, *totam* tandem ea propter *supellectilem* suam oppignorare cogeretur. Martinus Silicæus, Archi-Præsul *Tholosanus*, ut quanto in pretio *Libri* sibi essent, ostenderet, cum eorum comparandorum gratiâ ad *Bibliopolarum* tabernas se conferret, nunquam passus est per *famulos* eos domum deferri, sed *ipse* suis manibus dulce sustinere onus voluit. Urgentibus autem amicis, ut aliis illos concederet: *haud id fecero*, respondebat, *Libri me honorarunt, quidni vicissim eos gestan-*

Ivar. Adolph. Medull. pag. 113.

Sleidan. lib. 19. ad Ann. 1457.

Hotoman. de Senat. & Senatus-cons. insign. pag. m. 166.

do honorem? Digitum intendebat in dignitatem, quâ, ob indefessam & sedulam *Librorum* tractationem decoratus erat, cum ad *Philippi* II. Hispaniarum Regis educationem, & *in literis* institutionem, electus esset. Imo vero non defuit, qui vivus non tantum *Libros* deperiit, sed & post mortem in medio eorum tumulum quæsivit & acquisivit. Fuit is *Cælius Calcagninus*, cujus monumento hæc inscripta leguntur verba: *Cum* Cælius Calcagninus *nihil magis optaverit, quam de omnibus, pro fortunæ casu, bene mereri, decedens Bibliothecam, in quâ maximam ætatis partem egit, publicavit, & in eâ se* condi *mandavit.*

Chytræ. in Delic.

II. Quare & hinc est, quod nullis sæpe pepercerint sumptibus Eruditi, si res suæ id ferrent, modo probatissimos undecunque *Scriptores* sibi potuerint comparare. *Aristoteles* (referente *Agellio*) pauculos *Speucippi* Philosophi *Libros* tribus talentis Atticis post mortem ejus emit; quæ summa mille præter propter octingentos Philippæos facit. *Plato*, licet tenuioris alias conditionis, tres tamen *Philolai Pythagorici* Libros decem millibus denariûm mercatus est, emptosque tanto studio lectitavit, ut ad ejus defuncti caput postmodum inventi sint. Exagitavit eum eapropter *Timon Atheniensis*, per excellentiam μισάνθρωπος dictus, licet in denominationis illius causâ assignandâ Autores non conveniant:

Gell. lib. 3. cap. 17.

Voss. de Philosoph. lib. 2. pag. 66.

Καὶ σὺ Πλάτων, ἐς γὰρ σε μαθητὴν ὁ πόθος ἔχει

Πολ-

Πολλῶν δ' ἀργυρίων ὀλίγην ἤλλαξας βίβλον,
Ὅθεν ἀπαρχόμενος γράφειν ἐδιδάχθης.

Tuque Plato, *nam discipulum te dura Cupido*
Abstulit, exiguum *redimis* grandi ære *libellum*,
Scribere per quem orsus, prædoctus abunde fuisti.

Johannes Picus, Mirandulanus Comes, comparandis *Libris* septem aureorum numûm millia exposuit. *Richardus de Buri*, Episcopus Dunelmensis, nullam *caristriam*, ut loquitur, (*parcitatem* intelligit) *impedire debere* dixit *hominem à* librorum *emptione*, *si suppetat sibi quod pro iis petitur*, *nisi in* duobus *casibus*, vel *cum malitiæ venditoris non videtur cedendum*, vel *tempus emendi expectandum est opportunius*. Ptolomæus Philadelphus pro *Sophoclis*, *Euripidis* & *Æschyli* αὐτογράφοις quindecim argenti talenta *Atheniensibus* oppignoravit. Et quanti hic idem famosissimam LXX. Interpretum *Versionem* non fecit? quum magnis eam sumptibus adornari, inque *Bibliothecam* suam reponi non tantum curârit, ut pretiosissimum κειμήλιον, sed & literas dederit, Pontifici exhibendas, Interpretes accersentibus, donaria ad *Eleazarum* miserit, aliosque Templo sacratos; totque Talenta in redemtionem non tantum, sed & honorariorum loco in *Interpretes* dictos profuderit, ut, juxta *Josephi* & *Aristeæ* calculum, in tantam assurrexerint summam, ut non sine ratione credi-

Richard. de Buri Philobibl. cap. 3.

Wouwer. de Græc. & Latin. Biblior. vers. cap. 2. pag. 32.

Voss. Variar. Observat. p. 333.

deris, totam *Alexandrinam Bibliothecam* tanti non constitisse: imovero totum annuum vectigal *Ægypti*, (quod, juxta *Vossium*, quinquaginta millium *Talentorum* fuit) tanti vix valuisse. Licet non desint, qui in dubium hoc vocant, & nimis hyperbolicam computandi rationem illam habent. De stupendo hoc laudati Regis in studia *librosque* ardore, ejusque peculiari quadam causâ, sic disserit *Strabo*: Διαφέροντως ὁ φιλάδελφος ἐπικληθεὶς φιλιστορῶν ἐς διὰ τὴν ἀσθήνειαν τοῦ σώματος, διαγωγὰς ἀεὶ τίνας ἐς τέρψεις ζητῶν καινοτέρας. Ptolomæus, *qui* Philadelphus *cognominatus est*, *super omnes Ægypti Reges erat cognitionis rerum studiosus, cum propter* corporis imbecillitatem *semper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret*. De seipso narrat alicubi Plinius, se *Electorum* suorum Commentarios *Laërtio Licinio* quadraginta nummorum millibus vendere potuisse. *Nicolaus* V. Papa Romanus, per universam *Europam* viros misit præstantissimos, qui veterum Scriptorum *Libros* conquirerent restituerentque, & quinque ducatorum millia ei promisit, qui Euangelium Matthæi *Hebraicum* adferret. Liberalitatem hujus Episcopi erga quosvis, imprimis *Literatos*, sic deprædicat *Platina* (quæ verba mutuo ex eo sumpsit *Nauclerus*) *Laudatur* (inquit) *ejus liberalitas, quâ in omnes usus est: maxime erga* Literatos: *quos & pecuniâ & officiis Curialibus, & beneficiis mirificè juvit. Eos enim præmiis nunc ad Lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos Græcos au-*

Strab. Geograph. lib. 17.

Middendorp. Acad. Libr. 3. pag. 619.

Pontan. (Jovinian) tomo. 1. pag. 270.

Platin. de Vit. Pontif. pag. m. 722. 723.

Naucler. Generat. 49.

autores in Latinum ita perpulit; ut Literæ Græcæ & Latinæ, quæ ſexcentis jam antea annis in ſitu & tenebris jacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptæ ſint. Quam *Literarum* reformationem Clar: *Heideggerus* ipſius *Religionis reformationi, jam proximæ, quodammodo* dicit *præluxiſſe.* Pars *Epitaphii*, ipſi poſt obitum ſcripti, ſic habet: Heidegger. Hiſtor. Papat. pag. 182.

Hic ſita ſunt Quinti Nicolai *Antiſtitis*
oſſa,
Aurea qui dederat ſecula, Roma, tibi.
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni,
Excoluit doctos *doctior ipſe* viros.

Uti & antecеſſerunt huic Epiſcopo in munificentiæ erga *Literatos* demonſtratione alii quidam Principes: *Cæſar Julius* omnes Liberalium Artium Doctores, qui *Romæ* erant, civitate donavit; *Veſpaſianus* Latinis Græcisque *Rhetoribus* annua *centena* conſtituit; id eſt, bis mille quingentos Philippæos; juxta *Plinium quingena* H. S. pro mercede annuâ *Medicis* deſtinata ſunt, hoc eſt, Philippæorum duodecim millia & quingenti; *Eumenio Rhetori* Conſtantius ſalarium in *ſexcentis millibus* nummûm accipere juſſit. Lipſ. de Magnitud. Roman. lib. 4. cap. 10. pagm. 362.

III. Quin & hoc imprimis indicio φιλοβιβλίαν ſuam oſtenderunt altioris ſubſellii viri, quod ipſi eorum nonnulli ſe ſcribendis *Libris* accinxerint. Ita *Julius Cæſar, Auguſtus, Tiberius, Claudius Veſpaſianus, Alexander Severus, Numerianus, Julianus* Apoſtata, *Carolus Magnus*, plu- Vid. Bejerling. Zuinger. Ridder. aliosque.

reſque alii, quos ingenti turba recenſere poſſem, ſi actum agere animus eſſet. Deinde quod *Librorum* & Bibliothecarum in ſe curam ſuſcipere non tantum dedignati non ſint; verum honorificum e contra ſibi eſſe exiſtimarint, ſi *Bibliothecariorum* titulo inſignirentur. Demandari alias id muneris hominibus non liberis, ſed *ſervis*, literis ſcil. probe imbutis & inſtitutis, ſolitum erat, uti *Ciceronis* hæc indicant: *Dionyſius* ſervus *meus, qui meam* Bibliothecam *multorum nummorum* tractavit, *cum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit.* At poſtmodum ex *ingenuis* non ſolum, ſed ex ipſis etiam, uti dixi, *Optimatibus*, Regibus, Principibus inventi ſunt, qui ſe operi & ſollicitudini huic non ſubduxerunt. Sub Ptolomæo Philadelpho (de quo mox) *Demetrius Phalereæus*, ſub Ptolomæo Euergetâ *Apollonius Alexandrinus*, ſub Philopatore *Ariſtoxenus Comicus*, haud imæ caveæ Viri, Bibliothecæ *Alexandrinæ* fuerunt præfecti. *Gregorius* II. Papa ſub *Sergio* Romanæ Bibliothecæ cuſtos & inſpector fuit. *Varronem* Cæſar Julius *Palatinæ* Bibliothecæ præfecit; quam provinciam ſibi ipſi vindicare poſtmodum *Auguſtus* non detrectavit. Sicuti haud dedecuiſſe ipſiſſimam *Imperii* majeſtatem *Librorum* hanc curam, colligere etiam eſt ex elogiis & inſcriptionibus, quas exinde deſumptas eſſe palam eſt. Exhibet earum antiqua quædam ſpecimina Doctiſſimus vir *Johannes Jacobus Hofmannus* C. JULIUS

Cicer. Ep. ad Familiar. Lib. 13. Ep. 77. & Lib. 5. Ep. 9.

Lomej. de Biblioth. cap. 13.

Sueton: in Jul. cap. 44.

Hofman. Lexic. Univerſ. part. 4. pag. 268.

LIUS C. L. PHONYMUS. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA C. JULIUS. FALYX. A. BIBLIOTHECA GRÆCA PALATI. &c. Tandem etiam *munerum* loco *Libros* ſibi invicem Principes mittebant. Sic *Michael*, Imperator Conſtantinopolitanus, Carolum M. *Dionyſii* libris, inſtrumento *Muſico* addito, donavit. Prout ſimile quid de *Livii Decadibus*, à *Coſmo Medicæo* Arragoniæ Regi miſſis, ſupra retulimus.

IV. Eſt quidem, uti & ante de πολυγραφίᾳ dictum eſt, quod virum vere doctum minime arguat ſola *Librorum* voluminumque ingens moles; nemo hoc credit, niſi qui forte *vervecum in patria eſt, craſſoque ſub aëre natus.* Neque enim citharœdus quiſque eſt, qui citharam habet, ſed qui rite pulſare eam novit; vel, uti Seneca, *ſapientia non in Literis eſt*, multo minus in *libris.* Verumtamen certiſſimum eſt, perpaucos eſſe, ſi ulli ſint, qui viri profunde *eruditi*, ſine multorum *librorum* lectione ſedulâ & attentâ, unquam evaſerunt. Imovero monſtrari mihi vel unicum *literis* probè perpolitum velim, qui eâ ipſâ de causâ, quod talis ſit, omnia deinceps ſcrutandi rimandique ardore continuo inflammatus non ſit: At quo pacto talem aliquem laudatiſſimi ſui voti compotem fieri poſſe credas, ſine inſigni exquiſitiſſimorum *Librorum* adminiculo & uſu?

Senec. Ep. 89.

FINIS Libri *Primi*.

DE

DE LIBRIS.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Μισοβιβλίᾳ, *ejusque* duplici *causâ*, Ignaviâ & Φιλαργυρίᾳ.

SUMMARIUM.

I. Μισοβίβλων *ingens ſemper & ubique turba. Exemplum eorum memorabile ex Urſino.* Paulus II. *Papa infenſiſſimus* Librorum & *Literatorum oſor. Hic* Romanos *ſuos monuit, ne liberos ſuos bonis literis imbui ſinerent.* Alexander M. & Johannes Albertus, *Princeps* Megapolenſis, *ei oppoſiti.* II. Libri *a quibuſdam* proſcripti, *ab aliis* flammis dicati, *licet haud eodem ab omnibus animo & fine. Locis* Act. 19. 8. & Jer. 36. 23. *lux affuſa.* S. Scripturæ *Libris*

bris Pagani *maxime infesti*, *& quare? Libri* Sibyllini *cur in* arcanis *a* Romanis *habiti? Quo* loco *& a* quibus *asservati? Quænam M.* Attilio, *propter eos alteri communicatos, irrogata pœna? Ab* Augusto *supra alios* Libros fatidicos *in pretio habiti.* Muhammed, *se ipso teste, nec legere potuit, nec scribere.* Andreas Naugerius *cur singulis annis* Martialis *quosdam libros flammis devoverit? Qualis Poëta* Martialis, *& quam* caute *tractandus.* Papicolæ *quo jure* in τῶν μισοβίβλων *censum etiam referendi.* Index *eorum* expurgatorius *quando & a quibus invectus?* III. Ignavia in *multis* μισοβιβλίας *causa. Quo pacto hæc a volutandis* libris *deterreat?* Color & prætextus *apud varios Autores idem.* IV. *Etiam e* φιλαρχείᾳ Librorum *aliquando contemptus.* Spanhemius, Hie-

DE LIBRIS.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Μισοβιβλίᾳ, *ejusque* duplici *causâ*, Ignaviâ & Φιλαργυρίᾳ.

SUMMARIUM.

I. Μισοβίβλων *ingens ſemper & ubique turba. Exemplum eorum memorabile ex Urſino.* Paulus II. *Papa infenſiſſimus* Librorum & *Literatorum oſor. Hic* Romanos *ſuos monuit, ne liberos ſuos bonis literis imbui ſinerent.* Alexander M. & Johannes Albertus, *Princeps* Megapolenſis, *ei oppoſiti.* II. Libri *a quibuſdam* proſcripti, *ab aliis* flammis dicati, *licet haud eodem ab omnibus animo & fine. Locis* Act. 19. 8. & Jer. 36. 23. *lux affuſa.* S. Scripturæ *Libris*

bris Pagani *maxime infesti*, *& quare? Libri* Sibyllini *cur in* arcanis *a* Romanis *habiti? Quo* loco *& a* quibus *asservati? Quænam M.* Attilio, *propter eos alteri communicatos, irrogata pœna? Ab* Augusto *supra alios* Libros fatidicos *in pretio habiti.* Muhammed, *se ipso teste, nec legere potuit, nec scribere.* Andreas Naugerius *cur singulis annis* Martialis *quosdam libros flammis devoverit? Qualis Poëta* Martialis, *& quam* caute *tractandus.* Papicolæ *quo jure* in τῶν μισοβίβλων *censum etiam referendi.* Index *eorum* expurgatorius *quando & a quibus invectus?* III. Ignavia in *multis* μισοβιβλίας *causa. Quo pacto hæc a volutandis* libris *deterreat?* Color & prætextus *apud varios Autores idem.* IV. *Etiam* ἐκ φιλαργυρίας Librorum *aliquando contemptus.* Spanhemius, Hie-

Hieronymus, Beſſarion Cardinalis, Publius Syrus *laudati.*

I. SIcuti autem, ut ex iis, quæ *Libro Priore* dicta ſunt, liquet, hominibus βιβλιοφίλοις nunquam caruit, neque unquam caritura eſt Literatorum ætas, ſic neque defuturi unquam ſunt, quos μισοβίβλους jure dixeris: *Ranarum* chorus, cautionem illam e veteri Comœdiâ paſſim occinentium, βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, hoc eſt, illiusmodi generis homines, qui tum corde tum ore præſtantiſſimis etiam Eruditorum lucubrationibus obſtrepunt, ac infeſtos ſe præbent, ſaltem vel nullo vel exiguo loco eas habent. Memorabile *monionis* iſtius modi exemplum refert Clar. *Urſinus*; cujus hiſtoria, quod jucunda ſit, ſine piaculo non videtur prætereunda:

Eraſm. Epp. Lib. 28. Ep. 18.

Urſin. Tract. & loc. cit.

„ *Operæ* (inquit) pretium eſt narrare, qua-
„ lem *Eraſmus* Epiſcopum quendam, in
„ *Dedicatione* præclari Operis, expertus
„ ſit. Allatus *eſt Liber* inauratus, pur-
„ purâ veſtitus, ut non ſolum Scripta
„ ſed & Scriptorum ornamenta amplitu-
„ dini *Præſulis* reſponderent. Ille hin-
„ niente riſu primum maligne, ut ſolet,
„ donum intuetur; deinde vocari jubet pur-
„ purarium, ut de purpurâ, χρυσόχοον, ut
„ de auro, Librarium, ut de compagina-
„ tione edoceret, quanti conſtaret. Sum-
„ mulâ in unum collectâ, ſecundum eam
„ pecuniam dedit. *Eraſmus* (ut erat etiam

in

in irâ festivus) *ego*, inquit, *Librum meum* "
arbitrabar donasse, vendidi, ut appa- "
ret. Si Præsul vellet uti ingenio, opti- "
mus evaderet bibliopola, *nec facile de-* "
coqueret, cum ex amussi Librorum "
noverit, pretia. Doctus forte studio- "
rum *librorumque* hoc *odium* Episcopus is est à sanctissimo Patre suo *Paulo.* II. Pontifice Romano; Hic enim ἄμυσος non tantum fuit (ut Curia Romana *Sergios*, *Benedictos*, *Eugenios*, *Johannes* aliaque plura *illiterata* Ecclesiæ scil. capita habuit) sed & μισόμυσος, id est, usque *adeo* bonis literis *Librisque* infensus, ut quosvis eorum æstimatores uno nomine *hæreticos* dixerit; imò hanc ipsam ob causam hortatus *Romanos* suos sit, *ne* (referente Platinâ) *filios suos diutius in* literarum *studiis versari paterentur: satis enim esse, si* legere & scribere *didicissent. Veritus haud dubie* (addit Mornæus) *ne restituta semel bonæ literæ abusus, sub ignorantiæ caligine latitantes, detegerent.* Quapropter hoc etiam post excessum suum decoratus est elogio, quod *omnis eruditionis & virtutis hostis* diem suum clauserit. Aliter sane, ac insulsus hic homo, animatus fuit bellicosissimus Princeps *Alexander Magnus*, qui, rebus curisque militaribus utcunque intentissimus, adeo tamen bonarum *artium* flagravit amore, ut, cum Pater ejus Philippus *Perinthon* obsideret, triginta *puerorum* millia a studiorum liberalium cultu non tantum non abercuerit, sed e contra nullis non exercitiis *literisque* imbui curârit. Cujus vestigiis multa post secula *Johan-*

Szegedin. Specul. Pontific. pag. 110-156.

Platin. de Vit. Pontific. in Vit. Pauli 2.

Genebrard. in Chronic.

Mornæ. Mysterr. Iniquit. pag. m. 528.

Plutarch. in Alexandr. circ. fin.

hannes *Albertus*, Princeps *Megapolensis* instituit, qui non tantum quotannis examina quædam in Scholâ suâ *Suerinensi* instituebat, sed & ipse præsto in iis erat, ipse pueros examinabat, beneque respondentibus, ut currentibus calcar adderet, munera non exigua erogabat.

Manl. Collect. tom. 3. pag. 131.

II. Neque voluerunt multi latere hoc suum in *libros* odium, ex adverso apertè profiteri id maluerunt. Hinc decreta nonnunquam ad *Librorum* proscriptionem, imò totalem perniciem, haud concepta tantum, sed executioni etiam mandata:

Nunc Capitolino veluti turbante Camillo,
Ensibus, & trutinâ Galli fugêre relicta,
Sic nostri palare senes dicuntur, & ipsi
Ut ferale *suos* onus *extirpare libellos.*

Quidam flammis *Libros* consumpserunt, licet eodem semper fine modoque id non egerint. Autor est S. Lucas, *Epheſi*, tempore quo *Paulus* ibi erat, multos fuisse, qui *curiosa* (Græce περίεργα, Philosophi vocant γοητείας & περιτεχνίας) *sectati*, Libros *suos contulerunt* (quos γοητικὰς βίβλους Patres dicunt) *cunctosque eos coram omnibus combusserunt.* Et bene quidem: neque enim ex *Librorum* in genere *odio*, sed ob argumenti eorum fœditatem, & in dementiæ suæ detestationem, quod eousque cum insigni *tum* propriæ *tum* aliorum animæ detrimento usi iis essent, id faciebant. Sicuti similem ob causam Christiani veteres Hæreticorum Libros flammis excipere, in more etiam habebant:

Act. 19. v. 8.

Petr. Soav. Histor: Con.

bant: Constantinus *Arii*, Arcadius *Eu-* cil. Trident.
nomianorum, Theodosius *Nestorii*, Mar- pag. m. 417.
tianus *Eutychianorum* scripta partim pro-
scripserunt, partim exusserunt. E contra
plane aliud quid fuit, quod *Jojakimum*, Ier. 36. 23.
Judæ Regem, ad Prophetæ *Jeremiæ* vo-
lumen ustulandum incitavit; non erat id
argumenti ejus quædam fœditas, sed fera-
lis ex eo terror a Rege conceptus, magis-
que, ut sibi metuebat, deinceps concipien-
dus, infestumque in ipsum Prophetam o-
dium. *Nihil quippe* (ut ritè in loc. hunc Pellican. in
habet Pellicanus) *impiis Regibus & Princi-* Ier. 36. 23.
pibus intolerabilius & invisum magis est,
quam Propheticus *sermo*, *stylusque veritatis*. Et paulo ante: *Hyemis frigora sævie-*
bant tum, tam in cordibus *impiorum, quam* Calvin. in
in aëre, nono mense a Martio computato. cund. loc.
Addit de eodem *Rege* ejusque facto Cal-
vinus: *Combussit* volumen *ipsum, ac si*
posset judicium Dei simul abolere cum libro.
Durissimi autem fuerunt *Pagani* in Sacræ
Scripturæ libros, quare & illos *Vulcano* ut
plurimum devoverunt. *Nonus decimus* (in-
quit Eusebius) *agebatur annus imperii* Dio- Euseb. H. E.
cletiani *mensis* Martius, *& dies solemnis* lib. 8. cap. 11.
Paschæ *imminebat*, *cum* edicta *Principis*
per omnem terram proponebantur, ut cunctæ,
quæ usquam sunt, Ecclesiæ, *ad solum usque*
destruerentur, Scripturæ Sacræ *igni exu-*
rerentur. Et Autor Librorum *Machab.* Li- Sueton. Au-
bro 1. cap. 1. *Libros* legis Dei *comburebant* gust. cap. 31.
igni, &c. Neque mirum hoc, cum cu-
juscunque generis *Libros*, qui religioni- Polyd. Virg.
bus suis derogabant, eodem tractarent mo- de Rer. Iu-
do. *Libros Græcos* (ait Valerius) *quia ali-* vent. lib. 8.
cap. 6.

Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

quâ ex parte ad solvendam religionem, *pertinere existimabantur*, *L. Petilius Prætor Urbanus*, *ex autoritate Senatus per victimarios*, igne *facto*, *in conspectu Populi cremavit.*

Laërt. in Protagorâ.

Juxta *Lactantium* primus omnium *Protagoras* extitit temporibus *Socratis*; qui *sibi non liquere* dixit, *utrum Divinitas aliqua esset*. Sed hæc *disputatio* (inquit) *adeo impia & contra veritatem & religionem esse judicata est, ut & ipsum* Athenienses *expulerint finibus suis*, *& Libros ejus*, *in quibus hæc continebantur*, *exusserint.* Sicuti

Lactant. de Irâ Dei cap. 9.

Arnob. contr. Gentes Libr. 4.

etiam, referente Aurelio Victore, *Virgilii* cujusdam *Libri*, eo quod *leves quasdam Sacrorum causas complecterentur*, Patrum autoritate *cremati* sunt; exemplo sane haud illaudabili, in quo utinam omnes Magistratus Christianos æmulatores hodie haberent! Absit tamen, ut cum nonnullis

Augustin. de C. D. lib. 7. cap. 34.

Aurel. Vict. de Vir. Illustrib. cap. 3.

huc quoque referam *Romanorum* institutum, quo *Libros* olim *Sibyllinos* in arcanis suis non tantum habuerunt, in *Jovis Capitolini* Templo, imo sub ipsâ terrâ in arcâ lapideâ, vel (uti Autor est *Suetonius*) duobus forulis auratis, sub *Palatini Apollinis* basi, eos occultantes, sed, ne in cujuspiam præter Duumvirorum, Decemvirorum ac tandem Quindecimvirorum, quibus asservatio eorum concredita erat, inciderent manus, tam anxie caverunt, ut, cum forte M. *Attilius* (alii legunt *Aquilius*, Valerius Maximus *M. Tullium Duumvirum* cum dicit) descriptionem eorum *Petronio Sabino* permisisset, is culeo eapropter bubulo insutus, jussu *Tarquinii* in mare præcipitatus sit: quasi scilicet hanc

Dionys. Halicarnass. Antiqq. Rom. lib. 4.

Valet. M. lib. 1. cap. 1. §. 13.

Simson. de Vaticin. Sibyllin.

etiam

etiam ob causam fecissent id *Romani*, ne lectione eorum religio sua detrimenti quicquam caperet, res vero Christianorum nimiopere per eam promoveretur. Nullibi enim Historiæ obtentus hujus mentionem aliquam faciunt; imo diserte distinguit *Suetonius* Librorum hoc genus ab aliis *Fatidicis*, quos magno numero cremasse *Augustum* dicit, solis *Sibyllinis* retentis & conservatis; quod manifesto indicio est, ipsum iis, tanquam sacris suis noxiis, infestum non fuisse, sed singulari potius in pretio eos habuisse. Verum aliæ plane arctissimæ huius custodiæ fuerunt rationes, quarum *duæ* hæ præcipuæ erant. *Una*, quod Reip. arcana, quorum non exiguam partem *Libros* illos continere autumabant, quæque religiosè semper custodita erant, omnibus patere non deceret. *Altera*, quod tantopere multiplicati & adulterati *Libri* hi essent, ut, ad præveniendas turbas, privatorum eos manibus eripi necesse esset. Atque ita quidem *Gentiles*, ac per eos *Diabolus*, contra *Divinos* & religiosos *Libros* fere processit. Quâ tamen sævitiâ cum parum contra veritatem proficere se cerneret, aliam commentus est μισοδίειαν: vulpinari cœpit, & periculosas non tantum de credendis lites serere, sed & *Scripturam* ipsam sollicitare, apices captare, verba vexare, sententias torquere, sacros Scriptores inter se committere, nodos nectere, ut gliscentibus infinitis dubiis, simul impietas glisceret, & caput attolleret. Verum & in cujusvis generis *Libros* sævitum a quibusdam fuit. Patuit hoc in primis *Muhammedanis*, post

Sueton. August. cap. 21.

Gregor. Michael. Nor. in Gassirell. pag. 484.

Marck. de Sibyll. Disp. 8. §. 10.

Lactant. de F. R. lib. 1. cap. 6.

ipsum *Muhammedem*, Ducibus; hi enim *Libros quosvis*, dempto *Alcorano*, ubicunque locorum eos inveniebant, *incendio* tradiderunt; & ita se gesserunt, quasi procedendi istoc modo bellum non tantum *hominibus*, sed & *humanitati*, quæ sine bonis *artibus* non consistit, indixissent. Addit Spencerus, *seculi sequentis Arabes artium & literarum omnium ita fuisse* rudes, *ut id imprimis putentur curasse, ne Prophetam suum illiteratum* (uti vulgo audit *Muhammed*, qui de se ipso testis est, quod *nec legere nec scribere* potuerit, imo (uti alii referunt) ne *Alcoranum* quidem, cujus ipse autor videri alias volebat, *intellexerit*) *scientiâ superarent & contemptibilem reddererent*. Accenseri forte his etiam posset *Andreas Naugerius*, de quo autor est *Paulus Jovius*, quod adeo infestus fuerit *Valerii Martialis* scriptis, *ut quotannis stato die, Musis dicato, multa ejus volumina, tanquam impura, cum execratione* Vulcano *dicaverit*. At vero quoniam is pœnam, usque adeo severam, ut textus videtur innuere, iis tantum *Martialis* voluminibus irrogavit, quæ *spurcitiem* quandam spirabant, quibusque tetrica, quæ propinaverat, verborum nuditate amœnare volens, haud sollicitè satis caverat, ne rerum obscœnitate aurium reverentiam incestaret, animique veluti mores corrumperet, non tam videtur suo hoc instituto ipsorum *Librorum* quam *petulantiæ* & *impudicitiæ*, quæ iis propinari quadantenus videbantur, odium demonstrare voluisse: uti ob eandem *spurcitiem* Poëtæ hujus carminum lectionem improvidæ

Petr. Suav. Hist. Concil. Tridentin. p. m. 417.

Spencer. de Legib. Hebr. lib. 2. cap. 1. §. 3.

Alcoran. Azor. 17.

Alsted. Turr. Bab. pag. m. 1119.

Paul. Iov. in Elog. Vir. Illustr.

vidæ juventuti temere commendandam non esse, prudentiores semper judicarunt. Tametsi alias festivissimus Vates multa etiam egregia ac utroque pollice laudanda contineat, ob quæ summis ipsum elogiis cohonestare viri quidam maximi non detrectarunt. *Homo fuit ingeniosus* (inquit Plinius) *acutus, acer, quique plurimum in scribendo salis habuit & fellis, nec* candoris *minus.* Cui gemellum hoc est, quod de eo habet Scaliger: *Ne* Martialem *quidem* (inquit) *transferre libet ad meliora: multa sunt ejus Epigrammata* divina, *in quibus est sermonis* castitas, *& argumenti species luculenta. Versus vero* candidi, *numerosi, pleni, denique* optimi. *Alia fœda ne legerim quidem, tantum abest, ut ad censuram vocem.* Interim in γνησίων horum μισοβίβλων catalogum referri etiam digni sunt *Papicolæ*, qui utcunque omnis generis *Libros* non aversentur, aversantur tamen *optimos*; quæ tanto pejor μισοβιβλία est. Abhinc enim annos aliquot quamplurimos Eruditissimorum virorum fœtus proscriptos voluerunt, zelo non tantum ὑ κατ' ἐπίγνωσιν, sed & Deo animabusque injurioso ac plane pernicioso; nec quod ipsis *Libri* hi Christianæ fidei, *Judaismo* & *Gentilismo* oppositæ, vel bonis moribus, sed suis tantum hypothesibus, Curiæque imprimis *Romanæ* autoritati dicam, an tyrannidi, derogare viderentur. Hinc *Index* eorum *expurgatorius* sive *prohibitorum Librorum*, primum anno præteriti seculi quinquagesimo octavo *Philippi* II. Hispaniarum Regis, deinde anno proxime sequenti *Pauli* IV. PP. edicto

Plin. Epp. lib. 3. Epist. ult.

Jul. Scalig. Poëtic. lib. 6.

Heidegger. Histor. Papat. Sect. 183.

evulgatus est, & confirmatus; pœnâ *Libros* illos *prohibitos* legentibus statutâ *Excommunicatione*, reservatis insuper *Papæ* arbitrio qualibuscunque correctionibus aliis, pro re natâ instituendis. Quâ severitate *Paulus* omnes Pontifices alios prædecessores suos (uno forte *Leone* X. excepto) superavit, imo tantum non condemnavit. *Conciliis* atque *Episcopis* satis hactenus fuerat ostendere, quorum *Librorum* damnabile argumentum esset, uti factum sub *Gelasio* A°. CCCCIV. uniuscujusque interim conscientiæ *Libros* illos vel legendi vel vitandi libertate relictâ. Etiam *Martinus* V. *Wiclefistas* & *Hussitas* quidem condemnavit, sed non eos, qui *Scripta* eorum forte evolverent, quorum lectione nullâ sub pœnâ vel Clericis vel Laicis interdixit. At vero, uti videtur, temporis tractu sapientiores facti Episcopi *Romani*, Ecclesiæ Cathedræque suæ securitati haud satis prospici posse censuerunt, nisi cum millenarum animarum dispendio & interitu conjuncta ea esset, id est, innumeris salutis procurandæ adminiculis turpi sacrilegio defraudarentur: *multo æquanimius decem millium animarum jacturam ferentes, quam decem solidorum*, ut de suis alicubi loquitur *Clemanges*, ipse Papista.

Petr. Suav. Histor. Concil. Trident. lib. 6. pag. m. 418. 429.

Clemang. de corrupto Eccles. Stat.

III. Neque est, quod nonnullorum hæc μισοβιβλία usque adeo forte tam mira cuiquam videatur, quam

Juvenal. Sat. 2. *Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum;*

Re enim pensius consideratâ, non una sed mul-

multiplices ejus se prodituræ sunt *causæ*, quarum primarias & maxime conspicuas in scenam hic tantum producam. Origigem persæpe ducit e merâ segnitie & *Ignaviâ*; sive, ut supra *Lipsium* querentem audivimus, *desidiâ laborisque tædio, qui non minimus exhauriendus est in linguis addiscendis, & tot* Scriptoribus *evolvendis*. Aversantur quippe non raro ipsum supellectilis *Librariæ* conspectum desidiosi & inertes quidam homines, ne sibi supina sua in tractandâ illâ negligentia & oscitantia improperari per eam contingat; dummodo sibi liguriendi, commessandi & liberius noctes diesque stertendi potestas tantum concedatur, satis sibi prospectum esse autumantes. Insuaves ipsis Literæ sunt, adeoque & *Libri*, quibus illæ continentur, suadentur, promoventur. Unde ergo & fit; ut nunc *valetudinem* excusent, nunc domesticæ rei *occupationes*; tum *hyemalis* obstet rigor, tum *æstivus* fervor; interdum etiam *Autumni* pretiosum Cælum; tandem *Veris* quoque amœnitas, instabilis scilicet & mox fugitura. Pransi & bene satulati rem habendam esse negant cum *Libris* & chartaceis molestiis, antequam concoxerit bene stomachus; impransis obstrepit fames, quo minus libeat; luci ingratum esse dicunt domi desidere, ad lucernam vero multum vigilare oculis inimicum; si superat res domestica, quorsum opus tum cogitant, *Literis?* si deest, pauperem philosophari posse non credunt; *juvenis* negat ætatis florem senilibus curis esse absumendam; *provectior* valetudini parcendum putat. Ita

Lipſ. Epp. Lib. 2. Epiſt. 36.

Τῦ μὲν γάρ τι κακῦ τρέπεται, χρὼς ἄμυδις ἄλλη.

Vertitur ignavi color, *evariatque subinde.*

Homer. Il. N. vs. 11.

Quæ verba, alio licet sensu ab *Homero* usurpata, non inconcinne tamen quibusvis etiam *ignavis* accommodes; quorum omnium quippe genius est, *novos* identidem *prætextus* quærere, ut operi, quod præstandum habent, impune se subducant. Hoc magis, quoniam quicunque *prætextus* & subterfugia per *colores* haud unâ linguâ indicari etiam solent:

Iuvenal. Satyr. 6.

Dic aliquem sodes, dic Quintiliane, colorem,

Arnob. lib. 5. pag. 105.

dicit *Juvenalis*, & *sophisticarum disputationum* colores memorat *Arnobius*, id est, *obtentus* dolose excogitatos.

IV. Alii sunt, quibus e φιλαργυρίᾳ sordidâque *avaritiâ* κακοξίᾳ hæc oritur. Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη? dicebant aliâ occasione *Judas*. Hi *nummis* id applicant, qui bonis *Libris* coëmendis forent impendendi. *Vertuntur* (querela est nostri Spanhemii) *illa hodie tempora, quo nullum impendii genus* perire *magis suis censetur Autoribus, quam quod in* Libros *erogatur, & ludos quoque aliquando præbent, quotquot ex scriniis* Bibliothecarum, *ac priscis monumentis res Divinas humanasque requirunt.* Adscribitur *Hieronymo*, quod *totum suum evacuaverit marsupium, ut pectus* eruditione *locupletaret.* Et de seipso *Bessarion* Cardinalis

Spanhem. Orat. habit. Leid. 29. Oct. Ao. 1674.

Goldast. Ep. 45.

(de

(de quo etiam ſupra) dicit, *quod quidquid pecuniolæ ſeponere parca ſua frugalitas potuit; id in* coëmendis *Libris abſumpſerit. Nullam enim magis dignam & præclaram ſupellectilem eſſe* ajebat, *nec ullum pretioſiorem theſaurum comparari à ſe poſſe* exiſtimabat. Sicuti ſtupendam auri ſummam comparandis *Libris* multos etiam alios impendiſſe, ante oſtendimus. At vero paucos ſectatores habent; incubare quamplurimi opibus malunt, quam tanti *chartaceam* ſupellectilem emere. O pectora cœca! quæ, dum *eruditionis* ſubſidia deſpiciunt & negligunt, argentanginâ hâc correpta, auri & nummorum exoculati cuſtodes tantum ſunt, nihil habentia, niſi pervigiles noctes, anxios dies, ſollicita tempora, trepida gaudia, inquieta deſideria; collocata ſemper in æſtu, nunquam in portu, metum ſemper animæque flagellum ſecum portantia, ut individuum domeſticum. Adeoque verum eſt quod *Publius Syrus* olim dixit,

Publ. Syr. in Mim. de Avarit.

Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ:

dum nempe *Librorum*, quorum, ſi vellet, copiam habere poſſet, penuriâ certiſſimâ animi tranquillitate, aliisque inſignibus ejus donis, quibuſcum omnes *Cræſi* divitiæ ne quidem comparandæ ſunt, ſe privans, manere ſemper

Geſtit ob incertas irrequietus opes.

Boter. de illuſtr. Polit. lib. 1. cap. 20.

Quare & M. *Antoninus Philoſophus*, ſtudiis, ac imprimis quidem *Philoſophiæ* in-

tentissimus, nihil magis aut timuit aut deprecatus est, quam *avaritæ* infamiam.

Cap. II.

De innovandi *Prurigine*, tertiâ μισοβιβλίας *causâ*.

SUMMARIUM.

I. Innovandi *pruriginis effecta & finis.* Johannis Labadæi *pro invehendo novo suo* Donatismo *molimina. Fallere* volentibus *falli* volentes *nunquam desunt. Nihil tam tetrum, quod non suos inveniat admiratores?* Judæi *cujusdam impostura plurimis hominibus exitialis. Arminii* innovandi *artificium quale?* Jacobus Coelmannus *notatus.* II. Novaturientium *omnia nonnunquam plena.* Nova *cur* veteribus *anteferri fere solita? Antiquis* antiquiora *ut plurimum gratiora.* Tacitus, Plautus, Nazianzenus, Mu-

Muretus *ad partes vocati. Quid Gentiles errorum ſuorum tam* tenaces *olim reddiderit? In* Antiquitate *veluti reverenda quædam canities.* III. Innovationum, *in* Religionis *præcipue negotio, incommoda varia. Præſertim ſi cum* præfractâ *conjunctæ ſint audaciâ.* Gerſonis, Evagrii Scholaſtici, Claudiani Mamerti *de hâc querelæ.* Wolfgangus Gundlingius *correctus.* Novaturientium *genius ac communis procedendi modus.* Abrahami Ramburtii *laus.* IV. Innovationes *cur Eccleſiis ſcholisque adeo noxiæ? Cruda* noviterque *nata dogmata perperam præpropere in vulgus ſparguntur.* Partium ſtudium *taxatum.* Lud. Vives & Cicero *laudati.* Andreas Guimenius *notatus.* Innovationibus *cur tempeſtive obviam eundum? Aurea* Johannis Marckii *verba.*

ba. V. *Nihil* novi *ſub Cœlo. Locus* Eccleſ. 1. 9. 10. *elucidatus. Stupidiſſimi cujuſdam* Monachi *exemplum.* Davidis Burgundi *atrox* in indoctos *Paſtores cenſura.* Theologorum *quorundam* Sorbonenſium *ſtupenda ignorantia. Quicquid* novi *obtenditur vix quicquam aliud eſt, quam* antiqua *fabula.* VI. Variæ *ſemper ingeniorum dotes. Hinc, ut,* quæ *Vetera ſunt,* ſuſpicienda, *ita quæ* noviter *inventa, modo* vera & bona *ſint, non contemnenda.*

I. Succedit & alia μισοβιβλίας *cauſa,* immoderatus nempe *innovandi Pruritus.* Hoc enim quotquot aguntur, in more habent, in *aliorum* labores hoſtiliter & contumeliosè incurrere, ut *ſuos* commendent; quippe omnia *aliorum* fœtere optantes, ut *ſua* ſola bene oleant: ſive, uti rite alicubi Paterculus, *velut occupatam relinquentes materiam, quærunt,* novam; *præteritoque eo, in quo eminere non poſſunt, aliquid, in quo nitantur, conquirunt;* aliorum ſe ruinâ ſublime

Vellej. Paterc. Hiſtor. Roman. pag. 37.

me culmen conscensuros, muscerdasque suas loco piperis divendituros ubivis esse, sperantes. Quos iiscum non invenuste comparaveris hominibus, quibus cognita & habitata hactenus sordescunt Terrarum spatia, *novum* scilicet Orbem quæsituris, ubi sedes suas figant. *Vos* (ita Arnobius adversus Gentes) *soli sapientiâ conditi, atque intelligentiæ vi merâ, nescio quid aliud videtis & profundum.* Atque hinc, inquam, contingere tum sæpe videas, ut indignissimum aliorum studiis scriptisque, alias licet elaboratissimis, creetur præjudicium; idque eo quidem usque, ut ignominiosissima nonnunquam in maximorum Virorum *lucubrationes* vibrentur tela, etiam ab hominibus cætera non usque adeo malis, sed *innovandi* hoc furorenimiopere percitis: nempe ut aliorum, uti dixi, conatibus contemtis, explosis, exsibilatis, majorem *Neosophiæ* suæ gratiam applausumque concilient. *Necesse quippe habent* (verba sunt Tertulliani) *aliud subruere, ut quod volunt possint extruere.* Vel, uti Alius, *acerbissime alios perstringunt, non ut veritatem exprimant, sed ut sugillent & infament nomen alienum, vel odio impulsi, vel falsæ gloriæ spe adacti, existimantes tam se habitum iri pulchros & præstantes, quam alios tetros & viles esse ostendissent.* Vel, quod ut plurimum etiam accedit, ut τὸ φῶς ἡλίῳ διδόναι, *soli lumen mutuo dare* videri possint; id est, multis numeris se doctiores ea docere, quæ vel hactenus ignorarunt plane, veli saltem haud bene & profunde satis addidicerunt. Lusit hoc pronuper artificio,

Arnob. c. Gent. lib. 2. pag. m. 27.

Tertullian. de Veland. Virgin.

Lud. Viv. de vit. & morib. Eruditor.

ficio, ac recoctum suum *Donatissmum* propagare conatus est *Johannes Labadæus*. Hæc enim continua ejus vox erat: *Omnis scientia e Libris hausta Literaria tantum est; a Spiritu dependendum* est &c. Scilicet, ut hoc obtentu excellentissimis etiam scriptis piorum manibus exturbatis, eorum loco sua qualiacunque cogitata, non *ore* tantum, sed & *calamo*, totis veluti plaustris substitueret. Neque omnino frustra fuit: levem enim minusque sagacem popellum plane veluti dementavit, dum

Solos jactaret *habendos*
Esse Deos,

quos *tum* sibi ipsi finxerat, *tum* aliis manibus calcibusque commendabat, id est, neminem non in suo duntaxat cerebro habitare debere, inque sua verba jurare, ipsemet videretur credere, & non obscure suis nonnunquam inculcaret. Assurgunt enim facile hujusmodi hominibus quotquot

Iuvenal, Satyr. 13. *Viles sunt pulli, nati infelicibus ovis*,

quippe

Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ,

Salmas. de Ann. Climacteric. in Præfationis. eò quod fallere volentibus falli volentes nunquam desint; vixque ullæ tam rancidæ merces sint, quæ emptorem non inveniant. Etiam *Bavii Mævijque* Lectores suos habent, ut & maximè deformes buccæ suos basiatores; sive (uti apud Hieronymum est) *nul-*

nullus tam imperitus *Scriptor est, quem quis ipsi similis non legat, imo multo major pars est* Milesias fabulas *revolventium, quam* Platonis *libros.* Et quam facile fascinare non possunt homines aliquos leves & credulos, eosque insectam coire facere, *errantium* turbâ *mutua sibi patrocinia præstante*, ut loquitur *Minutius*, quotquot *intensioris devotionis* velamine convestiti, aureos ipsis montes promittere non erubescunt? Fit enim plerumque, ut fervida ingenia violentiam naturæ animique profundam ambitionem præclaro *zeli* schemate obnubant, quod est everriculum & mantile multarum fraudum. Scilicet popularia quædam & illecebrosa in turbam pro hamis mittunt, incautosque iis attrahunt, sibique mancipant: sive (quod impiè olim & falsò *Christianis* improperabat Celsus) *fatuos, ignavos, stolidos, mancipia, mulierculas, pueros captant & pelliciunt.* Exemplum hujus memorabile est in impostore illo *Judæo*, de quo apud *Socratem*: Gloriabatur hic, se novum adesse *Mosem*, cœlitus missum, ut eriperet Gentem suam e diutinâ servitute. Oppidatim circumit, hortatur opes amicosque relinquere, seque sequi in Terram illam promissam, &, addebat, per ipsum mare se eam traducturum. Credunt homines, conveniunt, immensa adest multitudo, omnis ætas, omnis sexus ad promontorium, illo duce, properant, tanquam ad beatam terram. Ipse insilire jubet, quod factum insanâ confidentiâ à plurimis. Quid fit? statim merguntur, paucis

Hieronym. in Esaiam Lib. 12. in Procem.

Minut in Octavio. pag. m. 227.

Cels. ap. Origen. Lib. 3.

Socrat. H. E. Lib. 7. cap. 37.

Lipsi. adv. Dialogist. pag. m. 41.

cis scaphis piscatoriis exceptis. Caput sceleris nusquam apparuit. Sicuti vero hic *impostor* in cassum prorsus laboravit, ita neque *Labadæus*, quod intenderat, cœperatque, perficere plane potuit. Detectis enim supradictis similibusque aliis illius μυθολόγοις, dissipata ejus secta est, saltem animam jam agit, in extremâ tegulâ constituta. Neque aliter, multoque meliori successu processit autehac *Jacobus Arminius*, cujus *novandi* ratio sic describitur à Voetio: *Hâc methodo meminimus usum fuisse* J. Arminium, *qui suis quibusdam confidentibus (ut ita loquar) inter studiosos affectis scedulas*, & novorum, *uti putabat, heurematum, MM SS diatribas communicabat*, *& in Collegiis* privatis *eadem heuremata, aut saltem hypotheses, & præcognita eorum inculcabat. Cum* (NB) *in* Publicis *lectionibus Academicis, præter textuum quorundam scripturæ, & consequentes orthodoxæ sententiæ hypotheseων vellicationes, aut enervationes, vix quicquam proderet.* Et quî committere possum, quin, nisi propriæ existimationis plane prodigus esse velim, in eundum quaque censum referam Virum alias eruditum, instrumentumque ad promovendum Dei regnum haud plane inutile, modo intra ὑπαξίας cancellos continere se vellet, *Jacobum Coelmannum?* qui nescio quo animo & scopo, pusillulum meum *Libellum*, quem ad *prima Veritatis Pietatisque* elementa teneræ juventuti, simpliciſſimo, quo potui, modo inculcanda, abhinc annos aliquot in lucem emiseram, in suæ, quam edidit,

Voet. Polit. Eccles. part. 2. Lib. 2. pag. 330.

In-

Institutionis Cathechetica Præfamine contemptim satis & odiosè sugillare instituit. Quam enim aliam ob causam id factum esse cogites, quam ut, dum *mea* exagitaret, *sua* qualiacunque commendaret, & vendibiliora redderet, licet nullâ, uti credo,

proprii spe præfulgente lucelli.

Neque enim vel ipse credere vel quisquam alius potest, ullius hominis salutare bonum in supererogatoriâ illâ *exagitatione* situm fuisse. Ergone moneri & muniri tam anxie opus fuit lectores contra innocui *Libelli* argumentum, vel tractationis ejus modum, tanquam damnosum forte, inutilem saltem & insufficientem? Nonne penes ipsum stetit, supplere limatioribus cogitatis *suis*, quæ desiderari existimabat in *meis?* idque an facere non potuit absque omni conatuum meorum detrimento & vilipendio? At aliter visum fuit Viro Docto. Quod ego πάτημα facillime ipsi condono, obtestans Deum, ut quoscunque, qui intensioris devotionis ardore, præ aliis, agi se putant, sancto suo Sp. dirigere ita dignetur, ut, dum pro convincendis, instituendis, corrigendis, Christoque lucrandis animabus, universâque adeo pietatis praxi insigni laborant zelo, Christianæ *humilitatis* & fraternæ *charitatis*, quæ non minimæ ejus partes sunt, memores etiam sint.

11. Imovero & talia nonnunquam vivimus tempora, quibus, non hic vel ille tantum *novi* quid in scenam producit, sed omnia Tertull. Apologet. cap. 6.

omnia pene *Novaturientium* plena esse videntur, eoque omnes fere deduci Disciplinæ, ut *veterem* vix formam retineant; e contra *novæ* & inauditæ hactenus definitiones, divisiones, distinctiones de sinu miserè ludificantis phantasiæ depromantur, spretis omnibus retro sapientibus, quasi soli & primi quidam per aureum veluti funem, ad cornicum oculos configendos, e Cælo delapsi essent. Sicuti & ipse usus docet, temporum perversitatem corporis cultum *novitatis* pretio fere metiri, autumareque insipidos multos mortales, illum speciosissimum habitum esse, qui quam *nuperrime* ex aliâ quâdam Orbis regione fuerit allatus. Approbabant se hinc pridem quamplurimis demissitia non tantum femoralia, sed & pilei orbis tam grandis, quam non *Prætori* usurpata corona, cum ludos olim ederet; imo tam monstrosa collariorum spatia, quibus statores, altius succincti, pro tunicâ, nautæ pro carbasis uti fere potuissent: omni vestitu alio neglecto & contempto, qui eâdem hâc *novitatis* notâ insignis non esset. Atque adeo, si & rei *literariæ* se immisceat hæc insania, ipsissimâ hac viâ sordescere etiam multa necesse est, eaque eximia sæpe *Theologiæ* non tantum, sed *aliarum* etiam *Disciplinarum* capita, non quia *pejora* sunt, sed quia *antiquiora*; sicuti arridere e contra alia, non quod *meliora* & solidiora, sed recentiora & *noviora* sint:

Prudent.

Tantus novelli, *dogmatis regnat furor.*

Neque

Neque hoc sensu absurde iterum Publius Syrus *bonarum rerum nimiam* consuetudinem *pessimam esse* dixit; id est, uti explicat, Erasmus, *vilescere facile, quicquid* consuetum *esse cœperit*. Utque hoc tum sub prætextu, pro solidis animorum & ingeniorum dapibus a *scribentibus* chimæræ quandoque propinantur, ita *legentibus* quoque, quod asellorum alias est, pro auro sæpe margaritisque stramenta præferuntur, sive, ut Talmudicis in Proverbio est, פסולת תחת הסולת furfurem *pro farinâ* lectores sæpe sumunt; adinstar hominis illius, cui *Eupolis* apud *Pollucem* olim exprobrabat,

Publ. Syr. in Urim. de Consuet.

Spencer. de Legib. Hebræor. lib. 3. cap. 3. pag. 383.

Pollux. lib. 6. cap. 10. §. 2.

Ὄινου πάροντος ὄξος ἠράσθη πιεῖν.

Acetum bibere amat, cum vinum suppetat.

Stob. Tom. 2. cap. 63. ex Euripid.

Eleganter Euripides:

Κόρος δὲ πάντων ἐν γὰρ ἐκ καλλιόνων
Λέκτροις ἐν αἰσχροῖς εἶδον ἐκπεπλημένους.
Δαιτὸς δὲ πληρωθείς τις, ἄσμενος πάλιν
Φαύλη διαίτη προσβαλὼν ἥσθη στόμα.

Rerum satietas *omnium est, turpes toros*
Vidi sequentem, pulchra cui conjux domi:
Et plenus epulis aliquis, e vili cibo,
Novitate *commendante, cepit gaudia.*

Et Homerus:

Homer. Odyss. 1. pag. m. 21.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείους ἄνθρωποι
Ἢ τίς ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Cantio enim hæc hominum longe est celeberrima vulgo,
Ac gratissima, *quæ* nuperrima *venit in aures.*

Quippe, ut alicubi Lucretius,

Lucret. lib. 5.

posterior *res illa reperta*
Perdit & immutat sensus ad pristina quæque.

Pindar.

Suadebat hinc ille apud Pindarum,

——— αἴνει δὲ παλαιὸν
Μὲν οἶνον, ἄνθεα ὑμνῶν
Νεώτερον.

Tacit. Annal. 2.

Macrob. Saturnal. lib. 11. cap. 1.

Vetus *quidem vinum lauda, flores hymnorum* recentium *æstima.* Ἐναντίως plane ac olim *Tacitus*, qui, ut *quieta turbidis, ita* vetera *novis anteferenda esse* dixit. Et alius quis apud Comicum *eloquentissimum* (uti *Plautus* est Macrobio)

Plaut. Casin. in init.

Qui utuntur vino vetere *sapientiores puto,*
Et qui libenter veteres *spectant fabulas.*

Ut pote

Horat. Epp. lib. 2. Ep. 1.

Meliora dies, *ut vina*, poëmata *reddit.*

Nazianzen. Orat. 26.

Atque adeo longe saniori consilio alii dehortari a *novitatibus* consectandis suos maluerunt. Disertè *Nazianzenus*: Μὴ ἀτίμασε τὸ ἐωθὸς, μὴ θήρευε τὸ καινὸν, ἵν' εὐδεκιμήσῃς τοῖς πλείοσι. *Ne spernas usitata,* nova

nova *ne ſecteris, ut nominis ſplendorem apud vulgus tibi concilies.* Et *Muretus* ad *Fratris* ſui filium : Muret. Orat. Vol. 2. pag. 441.

Νεοτερισμῶν σαυτὸν ἰσχὺ ἀπωτάτω,
Νόμων δ' ἀρίστους ἴσθι τοὺς παλαιοτάτους.

Ab innovationibus *te cohibe longiſſime,*
Et legum optimas *ſcito* eſſe, *quæ ſunt* antiquiſſimæ.

Et certè ſi omnes in communi *Gentiles* ſpectare velis, quid eos religionum ſuarum tam tenaces ſemper reddidit? an *Novitas*? nihil minus, ſed *Antiquitas*, ut ut paſſim erronea; pro *veritate* amplectentes, quicquid majorum error *vetuſtasque* ipſis forte commendabat. Tantum (verba ſunt *Cæcilii* apud Minutium) *antiquitas Ceremoniis tribuere conſuevit ſanctitatis, quantum adſtruxerit* vetuſtatis. Sive, uti Prudentius, Poëta Chriſtianus, Minut. fel. Octav. pag. 13. Prudent. c. Symmach.

ſic obſervatio crevit
Ex atavis *quondam male cœpta, deinde* ſecutis
Tradita temporibus, ſerisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconſulta catenam,
Moſque *tenebroſus vitioſa in ſecula fluxit.*

Ἀνσωπηλικὰ γὰρ (inquit *Baſilius*) πῶς τὰ παλαιὰ τῶν δογμάτων, διονεὶ πολιᾷ τινι τῇ ἀρχαιότητι τὸ αἰδέσιμον. Hoc eſt, *veneranda enim ſunt* vetuſta dogmata, *quod ob* antiquitatem, Baſil. apud Eraſm.

Mantuan. Fastor. lib. 1. *ceu canitiem quandam, habent quiddam reverendum.* Et tandem Mantuanus:

> *Tutius esse volunt, quâ lex Divina sinebat*
> *Isse viâ*, veterumque *sequi vestigia Patrum.*

Est quidem quod peccârint procul dubio Pagani *antiquitatem* ita, uti dictum est, consectantes, quippe idololatricam, sæpissime stolidam, semper saltem animabus perniciosam, uti revera *antiquitas* sine *veritate* nihil aliud, quam *erroris* & *impietatis vetustas* est; absitque, ut contrarium hic a nobis assertum, vel ab alio quopiam ex dictis collectum velimus. Sed eluceſcit tamen hinc (quod ad scopum nostrum sufficit) ex omnis generis hominibus, etiam e *Gentilium* grege semper extitisse, qui se rebus dogmatibusque *antiquis* addictiores, a *novioribus* e contra alieniores fuisse, demonstrarunt.

Cyprian. Ep. 63. & 74.

III. Quot interim quantasque factiones, animorum distractiones, Doctorum inter se collisiones, funestaque Ecclesiarum pericula nullo non tempore secum traxerit præposterus hominum quorundam omnia *innovandi* impetus, quis est qui ignoret? Accedente ei imprimis, ut fere accedit, terreâ istiusmodi & pertinaci audaciâ, quâ fascinati quidem (uti eos describit alicubi Tullius) *errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt*, pugnacissime *defendere*, *quam sine* pertinaciâ, *quid constantissime dicatur, exquirere: destinatis sententiis quasi addicti &* consecrati, *atque adeo* ne-

Cicer. Academ. lib. 4. §. 9. & Tusculan. lib. 2. §. 5.

necessitate *quadam veluti constricti, ut etiam quæ non probare soleant, cogantur* constantiæ *causâ defendere:* imo vero susque deque habeant, quid intersit boni publici, hominum societatis, rerumpublicarum pacis, unionis Christianæ, dummodo sese proprii dogmatis assertores strenuos tantum ostentent. Fuisse & esse tales, suo modò tempore questus est magnus Academiæ *Parisiensis* Cancellarius, seculi sui oraculum, Johannes Gerson: *Videre* (inquit) *quosdam est, qui tantâ animositate suis aut cœptis aut consultis inhærent, ut nullis ad oppositum rationibus, nullâ incommodorum experientiâ, flecti possint. Malunt* omnia *secum* ruere, *omnia* frangi *vel* turbari, *quam pedem retroflectere a viâ suâ, quia progressus obstare reperiuntur . . . Quicquid obstat cervicosa turgidaque* præsumptio *prætergredi nequit, quia nequit humiliari. Irascuntur tales immortali odio contra omnes, quos viderint vel audierint, non dicam adversari sibi, sed non plenis viribus & totis suis assentiri sententiis.* Uti & *Eutychianorum* tempore, id est, *decem* præter propter seculis ante *Gersonem*, horum quidam similes extiterunt, de quibus ita *Evagrius Scholasticus:* Ἡ συνηθείᾳ τινὶ περὶ τοῦ θεοῦ δόξης, ἢ τῷ ὄντῳ βούλεσθαι παρειλημμένοι ὡς καὶ πᾶσας ἰδέας θανάτου περιφρονεῖν, ἢ πρὸς τὴν τοῦ ὄντος ἰέναι συγκατάθεσιν. *Ita aut divinæ opinionis consuetudine, aut affectu aliquo sive præjudicio præoccupati sunt, ut omne genus* mortis *contemnere, quam* veritati *assentiri velint.* Homines certè, quibus & tum modo volupe fuit, con-

Gerson. Oper. Tom. 1. pag. m. 297.

Evag. Scholastic. lib. 2. cap. 5.

Mamert. de Stat. Animar. lib. 1. in princ.

tentionis ignem, *novis* invectis *opinionibus*, perpetuo fodicare, ne erroris convicti viderentur, nec quiescere, antequam omnia litibus inardescerent. In quales digitum quoque intendit *Claudianus Mamertus*, Episcopus *Viennensis*, cujus supra etiam meminimus: *Multorum in humano genere* (sic ille) *vitium est* arrogans *imperitia, &* pervicax *in defendendis perpere præsumptis opinionibus* pertinacia. *Claudianus Mamertus*, inquam, non *Mamercus*, uti male habet *Wolfgangus Gundlingius*: nullus enim scriptor Ecclesiasticus sub hoc nomine innotuit; hic vero noster *Mamerti* non *Mamerci* nomen ubivis gerit, apud *Bellarminum*, *Bucholcerum*, *Bignæum* in *Bibliothecâ PP.* &c. Occurunt quidem aliqui in Historiis *Mamerci* dicti: *Martialis* cujusdam meminit; *Pythagoras* & *Numa Pompilius* filium ejus nominis habuerunt. Sed quantum illi à Præsule hoc nostro non distant? Nominis hoc etiam habuit *Catanæ* Tyrannus, de quo *Cornelius Nepos* aliique; sed neque illi commune quid est cum *Viennensi* hoc Episcopo: *ille* enim anno *ante* Christum 342. *Siciliæ* Tyrannos adjutum modo venit, cum *hic* seculo *post* Christum quarto demum inclaruerit. Interim reverà nulla major, nulla tetrior, nulla damnosior quam propriarum hypothesewn servitus hæc est: sub fucatâ enim *Libertatis* specie miserum hominem in peccati & Diaboli conjicit vincula, adeo ut sub imagine veri, *novi* saltem & non vulgaris, dementatus & ex-

Gundling. in Not. ad Zialowsk. Delineat. Eccl. Græc. p. 12.

Bellarm. de Script. Eccles. p. 148.

Bucholcer. pag. 246.

Plutarch. in Timol.

Simson. Chronic. Cathol. part. 4. p. 122.

Plutarch. in Numâ.

Cornel. Nep. in Timoleon.

occu-

oculatus, ſibique totus mancipatus, ad *libertatem* veram & plenam aſſurgere non poſſit. Cujus rei Vir quidam Eximius haſce alicubi cauſas reddit: ſuperbam ſui confidentiam, turgidam *conſcientiæ* fallere & falli neſciæ perſuaſionem, vilem aliorum, *fratrum* imprimis, deſpectum, & vanæ gloriæ captationem. Sed vero noſtrum non eſt *Innovationum* hæc damna & pericula multis hic deducere. Demonſtravit quid ex eorum ſtudio & æſtu ſuboriri fere ſoleat, ante annos aliquot ipſâ luce lucidius *Nicolaus Vedelius*, Vir nominatiſſimus, in aureo ſuo *de Prudentiâ Vet. Eccleſiæ* Opuſculo, cujus obſervationibus pauxillula hæc tantum, e doctiſſimo in Theſes *Sedanenſes* Præfatore, libet adjicere. Hic itaque Vir Eruditus, cum in digniſſimas *Abrahami Ramburtii*, Præceptoris ſui, laudes multis verbis excurriſſet, ſermonem ſuum ſic perſequitur:

Vedel. de Prudent. Vet. Eccleſ. Lib. 3. cap. 2. 3. 4.

Jacob. de Vaux. Præfat. in Theſ. Sedanenſ.

" Hæc pauca *Magiſtri* mei, æternum co-
" lendi, memoriæ debebam. Unum ad-
" do, quod ſilentio prætermittere nefas
" duco, *Pacem* ſtudioſiſſimè ſemper co-
" luiſſe; hâc enim laude ſine ſummâ in-
" juria defraudari non poteſt, quod ſem-
" per ſedulo in id incubuerit, ut contro-
" verſias inter *fratres* ortas ſedaret. Uti-
" nam omnibus eadem mens, idem ani-
" mus fuiſſet! nunc pro dolor tot ſcripta
" eriſtica, in perniciem Eccleſiæ nata,
" non vidiſſemus. *Novitatibus* ſemper
" infeſtum ſe præbuit. Ut ut autem *pa-*
" *cem* coleret, eam tamen *veritatis* diſ-
" pendio nunquam quærebat, cum vide-

" ret

„ ret in Scripturarum variis locis enodan-
„ dis, in diversis & bonis argumentis
„ tractandis satis amplam segetem super-
„ esse, etiam acutissimis & excelsissimis
„ ingeniis, in quibus industriæ suæ spe-
„ cimen quisque ederet, non poterat non
„ esse infensissimus hisce *Novitatum* Au-
„ toribus, sub his aliquid *veneni* delites-
„ cere semper augurabatur. Sciebat illos
„ *rotundo ore* nolle primâ fronte omnes
„ suas hypotheses in publicum prodire.
„ Ea enim est (*inquiebat*) erroris indoles,
„ ut per *cuniculos* agat perpetuo, & om-
„ nia suâ mysteria nolit statim prodire, sed
„ tantum quædam doctrinæ Capita, nec
„ tam impia, nec tam absona, magno
„ tamen verborum apparatu vestita, &
„ studio *veritatis* ornata, in medium pro-
„ ferre, ut siquis emunctæ naris, & ve-
„ ræ pietatis & Antiquitatis amans ali-
„ quid sinistri olfaciens, & ex innatâ Au-
„ torum superbiâ, & *novaturiendi* ani-
„ mo probe cognito, his *novitatibus* se
„ opponat, habeant in promptu, quod re-
„ spondeant: *Rem non esse tanti momen-*
„ *ti*: sic *facilius viam sterni ad* compo-
„ nendas *quasdam controversias*; de *re-*
„ *bus ejusmodi non litigandum inter* fra-
„ tres; *multa* pacis *studio toleranda esse.*
„ Hâc arte (NB) multi boni decipiun-
„ tur. Interea gliscit error. Cum plu-
„ res, hisce artibus inescatos, in partes
„ suas pertraxerunt, *aliæ* rursus hypo-
„ theses in medium protruduntur. *Et*
„ *aliquanto post*: Revera ab hisce Nova-
„ toribus semper aliquid mali extimes-

cen-

cendum nonne res ipsa clamat? Nam " si quod controvertitur res sit tam *exigui momenti*, quid opus in concionibus, " publicis Prælectionibus, privatis consortiis hæc ad nauseam usque oggerere? " Quot sunt ad animarum salutem, ad " Ecclesiæ ædificationem ad Dei gloriam " conducentia? Hæc dicantur, hæc doceantur, *inquiebat* vir ille eximius. " Ne ἐρίδων μῆλον inter Fratres projicite, " Ecclesiæ *pax* sit propositum vestrum. " In heterodoxis, quæ tanti non sunt, laureolam ut ex mystaceo, ut primipili censeamini, ne quærite. Si Deus *novis luminibus* mentibus vestris affulsit, quum " ad animarum salutem necessario non requirantur, his *soli* placide fruamini; " vobis liceat esse beatis Sed quicquid " sit, *pacem* Hierosolymorum perpetuo " colite *Sic Ille.* "

IV. Habes ibi *Novaturientium* genium graphicè depictum, multa, quæ causari passim in more habent; excussa & discussa, vulgarem, quem in διρήμασι suis *tum* propinandis *tum* propagandis observare solent, modum, liquidò detectum, pacem tandem *Hierosolymorum*, Fratres inter inprimis colendam fovendamque, serio commendatam. Quibus verbum unum alterumque tantum addendum. Rem nempe periculosæ plenam esse aleæ, si ita comparatum cum Ecclesiis Scholisque esse incipiat, ut in societate suâ habeant *Antecessores*, qui recentia & cruda dogmata, ideo solum, quia *noviter* nata & Autoris forte sunt aliunde non contemnendi,

Hoornb. Præfat. ad III. Tom. Socinianism. Confut.

nendi, confestim apud populum divulgant; genuini δοκησίσοφοι, qui nil nisi quod *recens* & musteum est, probant, *rationis* suæ *judicio*, quasi veritatis mensura esset, nimium tribuunt, subque specioso *majoris lucis* & *penitioris indaginis* veritatum hactenus ignoratarum prætextu, quæcunque ante tradita sunt convellunt & destruunt, eorumque loco ἰδίας suas ἐπιλύσεις & κυρίας δόξας, quasi infallibilia oracula essent, non tam proponunt hominibus, quam obtrudunt; idque non ideo quidem quod ab iis dependere necessariam aliquam ædificationem putent, sed quod aliquid *non vulgare* apud vulgus loqui gestiant; quasi in iis, quæ *certæ* veritatis ususque sunt, non satis esset ad explicandam suam eruditionem, ultra salutem scilicet multa adhuc præstituri suis auditoribus: dum misere, sic agentes, *ingenii* quidem aucupantur famam, non *Euangelii* glorificationem. Quin etiam, si istiusmodi in sinu suo fovere incipiant *alumnos*, quibus adeo nasi impedimento est obesitas, quo minus olfaciant; ut, dum Aquiliferorum suorum serva nimis pecora esse volunt, cunctis studiorum suorum adminiculis, id est, *Libris*, quibus usi antea sunt, nullo fere pretio divenditis, in hoc gloriari, hoc ante omnia jactitare soleant, quod eorum tantum volvant, revolvantque volumina commentariosque, quorum *factioni* partibusque se pridem manciparunt; immotoque constituant decreto, si vel *unum* in Bibliothecis suis offendant *Librum*, qualiscunque

que argumenti, disciplinæ, vel Scriptoris sit, præter eos, qui *Præceptorum* suorum sunt, & *Sacra Biblia*, se quam citissimè flammis sacrificaturos eum esse; nec, præter illos, ullum Scriptorem alium unquam empturos vel lecturos, qui sodalitio suo non sit addictus. Idque *vel* hanc quidem, uti dixi, ob causam quod *partium studio* nimiopere exoculati, præceptoribusque suis justo addictiores sint, quâ de re sic iterum Luduvicus Vives: *Deducitur ad scholam filius ab indocto patre, venit eò adolescens novus; rudis omnium; imbuitur statim* lectæ *placitis: recipit, assentitur, afficitur, priusquam possit judicare: audit dici omnia constantissime a præceptore* ingenti asseveratione *vultus, superciliis sententiæ. Videt recipi omnia magno consensu atque admiratione a condiscipulis, credit esse mera* oracula; *ita hausrit tanquam certissima & indubitata. Non solum ita hisce se addicit, ut ea modo censeat esse* vera, *sed ut alia cujuscunque modi habeat suspecta.* Quod utique (si *Ciceroni* fides) non nisi cum infando discentium & studiorum impendio conjunctum esse potest: *Quod si enim* (inquit) *in studiis a* multis *eligere homines* commodissimum *quodque quam se* uni alicui *certo vellent* addicere, *minus in arrogantiam offenderent; non tantopere in vitiis perseverarent, aliquando ex insciti & levius laborarent.* &c. *Vel* quod trita nimisque vulgaria habeant, quæ anteriores & antiqui Scriptores vel dixerunt hactenus vel scripserunt;

Lud. Viv. de Disciplin. lib. 2.

Cicer. de Invent. Rhetoric. lib. 3.

Api-

Martial. lib. 14. Epigr. 1. *Apinas tricasque, vel siquid vilius istis.*

Prout abhinc aliquot annos ita judicabat, & liberaliter nimis pronunciabat *Amadæus Guimenius*, Theologus Lomarensis, *Omnia jam examinata melius esse* dicens, *eamque ob causam in omni materiâ* juniores *lubentius legendos esse quam Antiquiores.* Sed cui haud bene cessit ea lacinia; propositionem enim, câ contentam, hoc carbone notarunt Doctores *Sorbonici*, quod *falsa*, *temeraria*, *moribus periculosa*, *sanctis denique Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa fuerit.* Et meritò quidem prudentiores se νεωτέροις hujusmodi maturè opponunt: quod si enim talibus Magistris discipulisque rerum alicubi potiri ullo tempore contingat, rem in nervum erumpere necesse est, Ecclesias scindi, studiorum pene omnium fructum perire, ipsam tandem Rempublicam deplorandum in modum conturbari. Quod ne utinam multorum temporum experientia nimium comprobasset! Audi rursus Vincentium: *Siquidem* (dicit) *novitia veteribus, extranea domesticis, & prophana Sacris admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac in Ecclesiâ relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil immaculatum; sed sit ibi deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat ante castæ & incorruptæ sacrarium veritatis.* Et quid aliud innuit vir ille apud *Nævium* (de quo *Ursinus*) qui ab aliquo rogatus: *Cedo quomodo tantam*

A. Guimen. Oper. pag. 191. n. 4.

Vincent. Lirinens. de Fid. Cathol. Antiq. cap. 31.

Dio lib. 52.

tam Rempublicam *tam cito amisistis?* nihil respondit aliud, quam *Proveniunt Oratores* novi, *stulti*, *adolescentuli*. Quare & hinc est, quod ipsi Gentilium Magistratus contra quosvis, qui quicquam quod a receptis & patriis moribus vel opinionibus recedebat, tam sollicite cautum voluerint. Quod licet perperam Religioni *Christianæ* applicarent, ut supra dictum est, non leve tamen prudentiæ politicæ argumentum fuit. *Posthumius* apud Livium: *Judicasse prudentissimos Viros, omnis Divini humanique juris nihil æque dissolvendæ religioni* inservire posse, *quam ubi non patrio sed externo, id est*, novo *ritu sacrificaretur*. Neque Deos suos sic tantum respiciebant, sed etiam (uti *Mecœnas* olim ad *Augustum*) quod qui *nova* numina introducunt, *multis observationem* peregrinarum *legum suadent*, *unde tum conjurationes* & illicitæ *coitiones oriuntur*. Appingere hic libet Præstantissimi Theologi, *Johannis Marckii* verba maxime apposita: Quæ est (*inquit*) hæc intoleranda fidei Christianæ contumelia, audire eam hostibus, & merito, non secularem, non annuam non menstruam, sed fere *diurnam*, dum *nova* indies surgunt ingenia, & cum his totidem egregia scilicet inventa, quibus veritas producatur latens, error fugetur, superflua rescindantur, mens illuminetur; pietas accendatur, futura prænoscantur, salus promoveatur. Valeant illa in vitâ communi, in prudentia seculari, in artibus experientiâ nixis, *Religio*

Liv. lib. 9.

Marck. Orat. d. Groning. XII. Kalend. Jul. 1682. p. 15. 16.

„ ve-

„ veriſſima, quæ *antiquiſſima*, quia una.
„ Placeat hæc *innovatio* quorundam pe-
„ tulantiæ & pruritui, diſplicet omnibus,
„ quotquot non ex vanâ ſcientiæ ſpe, aut
„ docentium famâ, aut tradentium impe-
„ tu, aut magiſtrorum gravi ſupercilio,
„ ſed ex pietatis ſynceræ, & communis æ-
„ dificationis fructu *Religionis* decus æſti-
„ mant. Impoſſibilem ego palam judico
„ publicam *concordiam*, quando ingeniis
„ hiſce licet fœtificare, id eſt, inventa ſua
„ & propolare audacter, & quotidie a-
„ daugere viriliter, quod neque in *Repu-*
„ *blicâ* ſua *Plato* admiſit, *ſublimis* ille
„ *Philoſophorum apex*. Et paulo poſt: *Con-*
clamatum eſt de Pace, *ſi animalibus gloriæ*
licuerit tubam inflare, & ad *prælia contra*
Pag. 30. *ſacras veritates, contra Doctorum phraſes,*
contra ſolitum docendi modum, contra Deum
juvenilia animare pectora, nimis ſero inſani
furoris intellectura dedecus.

V. Et certe (ſi quod res eſt dicendum
Urſin. Theolog. Symbol. §. 41. ſit) quid *novi* eſt, quod quisquam oſten-
tet? Ignoravit id ſaltem Regum omnium
minime ſtupidus, dum *nihil* novi *ſub Cæ-*
lo eſſe dixit. Eccleſ. 1. 9. 10. In quæ verba
Mercer. in Eccleſ. 1. 9. ita Mercerus: *Nihil in hoc orbe* novi *eſt,*
ut poſſit quis dicere, innovatum *eſſe mun-*
dum; & jam eſſe homini quicquam e La-
boribus ſuis reſidui, quod ſuperioribus ſe-
culis *non fuerit*. Refertque huc *Grotius*
Grot. in eund. loc. *Antonini* P. hoc effatum: Ὅτι πᾶν τὸ γι-
νόμενον, οὕτως ἀεὶ ἐγίνετο, καὶ νῦν παταχοῦ γίνεται.
Antonin. P. lib. 12. §. 26. & 7. §. 1. Et alio loco: οὐδὲν καινὸν, πάντα συνήθη, καὶ
ὀλιγοχρόνια. *Quicquid fit, ita* ſemper *fa-*
ctum, ſemperque futurum, *& nunc etiam*
ubi-

ubicunque fieri. Nihil novi, *consueta & caduca sunt omnia.* Et alibi: *Propone tibi ob oculos fabulas totas scenasque uniformes, quacunque vel ex notitiâ tuâ, vel ex historiâ antiquâ cognita habueris, aulam* Hadriani *totam, totam* Antonini, *illam item* Philippi, Alexandri, Crœsi, *ejusdem tamen modi fuerunt omnia illa, nisi quod per* alios *agebantur.* Nisi *novum* forte quis dixerit, quod non nisi *subjectivè* tale est; id est, vel mihi, vel tibi, vel pluribus forsan aliis hactenus inauditum & incognitum. Uti nugabatur antehac lepidus ille *Monachus*, cujus meminit *Heresbachius* Jureconsultus non incelebris; *Audivi* (dicit) *Monachum in Ecclesiâ declamantem, qui* nova, *ajebat, jam reperta est lingua, quæ vocatur Græca. Ab hâc sedulo cavendum. Hæc est, quæ parit omnes istas hæreses. Eâ linguâ* (pergebat) *proditus Liber in manu passim habetur, & vocatur* Novum Testamentum. *Plenus hic Liber est rubetis & viperis. Tandem,* addebat, *aliam jam oriri linguam, quam vocant* Ebræam. *Hanc qui discunt fiunt Judæi.* Homo profecto plumbeus, quo nullum stolidius est saxum. Qui, si tempore *Davidis Burgundi*, Ultrajectini Episcopi, vixisset, ejus utique censuram non effugisset, de quo quippe, cum eruditionis amantissimus esset (*fovit enim*, teste Wilhelmo Heda, *docta ingenia, bonasque Literas excoluit*) referunt Scriptores, *quod* e trecentis *Diœcesios suæ Pastoribus tres tantum post examen admiserit, reliquos tanquam* stupidos *asinos*, huic nostro assimi-

Lib. 10. §. 17.

Arnob. adv. Gent. lib. 1.

Heresbach. de Græcar. Litt. laudib.

Heda Histor. Episc. Ultraj. pag. m. 292.

miles, *exauctoraverit*. Tametsi negandum non sit, cum & esse, & a se inspectum esse Novum Testamentum, agnovisse saltem videri hic *Monachus* voluerit; quin *Doctoribus* illis *Sorbonicis* quadantenus adhuc melior fuerit, qui, Sixtino Amamâ autore, *per diem jurarunt, se plus quam quinquaginta habuisse annos, quod nescirebant*, Novum Testamentum *in rerum natura esse*. Et certè, nisi in hæreseon Scriptoribus plane hospes quis sit, deprehendet facile, quoscunque indies propullulantes *errores*, quascunque *paradoxas opiniones*, quantâcunque *novitatis* specie se commendent, vix quicquam tamen aliud esse, quam *vetustas* à multis retro seculis Orbi modo cognita, sed ad tempus eruditorum piorumque quorundam Virorum industriâ & zelo pressa, jam vero ingeniorum *tum* petulantiâ invitante, *tum* furato veritatis pacisque Hoste instigante, denuo efflorescentia & reviviscentia:

Amam. in Antibarbar. Biblic.

Martial. lib. 4. Epigr. 19.

Puppam *se dicit Gellia, cum sit anus.*

Saubert. de Sacrific. in Præfat.

Byssinum *Rabbinorum* dictorium est, אל תסת כל נקנקן אלא נכח שיש בו יש קנקן הדש בלאי ישן hoc est: *Non respicias cantharum, sed id potius, quod in eo continetur. Nam quandoque est* cantharus novus *repletus vino* veteri. *Et pulchrè Cassarus Barthius*, Varro Germanus:

Barthius Zodiac. Christ. 10. pag. 224.

eadem *toto deludit* fabula *mundo*.
Immutata parum persona, *sed imminuta*
Orbe redit patulo: scena una *est, histrioque*
idem,

Gens

Gens eadem, casus iidem. Variable saltim.
Effigies *alternat opus.*

Ovid. Metamorphos. lib. 14.

Nostrates dicunt, *de* oude *Munnik onder een* nieuwe *Kap.*

VI. Cæterum verissimum est, varias esse semperque fuisse ingeniorum dotes, multas seculorum varietates; atque adeo quod quisque potest, in medium proferre debere, nec alteri quenquam invidere, qui pro suâ virili suoque modo publicis studiis utilitatis aliquid conatur adjungere. *Veteribus* debetur reverentia præsertim quos præter eruditionem vitæ quoque commmendat sanctimonia; sed ita, ut non sine *judicio* legantur. Etiam *novioribus* debetur candor, ut absque æmulatione legantur, nec sine delectu tamen; absit modo ubique rabiosa contentio, pacis & concordiæ pestis; nec absint a studiis *Gratiæ*, quas Musarum comites non temere *Antiquitas* finxit. Optime Plinius: *Miror* antiquos, *non tamen, ut quidam, temporum* nostrorum *ingenia despicio.*

Plin. lib. 6. Epist. 21.

CAP. III.

De Eruditorum Thrasonismo, *quartâ* μισοβιβλίας *causâ.*

SUMMARIUM.

I. *Difficile est contra* inflatos *homines* satyram *non scribere.* Theophrastus Paracelsus, *novus quidam* Italus, Valentinus Weigelius, Claudius Verderius, Alphonsus X. *Arragoniæ Rex elatissimi animi Scriptores.* Vir *quidam* Doctus *in* Alphonsi *illius laudibus ebuccinandis nimis liberalis.* Hofmanni *prudentia laudata.* Hebræorum *blasphemia explosa.* *Impiæ* Gentilium *quorundam voces taxatæ.* Minutius Felix & Arnobius *ad partes vocati.* II. Turgescentium *Scriptorum conditio misera & periculi plena.* (a) Ingrati *passim in* Præceptores *suos* discipuli *sunt.*

Ari-

Aristoteles, Maximus Ægyptius, Balthasar Hubmerus *perversitatis hujus postulati.* Philippi Melanchtonis *elogium. Multa hic a propriis suis discipulis passus.* Schoockius *in Præceptorem suum* Voetium *iniquissimus.* Hebræorum *de* gratitudine *a discipulis* Præceptoribus *suis præstandâ, Canon.* Alexander M. & Antoninus Pius *hoc nomine commendati* III. (b) *Ad quasvis suscipiendas* hæreses *valde sunt proclives. Quod variorum* Hæresiarcharum *exemplis asseritur.* Richardi Baxteri *querela.* IV. (c) *Ad* lapsum *in* pravos & *profligatos* vitæ mores *in præcipitio stant. De* Petro Abaljardo *varia.* V. (d) *Ad* ulteriorem *in studiis doctrinâque* profectum *plane sunt inepti.* Tatianus & Plutarchus *laudati.* Album (*liber*) *quid, & unde sic dictum? Locus*

Heb. 12. 1. *elucidatus. Voces* ὄγκος & ὑπέρογκος *quid?* VI. (e) *Doctis indoctisque inopino suo casu* ludibrium *fere debent.* Maphei Vegii *verba huc facientia.* VII. Vera *eruditio solâ* conscientiâ *contenta. Eorum, quibus imponere* superbi *Scriptores gestiunt*, duplex *genus.* Horatius, Martialis, Avienus *in testes vocati.* Basii *JCti.* inflatus *animus* & inglorius *exitus.* Jacobi Acontii προσωπογραφία. *De Libello ejus de* Stratagematis Satanæ *Eruditorum judicia.* Neronis *festive factum.* Ἀγέλαστος *varii.* Saltationes in utres *apud* Romanos *usurpatæ.* Baucismus *quid?* Angues inflati *an incantationum vi disrumpi soliti?* Aurem obturare *quid? Loca Scripturæ.* Ps. 58. 6. Es. 33. 15. Proverb. 21. 13. *illustrata.* VIII. Inflatorum *Scriptorum* κρηςφύγετον *excussum* & *discussum.* Gregorius M.

&

& Coccejus *ad partes vocati. Verbis* Jobi cap. 12. 3. *lux addita.* IX. Hilarii Pictavienſis, Ferrandi Cordubenſis, Eraſmi, Samuelis Bocharti, Johannis Cocceji *laudabilis modeſtia.* Secundæ *curæ prudentiores.* Oves Epictetianæ *cordatis Scriptoribus in exemplum propoſitæ.* X. Andreæ Oſiandri *levis animus faſtus que impudentiſſimus.* De his non guſtabit aſinus *quale dicterium, & unde forte ortum?* Sophocles *laudatus.* Oratiuncula *Scriptori Chriſtiano, pro cordis ſui* tumore, *facile ſurrepente, reprimendo nonnunquam concipienda. Aſſentatorum* blandimenta *quomodo retundenda?* Annæ M. Schurmannæ & Magni Alexandri *laudabile hic ſtudium.* XI. *Thraſoniſmus* juvenilis *ſenili multo intolerabilior, & quare?* Cretenſium *ſanctione Leges reprehendere*

juvenibus *prohibitum.* Leges Annariæ *apud Romanos quæ?* Janus Dousa F. *laudatus.* Juvenum *communis genius* Superbiæ *ipsorum origo & causæ.* Euripidis *prudens monitum.* XII Παῖς ἑκατονταέτης, puer centum annorum *quis? Loci Es.* 65. 20. *interpretatio varia.* Ergini cani *qui?* Annæ Schurmannæ *non vulgaris ante annos industria.* Hermogenes Tarsensis, Antoninus Pius, Augustinus, Hieronymus, Didymus Alexandrinus, Avicenna, Maimonides, Flavius Josephus, Arthurus, *Walliæ Princeps*, Philippus Melanchton, Burchartus Wirzius, Jacobus Crinitus, Nicolaus Rigaltius, Georgius Sohnius, Guiljelmus, *Archiepiscopus Andreapolitanus*, Ranutius Farnesius, *Dux Parmensis*, Iosephus Scaliger, Martinus Delrio, Hieronymus Ruveræus, Da-

Daniel Heinſius, Hugo Grotius, Jacobus Ulſerius, Gerardus Voſſius, Claudius Salmaſius, Johannes Bernhartus, Joh. Camero, Gisbertus Voetius, Johannes Coccejus, Renatus Carteſius, M. Zuerius Boxhornius, Martinus Schoockius, Johannes Hoornbekius, Johannes Marckius *præcocium ingeniorum ſpecimina.* Sagaciores juvenes *ipſis* ſenibus *accenſendi.* Hermogenes *ante annos ingenioſus valde adhuc* juvenis *mente lapſus eſt.* Quintiliani *error ex parte notatus, ex parte excuſatus.* XIII. *Senes* juvenibus *ferè ſapientiores & prudentiores.* Calvini, Socratis, Euripidis *de hoc effata. Scriptores* ſeniores & *Antiquiores a* junioribus & *novioribus ſummopere ſuſpiciendi.* XIV. Pyrrhoniorum ἀπραξία *rejecta.* Minutius Felix, Durandus, Lactantius *laudati.*

I. ETiam merus *ingeniorum fastus* ita nonnunquam transversos quosdam agit, ut, dum singularem sublimioremque semper crepant spiritum, inque proprium inspuere sinum negligunt, summis, cum *de aliorum* laboribus Librisque judicandum est, procedant unguiculis, *stantes primoribus digitis*, uti apud *Varronem* est, *ut in littore cancri*, vel adinstar *Socratis* (qui sic ab *Aristophane* describitur:

Varr. Satyr. Menipp. pag. m. 6.

Ὅτι βρενθεύει ἐν ταῖσιν ὁδοῖς, καὶ τῷ ὀφθαλμῷ παραβάλλει.

Aristoph. in Nubib.

Fastuosus per vias vadit, oculos circumferens.)

ubicunque locorum circumvolitantibus oculis versantes & inquirentes, an quemquam sibi parem ullibi inveniant; omniaque adeo omnesque præ se suisque pithœcias & spinturnicias tantum reputantes. Adeo quippe sui opinione distenta & differta capita sua habent, ut *Jovis* ipsius cerebrum vix æque gravidum fuisse dixeris, cum *Palladem* olim parturiens *Vulcani* securim imploraret. Tanti Ajaces sunt (ignosce, *Lector*, si jocari hic nonnunquam videar; impossibile enim est, si cum istiusmodi hominibus res sit, *satyram* non scribere) tanti Hercules, qui si a rastris ad rostra transcendissent, vacuum plus nimio verticem inter astra procul dubio condidissent. Multiscii scilicet *Apulejani*, confidenti-

Iuvenal. Satyr. 1.

lo-

loqui, *tympanotribæ*, *Curionum* gens, altivolantia ingenia, gemina istis apud *Plautum* hominibus,

Qui res alienas curent opere maximo:
Qui omnia *se simulant* scire, *nec quicquam sciunt;*
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit
Sciunt, *quod Juno fabulata est cum Jove.*
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen
sciunt.
Falsón' an vero laudent, culpent quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat, sciunt.

Plaut. Trinumn. Act. 1. Scen. 2.

Quorumque ad nauscam tinnire audias ora:

Noris nos, DOCTI *sumus*;
nos legiones dissipamus spiritu,
Quasi ventus folia.

Horat. Satyr. lib. 1. Sat. 9

Nempe (quo quid magè ridiculum esse dixeris.) *se ipsos* deprædicant, titulosque magnificos, quibus nec digni sæpe sunt, nec ab ullo forsan alio honorari se vident, *sibi ipsis* inscribunt. Contra quales homines *Lutherus* olim *Melanchtonem*, per novos quosdam tum prodeuntes *Prophetas* nonnihil forte turbatum, hisce monebat verbis: *Cum testimonium perhibeant de* ipsis, *non statim audiendi sunt, sed, juxta consilium Johannis, spiritus probandi.* Talis pyrgopolinix fuit *Theophrastus Paracelsus*, de quo literis proditum est, quod tantæ

Luther. Ep. ad Melanch. de Ao. 1522.

Hoornb. de Weigel. pag. 6.

tantæ fuerit arrogantiæ, ut palam dicere non erubuerit, *ſtultiſſimum capillitii ſui pilum* (recalvaſter enim erat) plus *ſcire, quam omnes* Galeni *ſectatores*. Imo *barbam ſuam plus experimentorum habere, quam omnes, quæ eſſent, Academias*. Scilicet accedite huc quotquot audire vultis virum, qui ne quidem, quomodo *Junonem* duxerit *Jupiter*, ignoravit: arrectis adſtate auribus; habetis enim, qui omnia eruditionis dolia ſolus exhauſit, tantuſque ſibi ipſi viſus eſt,

quantum haud viderunt ſecla priora.
Nec quantum, fuerint ſi poſteriora, videbunt.

Bzov. ad Ann. 1501.

Talis novus ille *Italus*: de quo apud *Bzovium* Trithemius, quod ſe *veterum Hebræorum, Græcorum, Latinorum omnium perfectiſſimam habere ſcientiam* gloriatus ſit; *Veteresque* omnes *adeo habuerit contemptui*, ut ſe *cunctos eruditione exſtellere*, aperte dixerit; imo *præter ſe neminem hactenus ſapientem fuiſſe*, jactitaverit:

Hottinger. Hiſt. Eccl. ad ſecul. XVI. pag. m. 115.

Lucret. lib. 3.

Hic genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, exortus uti Æthereus ſol.

Imò

Lucret. de Epicur.

centum in Silicâ
Et quinquaginta centum Sycophantidæ,
Triginta Sardi, ſexaginta Macedones

Plaut. Mil. Glorioſ. Act. 1.

Sunt homines, quos hic *trucidavit uno die.*

Talis

Talis *Valentinus Weigelius*, qui *Capturam* ſuam *auream* taſtuoſiſſimâ hâc inſcriptione commendabat: *Quod ad res omnes* abſque ullo errore *agnoſcendas*, *multis Doctiſſimis incognita quidem, verum omnibus tamen ſcitu neceſſaria eſſet.* Talis etiam *Claudius Verderius*, qui *Librum*, ſuperiori ſeculo a ſe editum, tam portentoſo inſignivit titulo, ut vix quiſquam ſine ſtomacho eum legat. Ita ſe habet: *In Autores pene omnes*, Antiquos *potiſſimum*, CENSIO, *quâ receptiſſimorum plerorumque* Grammaticorum, Poëtarum, Hiſtoricorum, Dialecticorum, Rhetorum, Oratorum, Juriſconſultorum *veterum & recentiorum*, Mathematicorum, Medicorum & Theologorum *errata quædam deprehenduntur.* Talis tandem, idque ore & more plane blaſphemo, *Alphonſus* X. Caſtiliæ Rex, de quo autor eſt *Lipſius*, quod in tantam proruperit impudentiam, ut ipſiſſimum Deum in *Creationis* opere varia a ſe doceri potuiſſe conceptis verbis jactitaverit. Dicebat enim, *ſi Deo aſtitiſſet Cœlum componenti, & ſuas ſtellis ſcribenti periodos*, meliori conſilio *doctorum ſe fuiſſe, quo pacto illum ſuum laborem* ordinatius *digerere, & proportionibus mutuis* convenientius *aptare potuiſſet.* Effatum belluinum potius, imo diabolicum, quam regium!

Lipſ. Monit. Politic. tit. de Impietat.

Voet. Diſpp. Select. parr. 1. pag. 216.

Itan' lepidum ipſi viſum eſt ſcelus,
Jôvam ipſum ridere?

Quod quidem ſi Vir quidam doctus probè ex-

expendisset, Regem forte hunc hoc similive elogio nunquam condecorasset: *Quod Legibus fuerit deditissimus, omnium fere Populorum & Gentium de Legibus volumina evolverit, ac septem* Libros *pro æquitatis moderatione collegerit, ut & hominibus & Divino cultui necessaria singulis innotescerent.* Vel saltem, si aliunde illud hauserit (uti credibile est) homini usque adeo profano & impio, qui, dum *omnium Populorum de Legibus evolvisse volumina dicitur*, solum *Divinæ Legis* volumen videtur neglexisse, vel plane potius contempsisse, non nisi salutari quadam adjectâ clausulâ id unquam adscripsisset, uti prudenter in *Lexico* suo fecit Clar. *Hofmannus*, qui ut ut varia etiam Regis hujus præmisisset elogia, tandem tamen addit: *Cæterum a* reverentiâ Numinis *parum laudandus, si verâ sunt, quæ de eo Lipsius habet.* Quodsi enim eo, quo Rex hic ivit, procedendum sit pede, num jure metuendum est, ne hoc Hebræorum tandem reviviscat βδελυγμα, quo quidam eorum Deum, summum νομοθετην propriarum suarum Legum vix satis peritum fuisse, pertendere non dubitarunt? Legis enim de *Juvencâ rufâ*, quæ exstat Numer. 19. 2. &c. genuinum sensum tam spissis involutum tenebris fuisse volunt, ut sagacissimi Regis *Salomonis* non tantum effugerit sapientiam, sed ipse quoque Deus singulari opus habuerit *studio & diligentiâ*, ut rite eum assequeretur. Ipsa eorum verba exhibet *Theodoricus Hacspanius*, quæ sic Latine reddidit Clar. Spencerus: *Eâ horâ, quâ Moses ascen-*

Ridder. de Erudit. cap. 3. pag. 147.

Hofman. Lex. Univers. tom. 1. pag. 89. a.

Hacspan. Not. in libr. Nizac. cap. 1.

cendit in altum, invenit Deum ſtudentem *in illâ ſectione, quæ eſt de Vaccâ rufâ.* Vel no horridæ hæ Ethnicorum quorundam revocentur voces, quibus, *ne ſapientiæ virtutiſque* laudibus detrahi quicquam ſinerent, *tum* Deo ipſo non tantum comparare, ſed & *ſupra* Eum extollere eas inſtituerunt. Dicebant quippe, *ſapientes & virtute præditos DIs æquales eſſe; cum eis ex pari vivere; Jovem non plus poſſe, quam ſapientem: Virtutem Deum ipſum, quâ fas eſt, effingere; Deum ſapientem non vincere* felicitate, *etſi vitæ* ætate; *imò* (quod ſummum eſt) *eſſe aliquid, quo ſapiens ipſum* antecellat *Deum*; uti de ſeipſo ἄφρων hunc Principem gloriantem mox audivimus. Plane aliter ac Apulejus, qui *ſapientem* pediſſequum *& imitatorem* Dei dixit, *ipſumque* ſequi *Deum* arbitratus eſt. Siquidem ergo *inflati* hujuſmodi *vires* in eruditorum ſocietatem irruere auſint, quid eſt quod mireris, ſi Scriptores quivis alii, ipſiſcum comparati, negligantur plane & vileſcant? Eant etenim tum, horum ſimiliumque judicio, eant, inquam, cum omnibus antiquis *Patribus*; tot quoque e *Recentioribus* ſplendidiſſima Eccleſiarum Lumina *Calvini, Bezæ, Martyres, Junii, Merceri, Paræi, Marlorati, Muſculi, Zanchii, Riveti, Gomari, Spanhemii, Voetii, Gathakeri, Mareſii, Cocceji, Turettini*, quotquotque ſunt Theologorum *Practicorum* pia & ingenioſa Capita, quorum favillas Deo devotus deoſculatur Orbis, cumque ſuis *vivant*

Spencer. de Legib. Moſaic. lib. 2. cap. 15.

Seneca.

Wilhelm. de Philoſophiâ in genere Diſp. 17.

Apulej. de Philoſoph.

va-

valeantque nugis;

e contra ſtentoreâ exclametur voce,

o felicia tempora, quinam hos
Suffenos tanti nobis genuêre parentes!

Quæ enim viri hi *bombilii* tantâ fere jactant pompâ non nugamenta quædam ſunt, qualia pueris a nutrice aut aviâ cum crepitacillis in aurem ganniri ſolent, non apinæ, non in fabâ, hilum, in filice aquila, non glandes, nuces, curculiunculi; abſit (hæc enim ne titivillitio quidem emtitant) ſed grandiora multo & digniora habent, quæ ingenti ſe hiatu inveniſſe & e *Democriti* puteo eruiſſe gloriari in more habent. Cicilendrum eſt, & macides, cicimandrum, happalopſides, cataractria, & ſi quæ alia novæ ſcenæ condimenta dari forte poſſint. Jus ſuum non coquiunt, ut alii coqui, ὑψαλα φρονῶσι; id eſt, ut loquitur Statius, *altis gaudent*, vel *altigaudentes* ſunt; Divina, ut obtendunt, apponunt fercula, quibus e mortalibus immortales ſe facere poſſe ſperant, ferventi clamosâque audaciâ lucraturos ſe eſſe putantes, ne argui facile a tyrunculis & minus peritis poſſint. Verbo ut dicam, ſecretiora ſunt, quæ pandunt, quam quo priſci Doctores, vel veterum Scriptorum ulli aſſurgere unquam potuerunt:

Plaut. Pſeudol. Act. 3. ſcen. 2.

Stat. lib. 1. pag. m. 19.

Avia Pieridum paragrant loca, nullius unquam
Trita ſolo

ſive

ſive, uti apud *Flaccum* eſt, ne quicquam proferunt, niſi quod

inſigne recens adhuc,
Indictum ore alio.

Invehitur in tales *Minutius Felix* hiſce verbis: *Indignandum omnibus imo indo'eſcendum eſt, audire quoſdam, & hos ſtudiorum rudes, literarum prophanos, expertes artium, niſi ſordidarum, certum aliquid de* ſummâ *rerum ac* majeſtate *decernere, de quâ tot ſeculis ſectarum plurimarum uſque adhuc ipſa* Philoſophia *ſerio deliberat, nec immerito, cum tantum abſit ab exploratione Divinâ humana mediocritas, ut neque quæ ſupra nos Cælo ſuſpenſo ſublimata ſunt, neque quæ infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſciri ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut ſciſcitari religioſum. Et beati ſatis, ſatiſque prudentes jure videamur, ſi, ſecundum illud vetus ſapientis oraculum, noſmet ipſos familiariter noverimus.* Et ſimili zelo Arnobius: *Ecquid* (inquit) *ipſi penitus perſpicitis vos ipſos, ſiquando de rebus diſceptatis* obſcuris, *& ipſa, quæ dicitis, quæ aſſeveratis, quæ capitali plerumque contentione defenditis, neſcire, & unumquemque ſuſpiciones ſuas pro* probatis *&* comprehenſis *pertinaci obluctatione tutari?*

Minut. Felix in Octav. pag. m. 3.

Arnob. c. Gent. lib. 2. pag. m. 21.

II. Nec ſic immeritò laudati *Autores*, loco enim non lubrico tantum, ſed & ſumme periculoſo conſtituti ſunt, quotquot ſcientiæ doctrinæque ſuæ profunditate, ſui ſcilicet oſtentane dixerim an miracula, adeo dementari ſe ſinunt, ut ſumma

quæque de ingenio ſuo polliceri ſibi auſint, ſoloſque ſe mundi *Soles* eſſe exiſtiment, illuminandis obſcuris natos, & obtenebrandis nimiâ ſuâ luce ſplendidis, ſua quæque, quantumvis exigua, ſaltem modica tantum, maxima reputantes; adinſtar ſpeculi concavi, quod pro pilo truncum, pro culicibus *Pegaſos* reddere ſolet. Vix enim eſt, ut qui ita animati ſunt, juſtiſſimum Dei effugiant judicium, qui, uti *gratiam largitur humilibus*, ita ſemper *reſiſtit ſuperbis*. Sicuti enim *Literarius* hic *faſtus* (ut jam dictum eſt) pios aliorum conatus vileſcere paſſim facit, ita & *diſcipulos* in *Præceptores* ſuos *ingratiſſimos* fere reddit: *homine* quippe, juxta hoc *Micionis* apud Comicum,

Jac. 4. 6.

Terent. Adelph. 1. Scen. 2.

—— *Imperito nunquam quicquam* injuſtius,
Qui, niſi quod ipſe fecit, *nihil rectum putat.*

vel, uti Euripides,

Eurip. Glauco.

Βαρὺ τὸ φέρειν ἄκοσμος ἀνθρώπου κακόν.

Faſtus *mali hominis res eſt intolerabilis.*

Expertus id ab ipſo ſuo *Ariſtotele* eſt *Plato*, quem & *mulum* ideo vel *pullum* [πῶλον habet *Ælianus*] nonnunquam vocitabat, eo quod *mulus*, materno lacte ſaturatus, calcibus pulſare *matrem* ſuam ſoleat. *Ariſtoteles* enim, cum maxima Philoſophiæ ſuæ ſemina e *Platone* hauſiſſet, ſcholam

Ælian. Var. Hiſt. lib. 5. cap. 9.

ta-

tamen adversus ipsum aperuit, veteremque *Præceptorem*, cum discipulis partiariisque suis strenue oppugnavit. Idque, *uti visum nonnullis est*, juxta Plutarchum, *majori contendendi amore, quam* sapientiæ *studio, ut qui sibi proposuisset Philosophiam* Platonis *contemnere*. Licet ab aliis *Platoni* mortuo aram in Templo construxisse, statuamque ei consecrasse dicatur, cum hâc inscriptione: *Hunc esse Illum, quem probi omnes merito debeant mirari & commendare.* *Ammonius* habet:

Plutarch. Oper. Volum. 1. pag. m. 1115.

Ridd. de Erudit. cap. 14. p. 448.

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τὸ θεῖον Πλάτωνος
Ἀνδρὸς, ὃν οὐδὲ αἰνεῖν πᾶσι κατὰ θέμις

Ammon. Aristotel. Interpr.

Hæc ab Aristotele *est Divino erecta* Platoni
Ara, tibi quem laudare sceleste nefas.

Neque *Platoni* tantum, sed pluribus etiam aliis fors hæc obvenit: *Maximus Ægyptius*, Philosophus *Cynicus*, moribus barbarus, a *Nazianzeno* in doctrinâ Christianâ non tantum institutus, sed & in domesticam ejus consuetudinem receptus, mensæque ejus adhibitus, quin ejusdem operâ *Clericorum* numero tandem adscriptus, defectionem tamen ab eo molitus est, atroxque, insanus *sui admirator* factus, *Præceptori* suo bellum indixit non tantum, sed & intulit. Uti hujus etiam lineis institit *Brixius* ille, de quo *Aventinus* in *Bojorum* Annalibus, *Martini Turonensis* discipulus. Hic enim ab ipso *Martino* in Monasterio suo enutritus, cum non tantum dereliquit, sed

Magdenburgens. Cent. 4. cap. 10.

Aventin. Annal. Bojor.

cædem ex causâ multis iisque graviſſimis calumniis benefactorem ſuum laceravit. Haud gratior etiam in Præceptorem *Zwinglium* fuit *Hubmerus*, qui ab eo ſaniorique doctrinâ apoſtata factus, ejusque beneficio e magno periculo liberatus, *eam ipſi* (verba ſunt Melchioris Adami) *gratiam retulit, quam mundus ſolet. Tantis* quippe *calumniis Virum bene de ſe meritum onerare nebulo non deſtitit, ut* Apologiâ *fratribus ſatisfacere neceſſe habuerit.* Quinimo ipſe *Auguſtinus* Româ, ubi ante converſionem *Rhetoricam* docuerat, eo quod ab *ingratis* & *ſuperbientibus* ſuis *diſcipulis deſereretur*, ſeceſſionem meditari debuit. Et quid non a degeneribus *Diſcipulis* pati coactus fuit bonus *Melanchton*, ἀνὴρ, ſi quisquam, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, cui hoc a *Luthero* perhibitum eſt teſtimonium, quod *organon tot ſpiritus S. donis illuſtratum in Dei Eccleſiâ fuerit, quot Deus in nullum alium hominem, in hoc terrarum orbe viventem, ſuâ ætate contulerat.* Multis verbis hoc queritur *Martinus Hellingus*, ſupra laudatus. *Habuerat* (inquit) *D.* Philippus, *nunc ipſo* Nohe *contemtior, & quem pejus mortuo cane fax* Diſcipulorum *venenata perſequitur.* Et paulo poſt: *Satis* duriter exagitatus *eſt* Philippus *in hac vitâ adhuc ſuperſtes. Longe vero crudelius infeſtantur* cineres *ipſius, poſt beatiſſimam ejus ex hâc vitâ migrationem. Vix enim quisquam, ex maledicâ illâ* ingratorum diſcipulorum *catervâ, adeo ſtupido eſt ingenio, adeoque veræ laudis ac gloriæ expers, quin exiſtimet, ſibi futurum eſſe glorioſum, ſi ex proceriſſimâ arbore, jam in terram proſtratâ,* ramuſculum

Melch. Ad. in Vit. Theolog. Germ. pag. 30.

Helling. in Epiſtol. Dedicat. 1. Part. Obj. & Reſp. Melancht.

Pezel. ad 8. part. Obj. & Reſp. ejuſd.

Buchholcer. ad ann. 1546. & 1560. Ind. pag. 501.

lum *impune detrahat*, & Leonem *jacentem & mortuum conculcet*, & *vulnus ei infligat*. Hinc non invenuste in ipsum ὁ θεῖος Melanchton, *donec vixit*, *fuit in* Purgatorio: *post mortem dicitur in* Inferno; *in vitâ autem venturi seculi erit cum Deo in* æternâ *beatitudine*. Atque horum utinam hâc etiam ætate vestigia non pressisset *Martinus Schoockius*, Vir alioqui bene doctus, cum, παναοφίας suæ imaginatione inflatus, præceptorem suum optimum Clariss. *Voetium*, cui *se omnia debere*, publice antea professus erat, tam contumelioſe habuit, ut virulentis suis in eum invectivis eruditum orbem in stuporem pene egerit: quibusque adeo apud celeberr. Rivetum *ingrati Discipuli* elogium etiam meruit. Deplorare alicubi Philosophus hic videri voluit, quod orthodoxæ fidei adversarios, acriori certe censurâ non indignos, inclementius nonnunquam habuerit: *Ad me* (dicit) *quod lubens hic ad Dei gloriam profiteor, primis annis, quum stylum pro veritate orthodoxâ arriperem, & occurrere pro tenuitate ingenii, & cultus illius adversariis laborarem, tantum* ebullienti juventæ *musto tribuisse, ut præter necessitatem sæpe rutam pulegio prætulerim*. Sed si non stolida, plane saltem supererogatoria palinodia illa fuit. Quanto equidem melius tum sibi tum rei communi vir hic consuluisset si infandam suam, non in hæreticos, sed in ejusdem cultus consortes (ἀτεχνῶς imprimis) profusam virulentiam vel publice vel alio qualicunque modo condemnasset & retractasset! Plane aliter profecto, ac homines hi fecerunt, Hebræorum Magistri

Schoock. in Dedicat. Desperatiss. causæ Papat.

Rivet. Ep. privat. d. 10. Aug. 1645.

Schoock. de Bon. Ecclesiast. §. 4. cap. 16. pag. 706.

Schickard. de Iur. Reg. Hebr. cap. 4. §. 13.

discipulos suos monent; quorum hic expressissimus Canon est: *Quisquis a socio discit integrum caput, vel tractatum, imo versum unicum, aut litterulam, tenetur* honorem *ipsi deferre.* Notum etiam e *Laërtio* est, quo loco *præceptorem* suum *Aristotelem* habuerit Alexander M. οὐχ ἧττον ϑ πατρὸς ἠγαπᾶν dictitans, ὡς ϑ ἐκεῖνον μὲν ζῶν, ἀλλὰ τοῦτον ϑ καλῶς ζῶν. Uti & pro eximiâ felicitatis suæ parte habuit *Antoninus Pius* Imperator, quod a Catulo *præceptores suos prompte impenseque prædicare* doctus esset. Quos utique tanti fecit, ut aureas eorum imagines in larario suo habuerit, eorumque sepulchra, non aditu tantum, sed & hostiis floribusque nonnunquam honorârit. *Epaminondas* Lysi Tarentino Pythagoræo, quem *præceptorem* habebat, ita fuit deditus, ut adolescens tristem & severum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate antepositerit, neque prius eum a se dimiserit, quam doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in cæteris artibus. Imo vero, juxta *Senecam*, ne *Philosophi* quidem nomine dignus olim censebatur, *qui* Præceptores *suos, quorum beneficio vitiis se exuerat, non venerabatur.* Sed horum, inquam, omnium securi *Suffeni* nostri sunt, imò in contrarium potius eunt.

Antonin. P. de Reb. suis lib. 1. §. 13.

Quintilian. lib. 1. cap. 1.

Cornel. Nep. in Epaminond. pag. m. 224. 225.

Senec. Ep. 73.

III. Nihil etiam invenias, quod ad omnes mentis *errores*, imo crudissimas *hæreses* imbibendas paratiorem viam sternat, quam stolidus ac *Phaëtontæus* hic genius, ut in omnibus pene *hæresium* architectis & inventoribus plus quam manifestum

testum est. *Omnes hæretici* tument (inquit Tertullianus) *omnes scientiam pollicentur.* Et Augustinus: *Hæretici matrem iniquitatis suæ habent* superbiam, *dum semper* altiora *se scire jactitant, & in Ecclesiæ contumeliam debacchantur* De *Montano* habet Eusebius, quod lymphatus factus, subito in mentis obsessione & abalienatione constitutus, insaniverit, ἐν ἐνθουσιάσει ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτεύσας, *immodicâ* primi loci *cupiditate captus.* Idem de *Novato* testis est, quod in *hæresin* prolapsus sit *superbiâ* contra lapsos inflatus. De *Pelagio* iterum Augustinus: *quod tanto in pestilentiores iverit errores, quanto* præfidentius *suis viribus currere instituit.* Et de eodem Prosper: *Tantam firmitatem & tam sublime propositum, quâ impugnatione Diabolus potuit adoriri, nisi ut, quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret* laudis cupiditatem, *& inde novissima instrueretur tentatio, unde prima deceptio nocuit. Non itaque desidiosis & tepidis, neque inertibus nec incultis sed magis quibusdam animis sedulis, & bonorum actuum probitate luculentis per* gloriam *irrepsit* humanam; *& quos impulsione non movit,* elatione *dejecit.* Uti & de *Apollinari* Ruffinus: *Vir fuit in cæteris sane instructus, sed dum contentionis vitio nimis ageretur, & adversus omne quod quisque dixit, ire obvius delectaretur,* jactatione ingenii *male fortis,* hæresin *ex contentione generavit.* Neque aliter de eo *Nilus,* Chrysostomi discipulus, si alias nothæ ipsius *Epistolæ* non sint: *Tuis* (inquit) *ipse oculis inspexisti* Apollinarem, *in vitâ prudentem, veneranda senectute ingravescentem, sermone honorificum,*

Tertull. de Præscript. adv. Hæret. Oper. p. 111.

Augustin. in Hos. 2.

Euseb. H. E. lib. 5. cap. 16. & lib. 6. cap. 43.

Augustin. Ep. 52.

Prosp. Ep. ad Demetriad.

Ruffin. H. E. lib. 2. cap. 20.

Nilus in Biblioth. PP. pag. 234.

cum, *ab* Arrianis *per aliquod tempus perſecutionem paſſum*, *hic nihilominus a* Diabolo *ſeductus in* hæreſin *incidit*, *cum* intumeſcere *incepit*. Adde *Tatianum*, de quo Platina, quod *Vir licet doctiſſimus*, *ſui tamen opinione* inflatus, *novam poſtea* hæreſin *condiderit*, quam auxit deinceps *Severus*; unde ſectatores ejus *Severiani* dicti ſunt. De *Paulo* tandem *Samoſateno* (ut recentiores omnes mittam) nimis notum eſt, quod *turgeſcere* incipiens, mox altius quærere tribunal conatus ſit, negaritque *Dei Filium e Cœlo deſcendiſſe*, ſed *ipſum e Mariâ demum originem traxiſſe* aſſeruerit &c. Atque hinc tum turbæ, contentiones, conflictationes inter Eccleſias, Doctores, fratres ortæ; cum ne quidem quidquam aliud ad eas tum excitandas tum fovendas compoſitum ita ſit, ac *flatulenta* animorum hæc intemperies. Diſcere hoc eſt e præteriti temporis hiſtoriis: dant enim hæ *Phariſæos* ſapientiæ & ſanctitatis perſuaſione turgidos, primatum affectantes *Diſcipulos*, honoris æmulatione ſciſſos, *Simonem* mero faſtu Eccleſias turbantem, *Diotrephem* ex arrogantiâ fratres rejicientem, *Pſeudo-Apoſtolos* propria elogia prædicando vacillantium animos inquietantes, *Baſilidem*, *Carpocratem*, *Arium*, *Photinum*, *Manetem* &c. quos non niſi *ſapientiæ* vel *honoris* injuſta *affectatio* huc impulit. Quiuimo ex ipſiſſimo hoc fonte (quæ gravis *Richardi Baxteri*, Præſtantiſſimi Theologi, querela eſt) *plurium infelicium ingeniorum tota orta ruina eſt*, *quod nempe*, *dum nota & neceſſaria plane negligunt*, *aut ſenſualitate*, *aut vitiorum mole obruunt*,

Platin. de Vit. Pontif. pag. m. 42.

Niceph. lib. 6. cap. 20.

Baxter. Theolog. Methodic. part. 1. cap. 5.

obruunt, & absconditis inutilibus obnixe student, idque ingenio superbiente, *caliginis suæ non satis conscio, quando frustra se non patefacta quæsivisse comperiunt, fatigati & desperantes, de* certis *etiam &* necessariis *dubitent, & ipsam animorum* immortalitatem *tandem negent.*

IV. Quid etiam est, quod, quoad vitam pie beneque agendam, a Deo derelinqui ita homines facit, inque *prophanos* delabi *mores* sinit, quam idem insulsissimus hic tumor? *Theognis* alicubi

Theognid. Sentent. p. m. 2.

Ὕβρις τε Μάγνητας ἀπόλησε τε Κολοφῶνα,
Καὶ Σμύρνην; πάντος Κύρνε τε ὔμμας ὀλεῖ.

Injuria & Magnetas perdidit, & Colophonem.
Et Smyrnam: omnino Curne & vos perdet.

Ὕβριν quidam non per *injuriam* sed per *superbiam* ibi vertunt, iis olim tributam, qui propriâ ferocitate & *arrogantiâ* sibimet ipsis exitium arcessebant. Ipso hoc didicit eventu *Petrus Abaljardus*, infausti *Socini*, in erroribus præcipue *de Ratione humanâ in rebus fidei judice*, de impugnatâ *SS. Trinitate*, & negatâ Christi pro nobis *satisfactione*, præcursor, quem sic alicubi describit Bernardus: *Habemus in Francia novum de veteri magistro Theologum, qui ab ineunte ætate suâ in arte Dialecticâ lusit, & nunc in Scripturis Sanctis insanit.* Hunc quippe Deus ob parem animi *elationem* hâc mulctavit pœnâ, quod, cum vitæ alias esset satis compositæ, in *mores* po-

Erasm. Adag. Chiliad. 2. Centur. 2.

Bernard. Ep. 190.

Albajard. Ep. 1.

ſtea proruperit plane *libidinoſos* & flagitioſos. *Hinc* (ipſius *Abaljardi* verba ſunt) *calamitatum mearum exordia cœperunt, quod ſupra vires ætatis de* ingenio *meo* præſumens, *ad ſcholarum regimen adſpiraverim. Et quoniam proſperitas ſtultos inflat, & mundana tranquillitas vigorem enervat animi, & per carnales illecebras facile reſolvit, cum jam me* ſolum *intuendo* Philoſophum *ſupereſſe exiſtimarem, fræna libidini cœpi laxare, qui antea vixeram continentiſſime.* Scripſit ſic (NB) *Abaljardus*, poſtquam de felicitatis ſuæ faſtigio dejectus, Divinæ pietati (pœnitentiâ ſeriâ peractâ) fuit reſtitutus. Ipſum enim teterrimos ſuos errores retractaſſe, Librum de *Trinitate* propriis manibus flammis tradidiſſe, pieque deinceps tum vixiſſe, tum obiiſſe, utut quidam negent, plurimorum tamen favorabilior ſententia eſt.

Vit. Petr. Venerabil. Oper. ejus præmiſſ. tom. 2. pag. 813.

V. Taceo deplorandum in multiplicandâ ſcientiâ defectum, qui & conſequi *faſtum* hunc ſolet. *Prout* enim (ut bene hactenus habet in *Epiſtolâ* ad Celeberr. *Voetium*, nimis certe amarulentâ; Mathematicorum facile Princeps *Carteſius*) *vere eruditi nunquam* ſuperbiunt, *ſunt enim conſcii humanæ infirmitatis, & quæ ſciunt non magni æſtimant, ſed cogitant longe plura eſſe, quæ ignorant; ingenui paſſim ſunt, & dociles, ſemperque parati veritates ſibi nondum cognitas addiſcere*; ita ex adverſo quibus omnia ſua placent, imprimis juniores ſi ſint, juxta *Tatianum*, acquirendi meliora poteſtate ſe privant. Ipſa ejus verba ſic habent: τὸ αὐτῷ πᾶν ἀποδεχόμενον, χλήμα

Carteſ. Ep. ad Voet. p. 56.

Tat. contra Græc.

τος

τῶν πολυμετέρου πλουτοῦ ἐξουσίαν ἐχειρώσατο. Atque hinc meritissimò *Plutarchus*: Δεῖ τῶν νέων ἐκπνευμάτων μᾶλλον τὸ οἴημα ἐκ τῶν ἢ τῶν ἀσκῶν τὸν ἀέρα, τοῖς ἐγχέαι τι βουλομένοις χρήσιμον, εἰ δὲ μὴ γέμοντες ὄγκου ἐκ φυσήματος οὐ προσδέχονται. *Oportet ex adolescentibus opinionem* fastumque *exprimere magis, quam ex utribus aerem, quibus utile aliquid infunditur, aut infundere animus est, alioqui* fastu *flatuque referti non admittunt.* Τὴν οἴησιν vocat *Bias* apud *Laërtium*, προκοπῆς ἐγκοπὴν, id est, *opinionem* profectus *impedimentum*. Peregrinantium Studiosorum *Albo* (uti vulgo dicitur) nominatissimus Jurisconsultus, *Antonius Matthæus*, limatissimi Operis de *Criminibus* autor, nonnunquam inscribebat, ne modestiæ immemores essent, nec in studiorum progressu sisterentur, hoc *Senecæ* Philosophi: *Multi ad eruditionem venissent, nisi se eo jam pervenisse putassent. Albi* dum mentionem hic facio, nihil aliud per id intelligendum est, quam *libellus* e purâ & *albicante* chartâ consutus, in quem illustrium virorum nomina & olim referebantur, & etiamnum referuntur: *Album* peculiariter dictus allusione factâ ad *album Prætoris, album Judicis, album Citharœdorum* &c. quæ tabulæ olim erant *albis* literis notatæ: σανίδας λευκὰς vocat *Hesychius*: de quibus videri possunt *Seneca, Quintilianus, Suetonius*, &c. Nihil enim obesse magis currentibus vir hic Eruditissimus existimabat, quam quod eum se modo attigisse terminum *Studiosi* putent, a quo longissimè adhuc absunt. *Papinius Statius*, (de quo *Lipsius*:

Plutarch. de Auditiæ.

Laërt. lib. 4.

Senec. de Tranquill. Anim. cap. 1.

Senec. Ep. 49.

Quintilian. lib. 12. cap. 3.

Sueton. in Neron. cap. 20.

Quis

Lipſ. ad Edit. Bernardi.

Quis hic Papinius? *Poëta magnus*,
Vel dicam potius Poëta ſummus,
Certe proximus eſt Poëtæ ſummo,
Quod mecum fateatur ipſe Livor)

multo adhuc excellentior evaſiſſet vates, niſi *animi elatio* ipſi obſtitiſſet. De quo ſic Janus Parrhaſius: *Hæc ſola ſatis eſſe poſſunt ad ineundam rationem cultiſſimi Poëtæ, atque ingenioſiſſimi artificium. Neque enim ullus veterum aut recentiorum propius ad* Virgilianam majeſtatem *accedere valuit, etiam* propinquior *futurus, niſi tam* prope eſſe *voluiſſet: ſiquidem naturâ ſuâ* elatus, *ſicubi* excellere *conatus eſt, excrevit in tumorem.* Referunt quidam huc *Pauli* quoque locum Heb. 12. 1. Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, καὶ τὸν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. *Deponentes omne* pondus, *& circumſtans nos peccatum. decurramus propoſitum nobis certamen.* In „ quæ verba *Heinſius: Quidſi igitur* ὄγκος „ *hic* ὄγκος *ſit* φρονήματος *ſeu* arrogantia „ *&* faſtus? *id quod vulgo* φύσημα καὶ ὑπερηφανία *dicitur. Heſychius* ὄγκος, φύσημα, „ ὑπερηφανία. *Gloſſæ Stephani*, ὄγκος, „ tumor, ὀγκᾶμαι, *turgeo. Neque quicquam „ uſitatius, quam ut abſolute uſurpetur; ut „ cum Plutarchus*, ὄγκου καὶ φρονήματος γέμοντας, „ tumore *&* opinione de ſe *plenos perci- „ piendis* diſciplinis *inutiles eſſe dixit. Et „ certe, ut* ὄγκος (*qualis gravitas quæcunque*) *currentibus imprimis ac luctantibus „ obſtare ſolet, ita, ubi de* progreſſu *agi- „ tur, quæ voce hâc continetur, perſuaſio*

Heinſ. in N. T. pag. m. 579.

Gathaker. Adverſar. cap. 3. pag. m. 14. 15. &c.

grave

grave impedimentum est *ac molestum.* "Ογκος Vocis hujus compositum est ὑπέρογκος, quod talem quem notat, qui *summè tumidus* & *inflatus* est, non (uti *Vossius* in locum quendam *Dionysii Halicarnassæi* eam vertit) qui *supra modum sublimis* est. Apud *Pollucem* ut synonyma veniunt παμμέγεθες, ὑπερμέγεθες, ἐξαίσιον & ὑπέρογκον. *Judas* verbis applicat: Τὸ στόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα, *os eorum loquitur* tumida, id est, *turgida* & *gloriosa* dicta. Sive de *verbis* capias, sive de *personis*, omnes ὑπέρογκοι studiorum suorum profectui obsunt; atque hoc quidem magis, quo ὑπερογκότεροι & *turgidiores* sunt.

Cleric. Var. pag. m. 334.

Pollux Onomastic. lib. 3.

VI. Adde miserandum & ridiculum quorundam casum, qui propriâ antehac *opinione* in Cælum veluti sublati, subitoque inde deturbati, doctis tandem indoctisque ludibrium debuerunt. Vetus verbum est,

Ventosa risus *parens est jactantia.*

sive, ut dicit Phædrus:

Phædr. lib. 1. fab. 11.

Virtutis expers verbis jactans *gloriam.*
Ignotos fallit, notis est derisui.

Quam in rem adscribere libet hæc *Maphei Vegii*, antiqui *Scriptoris*, verba: *Si virum quempiam egregie doctum, egregieque in negotiis publicis exercitatum, atque ita sententiâ omnium probatum, cæterumque judicio suo multis, quibus inferiorem eum esse constat, se longe præferentem viderimus, errat hic graviter quidem, sed excusatione & venia di-*

Maph. Veg. de Persever. in Religion. lib. 3. cap. 22.

dignior videtur, quam qui literulis paucis mediocriter intinctus, in rebusque parum publicis, parum quoque privatis versatus, doctissimo sæpe cuique & prudentissimo putat jure merito vel comparandum, vel anteponendum. Nutritque secum eos cogitatus, ea verba profert, eo incessu atque gestu corporis movetur, ac si doctrina rerumque omnium experientia, despectis cæteris, *divino quodam consilio, in eum profluxisse videatur. Non est hoc errori* ulli *adscribendum, sed manifestæ magis* fatuitati *atque* stultitiæ. *Siqui autem (quod est omnium pessimum genus) cum neque literis, neque cognitione ullâ rerum & prudentiâ valeant, ita tamen loquantur, ita se palam omnibus exhibeant, ac si vel* Platonem *docentem, vel* Catonem *consultantem semper audierint, non jam fatui hi aut stulti, sed dementes omnino atque insani judicandi sunt; cujus tanti mali pernicies ita aperta in quibusdam apparet, ut & gestibus corporis, & communibus, qui habentur, sermonibus, manifeste quique eam in iis deprehendant:* *Irrisione* haud certe indignis, dum ipsi in causâ sunt, & a peritioribus exsibilari malle videntur, quam a minus peritis suique similibus non laudari. Tametsi sæpe ne apud eos quidem ipsos, a quibus laudari se alias putant, vix ullo in pretio sunt. Hinc *Martialis* ad Philomusum:

Martial. lib. 7. Ep. 76.

Nolito nimium tibi placere,
Delectas, Philomuse, non amaris.

Amittunt quippe quod habent, dum jactitare præsumunt quod non habent, ad instar illius

illius *Corvi*, de quo Apulejus: *Corvus, ut se vocalem præberet, quod solum deesse tantæ ejus formæ vulpes simulaverat*, crocitare *adortus, prædâ, quam ore gestabat, seductricem competivit.* Et Horatius: Apul. de Deo Socrat.

Sed tacitus *pasci si posset* corvus, *haberet*
Plus dapis, & rixæ multò minus invidiæque. Horat. Epist. lib. 2.

VII. Vera etenim & genuina eruditio solâ conscientiâ contenta est, neque multo strepitu & susurro gloriam ambit, sed trahit. Ficta omnia mendaciis gaudent, & fucum facere contendunt, qui ubi semel doctrinæ solidioris spiritu discussus fuerit, ilico, tanquam fulmine tactus concidit ostentator, jacetque exanime & sine sanguine corpus. Ut enim nullum simulatum diuturnum est, & tincta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, ita nihil magis evanidum, minusque durabile, quam eruditionis non medulla, sed σκίαμα tantum & larva. Eorum quippe, quibus Therapontigoni hujusmodi impostūram facere cogitant, alii *cordatiores* sunt, vecordes alii & *simpliciores*. Mox gravis & suspecta *cordatis* fugitivorum illa magnificentia est; hi enim cum pygopolinicem hunc vel illum magnâ voce pugnas & facinora sua cientem audiunt, mox, *nimium tinnis*, ajunt *non places*. Qui vero *simpliciores* sunt, hos quidem decipit aliquamdiu *Leo* ille *Cumanus*, terretque horribili quasi specie pavidos; verum ubi, detracto spolio, ad spe-

Lucian, in Piscat. speciem suam faciente, ad id, quod revera est, redierit, lascivi pueri aures barbamque ei vellicant, cogiturque miser Callipides, qui tam puerilitèr cristas suas antea erexerat, nisi prorsus forte depuduerit, *demittere* tandem

Horat, Sat. lib. 1. Satyr. 9. *auriculas ut iniquæ mentis asellus;*

Neque est quod hujus suæ stultitiæ maculam rite unquam eluat, sed, quicquid molitur,

Martial. lib. 7. Ep. 93. *Thaïs Thaïda semper olet.*

quadratque in eum quod *Asino*, pelle suâ induto, *Leo* olim in fabulâ dictitabat,

Avien. Fab. 5. *Forsitan ignotos, mutato nomine fallis;*
At mihi ceu quondam semper asellus *eris.*

Exemplo sit *Basius* ille Jurisconsultus, de quo referunt Viri Docti, quod tam inconsulti *tumoris* & furoris fuerit, ut *Alciatos*, *Cujacios*, *Hotomanos*, *Viglios*, quanta nomina! quibus certe matellam, porrigere indignus erat, altissimo præ se contempserit, *supercilio* gloriatusque sit, a *se solo* animadversum esse, quod multis jam seculis universos latuerat: Hæc *thrasonica* ejus verba erant: *Studiosus Lector hanc nostram doctrinam diligenter animo infigat, quia etsi* trecentos, *in* Doctorum *scriptis evolvendis palleret* annos, *nihil* simile *ac tam* solidum *in hâc materiâ est* de-

Ant. Matth. Orat. 10.

deprehenſurus. Nempe docendos a ſe heros ille putabat multis numeris ſe ſapientiores & doctiores. Υς τλὼ Ἀθήναν, *Sus Minervam!* bubo luſciniæ canit! At quis Thraſonis hujus exitus fuit? inglorius profecto & deplorabilis. Tam flagitioſe enim turpiterque ſuperiori ævo diſceſſit, ut jam lateat plane cum obſcuris viris, nec quicquam *Baſii* poſt rogum pene ſuperſit. Inflatiſſimo quippe huic homini, niſi plane ſaxeus fuerit, propria ſua jactantia *Tibulli* hoc portendere ſatis potuit, Tibull. lib. 2 Eleg. 4.

Eveniet tibi mors, neque erit, qui lugeat, *ullus,*
Nec qui det mœſtas munus in exequias.

Sic nempe ἰδιογνώμονες illi, famæ negotiores, infauſti Thaletes, male ſano auſu ſupra ſe rapti, tolli fere ſolent, vel ſe ipſos potius tollunt

in altum,
Ut lapſu graviore ruant. Claudian.

Quorumque conatibus, uti putabant, neque difficultas, neque arduitas, neque aſperitas ulla remoram facere poterat, quique pennis non homini datis, vacua experiri aëra tentant, dum altius iter agere laborant, pennarum vincula vicinia *Solis* ſolvi ſæpe ſentiunt, & ceris tabefactis, nudos quatientes lacertos, in aquas tandem præcipitatos ſe vident. Quare & hinc procul dubio eſt, quod ipſe *Jacobus Acontius*, (de quo jure quod de *Origene* dici ſolet, *ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo pejus*) Dav. Clerico Funambul. circ. fin.

licet humilioribus alias & *modestioribus* haudquaquam accensendus, ipsissimâ hâc consideratione Literatorum *superbiam* reprimere conatus sit. *Quoniam* (ait) *sensim irrepere in hominum parum attendentium animos* stulta *solet* confidentia, *eaque, ubi invaluit, præsertim siquidem populares aliqua adspirat aura, diffidentiæ locum relinquit nullum; illâ unâ ratione videntur ad* modestiam *revocari posse omnes, si* tantum *inspiciant, quam magnus fuerit in omni ætate numerus eorum, qui cum sibi de se summa omnia promisissent,* ridiculi *tamen præter modum evaserint.* Fuit hic *Acontius* (dicendum hoc verbo, ne nescias, quare ipsum cum *Origene* comparaverim) vir vere doctus, sed ingenii, ut acris quidem, ita & *elatioris* & justo liberalioris, quin a nescio quali scepticismo & indifferentismo in ipsam *Theologiam* introducendo, haudquaquam alieni, quod Tractatu suo de *Stratagematis Satanæ* testatum satis fecit, *libello* (Simone Goulartio judice) *omnium malorum pessimo.* Voetius ei adscribit, *quod vel imperite vel subdole communem confessionis conceptum molitus sit, sub cujus vexillo militari possunt & ipsi Ariani.* Committere hic etiam non possum, quin attexam quam festive *flatulentos* quosdam fungos (quibus nostros hos homines jure accenseas) olim etiam ostentui habuerit Imperator *Nero*; Historiam sic refert Theophilus Spizelius: *Erant qui fastu elationeque adeo essent* turgidi, *ut se Regibus pares esse putarent, ac prædicarēt. Hos* Nero *convivio adhibuit, ac super* utres sedere *fecit: dum ergo illi accumbentes, & quasi* utres

Acont. Ep. ad Wolf. de edendor. libr. ratione.

Grafer. Præfat. ad Tr. de Stratagem. Satan.

Trigland. Hist. Eccles. pag. 322.

Voet. Polit. Eccles. part. III. in Indic. & pag. 31. & 398.

Spizel. Felix Liter. pag. 259.

utres utribus *insidentes, sedibus suis magis* intumescerent, *quod sic honorarentur ab* Imperatore, *ministri*, Neronis *jussu*, utres *illos acu perforabant, ita ut* inflati *turgidique illi homunciones*, utribus *aëre evacuatis, humi se prostratos, non sine* Imperatoris *aliorumque gaudio deprehenderent.*

O! utres *animi sensus quos inflat inanis:*
Spectatum admissi risum teneatis amici! Horat. de Art. Poëtic. vers. 5.

licet forte ne quidem ἀγέλαστος ille *Crassus* id fecerit, qui alias semel tantum in vitâ risisse dicitur; nec *Julius* ille *Saturninus*, qui nullo unquam cujusquam commento ad ridendum solvi potuit; imo ne ipse quidem *Heraclitus*, quem semper flevisse ferunt. Adhibuit forte oblectamenti hoc genus Nero *saltationis in utres* vice, in conviviis *Baccho* dicatis olim usurpatæ; per ἀσκωλιάζειν id efferebant. Ludos ipsos ἀσκώλια dicebant, ab ἀσκός, quod *utrem* significat. *Eubulus* apud *Aristophanis* Interpretem: Καὶ πρὸς γε τοῦτο ἀσκὸν εἰς μέσον καταθέντες εἰσάλλεσθαι καὶ καγχάζετε ἐπὶ τοῖς καταῤῥέουσιν. *Quare* utrem *in medio collocantes*, saltate, *& eos, qui humi ceciderint, cachinnis prosequimini.* Plenius Mercurialis: *Erant quoque, qui supra* utres *oleo unctos & vino plenos pedibus saltarent; inter quos victores ii censebantur, qui ita dextre se gerebant, ut præ lubricitate humi non caderent: atque hi pro victoriæ præmio* utrem *cum vino ferebant: qui vero terram* natibus *percutiebant, non sine magnâ voluptate spectatoribus* risum *movebant.* Spectat huc etiam id *Virgilii:*

Aristophan. Scholiast. in Plut. pag. 52.

Mercurial. Art. Gymnast. lib. 2. cap. 11.

Virgil. Georg. 2.

atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliêre *per utres.*

Tutior hoc ludo Græcis *Bauciſmus* ſuus fuit, qui ſaltationis ratio quidem erat Jonica, mollis & laſciva, a *Bauco* ſaltatore ſic dicta, vel potius ἀπὸ τῶν βαυκιζμῶν, id eſt, *crepidis*, quibus induti ſaltatores erant (Noſtrates dicunt *Pantoffels*) ſed cum minori in terram procidendi, ſeque ludibrio ſpectatoribus exponendi periculo conjuncta. Crepidæ enim illæ *ſuber*, id eſt, corticem quendam craſſum, ſcabrum ac valde rimoſum [*cork*] ſubſutum habebant, qui uti calceamenta leviora, ita & ſaltatores, minus quippe lubricus, caſui minus obnoxios reddebat. Ut neque minus facetum eſt, quod in ſui pleniſſimum *Attalum*, ſe nihil non eſſe ac poſſe jactitantem, *Martialis* olim luſit:

Scalig. Poëtic. lib. 1. cap. 18.

Martial. lib. 2. Epigr. 67.

Declamas belle, cauſas agis, Attale, *belle*,
Hiſtorias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos, Epigrammata belle:
Bellus Grammaticus, bellus es Aſtrologus,
Et belle cantas, & ſaltas, Attale, *belle*,
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam, quid ſis, magnus es Ardelio.

Imovero caveant ſibi hujusmodi *utres*, ne rideantur exſibilenturque tantum aliquatenus

a

nasutioribus (quæ levis & transitoria calamitas est) sed ne & omnimode tandem frangantur ac rumpantur, id est, sibi in plenariam perniciem *tumor* suus cedat; ad instar *anguium* illorum *inflatorum*, de quibus credidit Antiquitas, quod veneficarum incantationes ita intumescere eos fecerint, ut prorsus dissilirent. Virgilius: Gevart. in Papin. Sylv. lib. 1. cap. 3.

Frigidus in pratis cantando *rumpitur* anguis. Virgil. Elog. 7.

& Ovidius:

Vipereas rumpo *verbis &* carmine *fauces.* Ovid. Metamorphos. 7.

Utebantur eum in finem veneficæ *verborum fremore*, ut est apud *Arnobium*, id est, in *incantationibus* suis stridebant, & teralia sua carmina *immurmurabant*. Iterum Ovidius: Arnob. c. Gent. lib. 1.

Ter novies carmen magico demurmurat *ore.* Ovid. Metamorph. 14.

Quod ne sibi noceret, dicuntur *angues aures suas obturasse*, juxta locum Hymnographi Psalm. 58. 5. 6. *Venenum est ipsis simile veneno serpentis: sicut aspidis surdæ*, obturanti aurem suam, *ne mussitantium vocem audiat, & divini* incantationum *periti*. Faciebat id, uti observant Theologi, *aspis surda* alterutro hoc modo, *vel* quod recaneret, id est, contrario sibilo *incantationem* repelleret & retorqueret; *vel* quod haud magis eâ afficeretur, quam si vel *surda* Rochart. Hiero-Zoic. part. 2. lib. 3. cap. 6.

plane esset, & obtusis auribus. Atque hoc *posteriori* sensu phrasis hæc etiam de *hominibus* usurpatur. Ita vir pius dicitur *aurem obturare, ne cædes audiat.* Es. 33. 15. & qui immisericors in pauperes est, *aurem obturare a clamore pauperis.* Prov. 21. 13. hoc est, tam parum eo moveri, acsi non audiret: pariter ac de Æneâ habet Virgilius:

Virgil. Æneid. 4.

Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.

VIII. Neque fidem mereri sui hos tibicines temere credas, si forte obtendant, se istiusmodi invidiæ non esse, ut *soli* æstimari, ac non nisi *sua* legi velint; e contra se quosvis alios sibimet ipsis multis nùmeris anteferre, ac facillime herbam porrigere posse &c. Palpum enim sic loquentes tantum obtrudunt, quoniam facto contraria ut plurimum protestatio illa est, & *verba sua, factis deficientibus,* erubescere faciunt, ut alicubi *Tertullianus.* Quorsum enim tum est, quod tot præstantium & piissimorum Virorum utilissimos *conatus* tam contumeliose & contemptim fere exagitent, magnisque eorum nominibus oppedant? Quid infectatione illiusmodi intendere aliud censendi sunt, quam ut (quemadmodum supra de *Novaturientibus* etiam diximus) aliorum laboribus submotis, propriarum mercium turpe monopolium exerceant, majorique cum lucro & applausu paleas & cucurbitas suas extrudant? verborum procul dubio *M. Gregorii* vel nescii plane, vel saltem obliti, quibus E-

Gregor. lib. 4. Ep. 36.

pis-

piſcopos *Alexandrinum* & *Antiochenum* olim affatus eſt. *Abſit hoc, abſit a Chriſtianâ mente, id ſibi velle quemquam arripere, unde* Fratrum *ſuorum honorem* imminuere *vel quantulâcunque parte videatur.* Atque hoc quidem utcunque petulantiſſime nonnunquam a quibuſdam fiat, haud raro tamen, non tam cum Scriptorum, quos invadunt, quam *proprii nominis* & exiſtimationis diſpendio conjunctum eſt; ut; ex hoc *Nicolai Volani*, eximii cætera *Poëtæ*, exemplo ſat manifeſtum eſt: Hic etenim cum conſimilem *cenſuræ* maledicæ *gladium* in eruditiſſimos *& celeberrimos quoſdam Viros*, Dantem, Petrarcham *&c. diſtrinxiſſet, eosque partim ut* hebetes *&* tardos, *partim ut* rudes, humiles, inornatos *&* abjectos *exploſiſſet, omneque ingenium ad* eripiendam gloriæ coronam, *capitibus ipſorum impendentem adhibuiſſet, graviſſimæ reprehenſionis probrum apud univerſam eruditorum Italorum nationem & ipſe incurrit, ac irreparabilem famæ, ac* propriæ exiſtimationis *jacturam ſubiit.* Scilicet, ut dixi, quam plurimis hoc *Tzoaris* nimium in ore eſt, *Non reſpondebitur, tacebunt omnes, non eſt, qui pudefaciat*; ſed quibus jure optimo reponas, quod olim apud *Philemonem* Comicum ventoſo cuidam homini oggerebatur: Iob 11. 2. 3.

Σὺ γὰρ τίς ἐσσίν; εἰπέ μοι παῤῥησίᾳ.
Σὺ λαλεῖς ἐν ἀνθρώποισιν, οὐκ ἄνθρωπος ὤν;
Τὸ δ' ὅλον περιπαθεῖς; ἢ τὸν αὐτὸν ἄερα
Ἑτέροις σαυέλκεις, εἰπέ μοι, τοιοῦτος ὤν.

Philem. Com. ap. Gathak. in Not. ad Antonin. p. 328.

Effare nobis libere, quem te putas?

Loquerisne hominibus ipse non homo, sed tenens
Orbem sub pedibus? an communi vesceris
Aurâ nobiscum? qui te tam magni *facis?*

vel hoc sanctissimi Jobi: *Nempe vos estis populus, & vobiscum morietur sapientia.* Job 12. 2. Quæ verba piissime sic παραφράζει Celeberrimus noster Coccejus: *Non est* (inquit) *dubitare fas, quin ita sit, quia vos dicitis, nam & vos estis populus, & vobiscum morietur sapientia.* q. d. soli *sapitis, &* solis vobis *mysteria Dei revelata sunt. Similiter objurgat* Corinthios *Apostolus* 1 *Cor.* 14. 36. Aut a *vobis* sermo Dei egressus est? aut ad *vos solos* pervenit? *Non debet quisquam* φιλαυτίᾳ, αὐθαδείᾳ, *& suæ* opinione sapientiæ *esse suffarcinatus,* ut putet οἶος πεπνύσθαι τοὺς δὲ σκιὰς ἀΐσσειν, *solos se sapere, alios vero umbras vagari. Potest fieri, ut* tibi quicquam *revelatum sit, noli id tanti facere, ut te* solum *audiri, te* solum *prædicari æstimarique postules.* Potest *enim &* sedenti aliquid revelari 1 *Cor.* 14. 30. *& forte melius majusque, quam quod tu nosti, quodque tu tacitus, si sapias, audias & discas.* Optime Avienus:

Coccej. in Job 12. 2.

Avien. Fabul. 15.

Si quâdam virtute *nites, ne* despice *quenquam,*
Ex aliâ quâdam forsan & ille nitet.

Et Cyprianus: *Nostra ne pertinacius amemus, sed quæ aliquando a* Fratribus *&* Collegis *utiliter & salutariter suggeruntur, ipsi potius amplectamur.* Quodsi enim contra-

Cyprian. Ep. ad Quintin.

trariam calcare viam quis velit, habet certe quod dubitet, an *scientia* sua, quam jactat, vere Divina, spiritualis, & salutaris quidem sit. Apostoli saltem verba 1 Cor. 8. 2. tali cognitioni minus favent: ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. *Scientia* inflat, *charitas ædificat.* Prov. 3. 2, 3.

IX. Multo proinde laudabilius, quam *turgescentia* hujuscemodi capita, inter Antiquos inclaruit' (nc *Augustinos, Ignatios, Hieronymos, Justinos Martyres, Irenæos, Cyprianos* aliosque memorem) *Hilarius Pictaviensis* (distinguendus enim hic ab *Hilario Romano* & *Arelatensi*) dum, licet *eloquentiæ Latinæ Rhodanus*, Latinique sermonis *tuba* Hieronymo *non tantum* dictus, sed & *tanquam vitâ doctrinâque divinus, in dignoscendis hæreticorum imposturis & versutiis acutus, exercitatus, & ad persuadendum commodissimus* a quibusvis deprædicaretur, adeo tamen abjectè de seipso sensit, ut *imperitissimum* omnium *sese & indoctissimum* dixerit. Fidem pene superant, quæ de stupendâ *Ferrandi Cordubensis* eruditione refert *Bzovius*: Artium, Medicinæ & Theologiæ Doctor fuit; universam *Parisiorum* schòlam mirabili suâ scientiâ in stuporem vertit; erat enim in omni facultate Scripturarum doctissimus, vitâ & conversatione honestissimus; memoriâ tenuit tota *Biblia, Nicolaum de Lyrâ*, scripta *S. Thomæ Aquinatis, Alexandri Ales, Johannis Schotti, Bonaventuræ*, & aliorum in Theologiâ complurium; Decretum quoque & omnes utriusque *Juris* Libros; & in Medicinis *Avicennam, Ga-*

Magdeburgens. Tom. 2. Centur. 2. cap. 13.

Hieronym. Apol. cont. Ruffin.

Lasit. de Gest. Franc. lib. 6.

Hilar. lib. de Synod. c. Arian.

Bzov. ad Ann. 1501.

lenum, Hippocratem, & *Aristotelem,* omnesque Philosophiæ & Metaphysices libros & Commentarios ad unguem memoriâ retinebat. In allegando fuit promptus, in disputando acutus, a nullo unquam superatus. Linguas denique *Hebraicam, Græcam, Latinam, Chaldaicam* perfecte legebat, scribebat, ac intelligebat. *Romam* a Rege Castellæ missus Orator, in omnibus *Italiæ Galliæque* gymnasiis publice disputavit, convicit omnes, ipse a nemine unquam convictus. At quid jam? an Vir tantus, tot disciplinis perpolitus, cristas ideo erexit? an populari non tantum aurâ, sed & *Eruditorum* communi calculo adeo erectus & evectus, Cœlum se scalpere existimavit, aliosque præ se omnes contempsit? absit; e contra (quo testimonio dignatur ipsum Hottingerus) *non arrogans & superbus, sed* humilis *multum & reverentiâ plenus fuit.* Cum *Erasmus* symboli vice (ut nonnulli interpretabantur) sibi sumpsisset hæc verba CONCEDO NULLI, ejusque æmuli intolerabilem boni Viri *arrogantiam* inde colligendam esse obtenderent, nullâ non virium contentione laboravit, ut amoliretur a se illam invidiam, & ἀντικειμένους suos, nec verba illa *mentis* ullam *elationem* respicere, nec se lue illâ coinquinatum esse, plane convinceret: *Qui me* (inquit) *propius ex convictu familiari noverunt, quidvis mihi tribuent potius, quam* arrogantiam; *neque fatebuntur propiorem illi Socratico,* Hoc unum scio, me nihil scire, *quam huic* concedo nulli. *Sed fingant animum tam insolentem esse mihi, ut memet omnibus antepo-*

Hotting. H. E. part. 5. pag. m. 115.

Erasm. Ep. ad Alphons. Valdes.

nam

nam, etiamne tam ſtultum exiſtimant, ut id ſymbolo *profiterer? Siquid habeant Chriſtianæ mentis, interpretarentur illa verba aut non eſſe mea, aut aliam habere ſententiam*, &c. *Vident illic ſculptam imaginem, inferne ſaxum, ſuperne juvenem capillis volitantibus. An hæc habent aliquid Eraſmi? Id ſi parum eſt, vident in ipſo ſaxo expreſſum* Terminus, *in quam dictionem ſi deſinas, verſus erit Jambicus dimeter acatalectus*, concedo nulli Terminus; *ſi hinc incipias erit dimeter trochaicus acatalectus*, Terminus concedo nulli. *Quidſi pinxiſſem leonem, & addidiſſem ſymboli loco*, Fuge, ni mavis diſcerpi, *num hæc verba mihi tribuerentur pro Leone? Nam ſimilior Leoni ſum, quam ſaxo, ni fallor.* Cæterum erudite de *ſymboli* illius ſenſu & origine in ſequentibus diſſerit, quæ non adducimus: ſufficiunt hæc ad demonſtrandum, quam longe tantæ licet eruditionis veluti promptuarium, quale *Eraſmus* fuit, ab omni tamen animi *tumore* abfuerit. Neque alia mens hoc etiam ſeculo *Samueli Bocharto* & *Johanni Coccejo*, ſæpius laudatis fuit. Quorum ille, eruditionis licet abyſſus adeo tamen *propriæ opinionis* & æſtimationis expers fuit, ut haud ſemel commiſſos in Scriptis ſuis errores publicè ſit profeſſus: *Ingenue agnoſco* (dicit inter alia Geograph. Sacr. lib. 2. cap. 14.) *nos in iis erraſſe, quæ de* Caſpiis *portis & Niſæo campo diximus.* Adeo ut ſummo jure *Apulejanum* hoc convenire Viro huic dixeris, quod inter doctos *nobiliſſimus*, inter nobiles *doctiſſimus*, inter utrosque *optimus*, &, quod me-

Manl. Collectan. tom. 2. pag. 294.

Bochart. Phaleg. lib. 2. cap. 14. pag. m. 108.

merito addas, inter omnes *modestissimus* fuerit. Hic [Coccejus] *Philologorum* utut Aquila (neque enim ipsa invidia negare ipsi elogium ausit, quo abhinc quinquaginta annos, & quod excurrit, eum decoravit *Sixtinus Amama*: Ipsum *divinitus excitatum esse* dicens, *ad provehenda altius linguarum Orientalium studia, & reseranda nobis* Judæorum *sacraria. Nullum enim Christianorum tantum in* Thalmudicis *unquam præstitisse, quantum ille in eruditissimo (de quo non nisi eruditissimi judicabunt) scripto.* Hic, inquam *in Postloquio* Libb. *Sanhedrin* suffixo, non tantum dixit, *neque diffiteor fieri posse, ut utilia quædam hoc primo conamine nostro ne agnita quidem sint:* sed & ipsis addidit verbis: *Illud ingenue profiteor, in quibusdam me, cum putarem me sensum illorum percepisse, hallucinatum & lapsum esse.* Sic quidem absque involucro, & candide. *animæ* illæ,

Amam. Ep. ad Martin.

Horat. Satyr. 5.

quales neque candidiores
Terra tulit.

Nihil enim quibusvis modestis ingeniis exploratius est, quam δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας εἶναι, id est, *secundas curas prudentiores esse*, mentisque humanæ vim usque adeo esse circumscriptam, ut omnia videre non possit omni tempore, imo haud multa eorum, quæ antea probavit, post accuratius institutum examen, improbare postea, imo prorsus rejicere necesse sæpe habeat. Neque enim *levitas est*, ut loquitur Seneca) *a cognito & damnato errore discedere; verum*

Eurid. in Hyppolit.

Senec. de Benefic. lib. 4. cap. 38.

in-

ingenue fatendum est: aliud putavi, deceptus sum; *Hæc vero* superbæ *stultitiæ petulantia est*, quod semel dixi, qualecunque est, fixum *ratumque* sit: Imo, juxta *Aristotelem*, δεῖ ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τ ἀληθείας & τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, *oportet veritatis conservandæ causâ etiam nostra ipsorum verba aliquando evertere.* Neque cum existimationis propriæ dispendio conjunctum id esse quis credat, cum *pudor* (Ambrosio judice) *esse nunquam possit ad meliora transisse.* Et (inquit Augustinus) *Ne quisquam* nisi imprudens, *ideo quia errata mea reprehendo, me reprehendet.* Adeoque quis esse potest, qui *Scriptoribus* quibusvis generosis consultum esse non duxerit, non tam multa, magno *verborum* apparatu adhibito, de *semetipsis* narrare & jactitare, quam ipsissimo *opere*, quæ verbis illis indicata aliis volunt, præstare; sive non tam solidos ingenti susurro e clibano boves promittere, quam oves imitari *Epictetianas*, quæ quantum comederant, non tam inutilibus balatibus pastori suo prædicabant, quam re ipsâ pinguedine, lanâ ac fœtu suo demonstrabant. Sic de iis Philosophorum hoc decus: Τὰ πρόβατα οὐ χόρτον φέροντα τοῖς πόιμεσιν ἐπιδεικνύει πόσον ἔφαγε, ἀλλὰ τ νομὴν ἔσω πέψαντα, ἔριον ἔξω φέρει & γάλα. *Oves non fœnum opilionibus afferunt, neque demonstrant, quantum comederint, sed pastu intra se concocto, extra ferunt lanam & lac.* Est hoc ἀπιφάνως, eruditum esse; cujus contrarium est τὸ φαντασιοπλήκτως ἐπιδείκνυσθ. Multo etenim (*Nazianzeno* judice) *præstantior pulchritudo est, quæ oculis cernitur,*

Aristol. Ethic. lib. 1. cap. 4.

Ambros. Ep. 31.

August. Retract. in Præfat.

Epictet. Enchirid. cap. 69.

quam

quam quæ calamo *vel* sermone *pingitur*, *& divitiæ*, *quas* manus *tenent*, *quam quas* somnia *effingunt*, *& sapientia quæ per* opera *demonstratur*, *quam quæ* sermone *vel* stylo *nitet & splendescit.* Sequi scribentem non appeti gloria debet; nam & id ipsum, quod magnificum alias est, ipso, qui gessit, prædicante, prorsus fere evanescit. Ex adverso

Nazianz. Orat. 15.

Κέρδιον δ' φρονεῖν, μὴ δοκεῖν φρονεῖν.

utilissimum est,

Minime videri *sapere*, *cum sapias tamen.*

Æschyl. Prometh.

ut inquit *Æschylus.*

X. Vel quemnam adeo emotæ mentis esse credideris, ut cum dictis eorumque similibus Heroibus, modestiæ laude Christiano Orbi innotescere non malit, quam tam contumelioso in *Annalibus* notari stigmate, quali *Andreas Osiander*, Vir alias (*Camerario* teste) *naturâ & ingenio excellente*, sed ut opinionibus, ita & *moribus* levis; quotiescunque enim (narrat hoc de eo *Calvinus*) vinum suave & generosum laudare volebat, has in ore habuit voces: *Ego sum*, *qui sum*, item *hic est filius Dei vivi*, *quæ manifesta prodiderunt ludibria*) insignitus apparet: nempe quod *suas* opiniones plurimi *alierum* flocci fere fecerit; quinimo rogatus aliquando obnixe a *Johanne Laurentio*, ut cum aliis Theologis super suâ, *de Justificatione peccatoris per essentialem Dei justitiam* sententiâ placide conferret, indignabunde responderit: *satis se jam* Asinis

Camerar. in Vit. Melanchton.

Calvin. in Ep. ad Melanchton.

illis

illis fecisse, indignis, qui calceos suos portarent. A quâ dicendi amarulentiâ, intolerandâque ἀλαζονείᾳ haud procul etiam abit dicterium, quod qui res in doctrinâ disciplinisque *novas* moliuntur, cum de νεοσοφίας suæ arcanis loquuntur, in ore fere habent: *De his non gustabit asinus*, alludentes forte ad vetus dictum: οὐδεὶς κακὸς εἴσεται τοῦτο. *Nullus malus hoc sciet*; vel, uti apud *Platonem* est, οὐ πᾶς ὗς τοῦτο εἴσεται. *Non sus quivis hoc nôrit*; vel quod nimis certe prophanum foret, ad ipsa Scripturæ verba, Ps 92. 7. *Vir brutus non agnoscit, & stultus non animadvertit illud.* Sic juxta *Timonem*,

Lat. Compend. Hist. Universal. pag. 4.

Casel. in Observat. ad Cebet. Tabul.

Plat. in Lachet.

Πολυμαθημοσύνῃ τῇ οὐ κενεώτερον οὐδέν,

Multiscientiâ (imaginariâ scil.) *haud quicquam vanius extat.*

Sive, uti *Sophocles*:

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἡ φρονεῖν μόνος δοκεῖ
Ἡ γλῶσσαν ἢν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
Ὅτι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί.

Sophocl. Antigon.

Quisquis ille est, sapere *qui se* unice,
Mentem linguamque sibi aliam, quam aliis putat,
Hos si explices, vanissimos *deprehendes.*

Omnes enim & omnia contemnere solent quotquot se ipsos contemnere non didicerunt: quod quidem *posterius* ut commendatissimum, ita *prius* Scriptori cuivis Chri-

quam quæ calamo *vel* sermone *pingitur*, *& divitiæ*, *quas* manus *tenent*, *quam quas* somnia *effingunt*, *& sapientia quæ per* opera *demonstratur*, *quam quæ* sermone *vel* stylo *nitet & splendescit.* Sequi scribentem non appeti gloria debet; nam & id ipsum, quod magnificum alias est, ipso, qui gessit, prædicante, prorsus fere evanescit. Ex adverso

Nazianz. Orat. 15.

Κέρδιον δ' φρονεῖν, μὴ δοκεῖν φρονεῖν.

utilissimum est,

Minime videri *sapere*, *cum sapias tamen.*

Æschyl. Prometh.

ut inquit *Æschylus.*

X. Vel quemnam adeo emotæ mentis esse credideris, ut cum dictis eorumque similibus Heroibus, modestiæ laude Christiano Orbi innotescere non malit, quam tam contumelioso in *Annalibus* notari stigmate, quali *Andreas Osiander*, Vir alias (*Camerario* teste) *naturâ & ingenio excellente*, sed ut opinionibus, ita & *moribus* levis; quotiescunque enim (narrat hoc de eo *Calvinus*) vinum suave & generosum laudare volebat, has in ore habuit voces: *Ego sum*, *qui sum*, item *hic est filius Dei vivi*, *quæ manifesta prodiderunt ludibria*) insignitus apparet: nempe quod *suas* opiniones plurimi *aliorum* flocci fere fecerit; quinimo rogatus aliquando obnixe a *Johanne Laurentio*, ut cum aliis Theologis super suâ, *de Justificatione peccatoris per essentialem Dei justitiam* sententiâ placide conferret, indignabunde responderit: *satis se jam* Asinis

Camerar. in Vit. Melanchton.

Calvin. in Ep. ad Melanchton.

illis

illis fecisse, indignis, qui calceos suos portarent. A quâ dicendi amarulentiâ, intolerandâque ἀλαζονείᾳ haud procul etiam abit dicterium, quod qui res in doctrinâ disciplinisque *novas* moliuntur, cum de νεοσοφίας suæ arcanis loquuntur, in ore fere habent: *De his non gustabit asinus*, alludentes forte ad vetus dictum: οὐδεὶς κακὸς εἴσεται τοῦτο. *Nullus malus hoc sciet*; vel, uti apud *Platonem* est, οὐ πᾶς ὗς τοῦτο εἴσεται. *Non sus quivis hoc nôrit*; vel quod nimis certe prophanum foret, ad ipsa Scripturæ verba, Ps 92.7. *Vir brutus non agnoscit, & stultus non animadvertit illud.* Sic juxta *Timonem*,

Lat. Compend. Hist. Universal. pag. 4.

Casel. in Observat. ad Cebet. Tabul.

Plat. in Lachet.

Πολυμαθημοσύνῃ τῇ οὐ κενεώτερον οὐδέν,

Multiscientiâ (imaginariâ scil.) *haud quicquam vanius extat.*

Sive, uti *Sophocles*:

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἡ φρονεῖν μόνος διόκει
Ἡ γλῶσσαν ἢν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
Ὅτι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί.

Sophocl. Antigon.

Quisquis ille est, sapere *qui se* unice,
Mentem linguamque sibi aliam, quam aliis putat,
Hos si explices, vanissimos *deprehendes.*

Omnes enim & omnia contemnere solent quotquot se ipsos contemnere non didicerunt: quod quidem *posterius* ut commendatissimum, ita *prius* Scriptori cuivis Chri-

Christiano invisissimum esse oportet. Quinimo operæ sane pretium fecerit Scriptor, qui piè procedere hic vult, si omni propriæ excellentiæ opinione ejuratâ, hâc similive *supplicatione* coram Deo, omnis genuinæ sapientiæ largitore, nonnunquam se sistat, opemque ejus adversus animi sui *tumorem* optimo cuique etiam invito facile surrepentem, obnixe imploret: „O bone Deus! aperi oculos meos, ut „ videre possim id, quod *honorem* vocant homines, nil nisi purum putum „ *nihil* esse, eumque qui id sectetur, solâ „ *imagine* delectari, merâque veluti *umbrâ* semet ipsum titillare. Adeoque inter omnes *honores*, hominumque, si „ qui mihi obtingant, *applausus* honoratam *statuam* me tantum fac, cui qui „ laudes accinere velit, insipiens, vel „ psittacus tantum esse videatur. Tuâ „ etiam gratiâ fiat, ut Satanam *superbientem* e Cælo deturbatum, Protoplastos, „ *altiora spirantes*, e summâ felicitate in extremam miseriam conjectos, tristes „ item omnium *elatorum* ruinas, horrendas tragœdias, in ipso Ecclesiæ proscenio olim peractas, totque illustria ejus „ sidera, solo *fastu* procurante, de Cœlo lapsa, & in meros ignes fatuos transmutata esse, subinde in animum mihi „ revocem, vixque unquam oculorum „ meorum aciem in eos conjiciam homines, quos doctrinâ vel scriptione *prævertisse* me putem, sed in eos potius „ qui longissime *a tergo me* semper reliquerunt. Sique cristas qualis qualis mea cru-

eruditio nonnunquam erigat; ad eos " continuo ſpectem, quibuſcum comparatus, " vel nihil vel parum videri poſſim " vel didiciſſe vel præſtitiſſe, &c. Præcipue, ut dixi, pio Scriptori a Deo contendendum eſt, ut contra hominum applauſus *honorata ſtatua* ſit, id eſt, contra aſſentatorum blanditias ita muniatur & obfirmetur, ut negligere eas fortiter poſſit. Præterquam enim quod immodica iſtiusmodi præconia tum pudori tum mediocritati noſtræ parum conveniant, quia, ſi fide ut plurimum non careant, ironiis ſaltem affines ſunt, multumque contrahunt invidiæ, nullus etiam tam peſtilens folliculus eſt, & *inflare* optimorum quoque animos aptior natus, quam hominum vel ſimpliciorum, vel nimis forte reculis ſuis ſtudentium, cum boni quicquam præſtitiſſe videmur, profuſa nimis paraſitatio. Expertam ſe hoc eſſe multis verbis queritur, atque hactenus quoad ſummam rei non male, Celeberrima *Schurmanna*: *Scilicet* (dicit) *quamvis ſæpius reclamârit conſcientiæ occultus quidam fundus, tamen ſub ſpecie alicujus virtutis, aut officii & communis eruditionis boni, me ad illuſtrioris illud famæ theatrum, unde deinde difficilis erat regreſſus, pedetentim introduci paſſa ſum, & neſcio per quam incuriam vel occœcationem mentis, argumentum vel anſam præbuerim literariæ* idololatriæ; *cujus ſe reos conſtituunt omnes vanæ gloriæ cultores, ſive* (*ut quidam non inique dixit*) mendaces Panegyrici, *qui mutuis ſeſe* laudibus *incantantes in mera* animalia gloriæ *ſe transformant; cui latiſſimæ me culpæ eatenus a quibuſ-*

A. M. Schurman. 'Ευκλεις cap. 1. §. 6.

dam immodicarum laudum *mearum decantatoribus involutam fuisse deprehendo, quod dum me homuncionem, vermiculum terræ &c. . . in Cælum inveherent, meque non tantum* Ethnicorum *Numinum ordini prophane adscriberent, sed &* Veri Dei *divinis attributis*, omniscientiæ, *& nescio quibus non odiosis titulis blaspheme onerarent, ego me nusquam satis fortiter eorum dementiæ an impietati publicâ quadam protestatione sive* Apologiâ *opposuerim; quod igitur nunc mihi sero, sed & seriò, cum quadam neglecti officii detestatione hic agendum esse duxi.* Præluxit hâc in re ante multa secula Nobilissimæ huic Virgini Magnus *Alexander*, qui licet satis alias φιλόμυθος esset, haud minus tamen, ac illa, immodicas laudes invitus tulit. Huic enim per fluvium *Hydaspem* naviganti, cum *Aristobulus* carmen offerret, in quo ita ei assentabatur, ut *Elephantes interimere, turres prosternere, muros perfodere* &c. diceret, indignatus Rex dixit: *Apage hæc mendacia, quæ etiamsi vera essent, possent in mendacii suspicionem venire.* Et simul *Librum* in profluentem abjecit; similia *Autori* minatus, *si tale quid in posterum ederet.* Nempe sciebat generosissimus Princeps, *nihil* esse,

Eraſm. Epp. pag. m. 322. 582. 831.

Gyrald. de Histor. Poët. Dialog. 3.

Senec. Ep. 59.

Juven. Sat. 4.

quod credere de se
Non possit, cum laudatur DIs æqua potestas,

Quare & fraudi semper fuit *Ciceroni*, quod *elogia* & *encomia* ab aliis sedulo nimis aucuparetur & sollicite emendicaret, quin & *suas* ipse *laudes* aliis quibusque materiis in-

Gathaker. in Antonin. lib. 1. pag. m. 19.

intercalares ſubinde facere geſtiret. Ad Philoſophiæ *Gnathonicæ* ſectatorem ſic nuper ad me Amicus quidam Eruditiſſimus:

Immodicâ noli me reddere laude ſuperbum:
Ne mihi blandiloquis vocibus ora line,
Præbuit illa Gnatho *bellaria bella* Thraſoni;
Ne tibi ſit morum dux malus iſte Gnatho.

Cujus poſtulati rationem hanc reddit *Euripides*:

Καὶ γὰρ ἐπίφθονον
Λίαν γ' ἐπαινεῖν ἐστὶ, πολλάκις ἤδη
Κἀμοῦς βαρυνθεὶς εἶδ', ἄγαν γ' αἰνούμενος. Euripid. Heraclid. verſſ. 202. 203. 204.

Eſt enim invidioſum
Immodice *prædicare*, *ſæpe enim jam*
Memini me quoque gravatum eſſe, quando
nimium *ſum laudatus.*

Et alibi:

Βάρος γὰρ καὶ τὸ λίαν ἐστὶν αἰνεῖσθαι λίαν. Id. Oreſt. verſ. 1164.

Etiam hoc eſt moleſtum nimium *laudari.*

XI. Putet procul dubio hic *tumor* in omnibus & ſingulis, qui diſtenti eo ſunt, at maxime invidioſus & nauſeoſus tamen eſt in *junioribus*; quos pront ipſos ob *juventutem* contemni minime fas eſt, haud quaquam etiam decet, omnes alios, qui ætate ipſos, ſapientiâ & experientiâ multum antecellunt, præ ſe deſpicere. Etiam

imberbes aliquando provenire possunt adolescentuli, qui ob *solam umbram suam quadantenus grandescentem* (ut falsè alicubi habet Dio Chrysostomus) *sese efferentes*, nescio quæ non paradoxa sæpe somniant, *innovandi* libidine pruriunt, verborumque & loquendi tantum non imperiti, *novas* rebus formas dare zelo multo nonnunquam, ac grandævi senes, ferociore haud quaquam detrectant. Vocat id *Melanchton* (ministros quosdam spectans, quibus falcem in alienam messem mittere volupe erat) *ingeniorum* juvenilium πολυπραγμοσύνην, qua *Veterum instituta mediocria reprehendere*, *novas Leges ferre*, *expeditiorem cognitionum in judiciis ordinem præscribere*, *rerum venalium pretia statuere* superbe *solent*. Uti, juxta *Senecam*,

Dio Chrysostom. Orat. 23.

Melancht. Corp. Doctr. Christ. pag. m. 657.

Senec. Troad. vers. 250.

> Juvenile *vitium est*, *regere non posse impetum*.

At quam longe ab *Elihu* piissimo exemplo hi divortunt, qui sic ad reliquos *Jobi* amicos: *Minimus* ætate *sum*, *vos autem* decrepiti, *ideoque veritus sum*, *ac timui ostendere sententiam meam vobis*. *Dicebam*: *provecti* ætate *loquantur* & multi anni *notificent sapientiam?* quamque præstantissimæ illius *Cretensium* Legis, *Platoni* laudatæ, immemores, vel prorsus forte ignari sunt, quâ *juvenes* reprehendere *leges* vetuerunt, sique *senes* aliquid excogitassent, id ipsum Principibus & æqualibus, nec ullo quidem *juvenum* præsente vel audiente, referre sanciverunt? Quo & *leges Annariæ* (*Annæ*-

Job 32. 6.

Plat. de legib. lib. 6.

Salmuth ad. Panciroll. p. 22. tit. 10.

nales vocat *Cicero*) apud Romanos videntur respexisse. Erant hæ illæ proprie *Leges*, quibus magistratuum capiendorum *anni* præfinicbantur: licet Viri Eruditi ad illos quoque eas extenderint, qui præmaturè vel *scribendo* vel alio quovis modo in publicum prodeunt, quos impingere etiam in *eas* dicunt. Innuit id inter alios *Janus Dousa*; hic enim cum tenui ætatulâ *Plauti Comœdias*, magno studio recensitas, in lucem mitteret, non defore sibi vitilitigatores quosdam præsagire se dixit, qui *veluti in leges* Annarias *graviter peccanti temeritatis dicam impingerent*. Plurimum utique interest, juxta *Horatium*, quis qualisve sit, qui vel verba facit, vel scribit,

Cicer. Philipp. 5. & de Orator. lib. 2.

Brisson. de verb. Signif.

Dous. in Præfat. ad Plaut.

Maturusne senex, *vel adhuc sub flore* juventæ
Fervidus.

Horat. de Art. Poëtic. vers. 115.

Imo Veteres

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis *vetulo non assurrexerat* . . .

Iuvenal. Satyr. 13.

Ovid. Fastor. lib. 5.

De *Pamphilo* quidem, valde *adhuc juvene*, habet *Terentius*,

Sic vita erat: facile omnes perferre & pati,
Cum quibus erat cunque una, his sese dedere,
Eorum obsequi studiis: adversus nemini:
Nunquam præponens se aliis, *ita ut facillime*
Sine invidiâ laudem invenias.

Terent. Andr. Act. 1. Scen. 1.

Sed plus quam vulgare in eo id fuit. Verius alias de *juvenibus* dicitur, quod *Plinius Secundus* eis tribuit: *Quotusquisque vel ætati alterius ut minor cedit? Statim* sapiunt, *statim* sciunt *omnia.* Sique aliquid scribant, quicquid in calamum inciderit, eructant, & sine fronte chartis sæpe illinunt, in pannos purpuram insuunt; sic ut tragelaphum conspicere ut plurimum videaris, nunc cothurno assurgentes, mox humi iterum repentes, eque comportatâ hinc inde dictionum farragine oratione consarcinatâ, thesauros, sylvas, & nescio quos non phrascologos quosdam proxenetas habentes. Nempe proprio nixi ingenio & industriâ sibi ipsis exempla sunt, audiunt neminem, neminem imitantur, imo ne imitari quidem conantur, suo remigio omnia agunt. Neque mirum hoc, cum ne inspiciant quidem alios sæpe Autores, sed vel nullius vel perquam saltem exiguæ lectionis fere sint, tanquamque μηδάζοντες, solisque in se nascentibus bonis contenti, commercia quævis literaria cum quibusvis mutis præceptoribus longissime fugiant? quæ & primaria tum communisque *fastus* eorum causa est. Quodsi enim scirent probe, imò sæpe obiter tantùm consuluissent numerosam illam, quâ circumfusi sunt, esse saltem possunt si velint, *Eruditorum* turbam, deponerent utique superbiæ illud literariæ symbolum, *Nil admirari*; deprimerentque cristas suas, nec mox tantopere sibi applauderent, si forte in volaticum quoddam δόγμα, aut diobolare dictatum quandoque incidissent; neque ut admi-

Pliu. lib. 8. Ep. 23.

Baud. Epp. cent. 3. Ep. 67.

Horat. lib. 1. Epist. Ep. 6.

mirandum, infandum, inauditum mox id deprædicarent, primosque se in mundo ejus inventores, adeoque scientiarum omnium helluones & promoscondos salutandos esse præsumerent; solos se ridicule *sapere* autumantes, quod, quam excellenter alii ante se sapuerint, pueriliter & turpiter nimis ignorent. Quodsi itaque contingat, ut in Viros etiam graves, probatæque virtutis & doctrinæ Suffeni tales insurgant (ut eò usque nonnunquam procedit eorum protervia) conjicere facile est, quid facto opus ipsis sit: nil nempe aliud, quam ut pumiliones illos, tanquam longe infra iram suam constitutos, generoso supercilio contemnant, putidique fumi & fungi instar cuncta eorum molimina aversentur, semper sibi *Eripideum* hoc sub oculos ponentes:

Εἴ τὶς γ' ὑφ' ἥβης ζπάγχιον ἔυθρον φέρων
Μάταια βάζῃ, μὴ τότε κλύειν δόκει.

Siquis juventa *pectus* inflatum *gerens*
Inepta *garrit*, *hunc* audire *ne velis*.

XII. Est quidem quod & dari quandoque possit παῖς ἑκατονταέτης, id est, homo, qui ipsis *juvenilibus* annis magnâ scientiâ imbutus sit; a juventute *moribus* canus, *in omni scientiâ*, *tam humanâ*, *quam Divinâ* *veluti ambidexter*, *per utramque eruditionem* *in adversarios se armans*, ut de Fratre suo *Basilio* loquebatur olim *Nyssenus*; vel prout de Adolescente *Pisone* Silius Italicus: Nyssen. Orat. in laudem Basilii.

Sil. Italic. lib. 8.

Ductor Piſo *viros ſpernaces mortis agebat*
Ore puer, *puerique habitu*, ſed mente *ſagaci*
Æquabat ſenium, *atque aſtu ſuperaverat omnes.*

Toto etenim Cœlo errant, qui virtutem non niſi *annis*, ſapientiamque ſolâ *barbæ opacitate* metiuntur. Inveniuntur quoque Interpretes, qui locum Eſ. 65. 20. de *puero centum annorum* de hujusmodi *juvene* expoſuerunt, exegeſi utut forte inſolentiore (non neſcio enim e ſupremæ caveæ Theologos eſſe, *Gregorios*, *Pellicanos*, *Lyranos*, *Druſios*, *Cocburnos*, *Gathakeros* &c. qui plane aliter eum ſumunt) meo tamen judicio, haud prorſus abſurdâ. Alienus ab eâ non fuiſſe videtur *Tirinus*, dum dixit: *Quamvis inter Chriſtianos moriatur quis* puer, *tamen quoad mores & ſenſum perinde morietur*, *ac ſi eſſet* centum annorum, *id eſt*, *ſapientiâ Cœleſti & virtutibus maturus*; neque etiam Clariſſ. *Cocejus*: *Per ænigma* (ſic ille) *indicatur ſufficientia doctrinæ & cognitionis*, *cum* puer *tantum poſſit ſcire*, *quantum antea alius*, *qui per* centum *annos vixiſſet*. Qualitercunque ſumas, in liquido ſatis eſt, anteactam non tantum ætatem, ſed & recentiorem *præcocia* iſtiusmodi ingenia, quibus, ut venuſte Perſius,

Tirin. ap. Pol. in h. loc.

Coccej. in Eſ. 65. 20.

Perſ. Satyr. 4.

experientia velox
Ante pilos *venit*,

(*Erginiani* quibuſdam dicuntur, cujus ratio-

rationem exponit *Eraſmus*) in omnibus pene regionibus affatim tuliſſe. Quod ut aſſeram, poſſem e Gente etiam *fœmineâ* hic quaſdam producere, ſpeciatim in laudes iterum excurrere nominatiſſimæ Virginis, de quâ ante, *Annæ Schurmannæ*, quæ quippe de ſe ipsâ teſtis eſt, *quod vix ſex annorum puerula, abſque ullo exemplo, ductus & figuras ex obviis chartulis adeo affabre forſiculâ exſcinderet, ut nemo fere adultarum etiam amicarum inveniretur, qui ſimile quid cum ſucceſſu tentaret.* Quod etiam *quadriennio poſt tribus horis artem Phrygiam* (t Borduurwerken) *nemine non admirante addidicerit; poſteaquam ſcil. floſculis plumbo hiſpanico delineandis paucas ſeptimanas impendiſſet*, &c. Sed campum iſtum impræſentiarum ingredi non libet: ſufficiet, ſi intra *Virilis* ſexus ſepta me contineam. De *Hermogene Tharſenſi* literis proditum eſt, quod annos demum *quindecim* natus Sophiſta uſque adeo probatus fuit, ut *M. Antoninum* Imperatorem, & *Muſonium*, celebrem tum temporis *Poëtam* ad auditorium ſuum pellexerit, ab *illo* multis muneribus donatus, ab *hoc* cum ſtupore auditus. Anno ætatis *octavo decimo* Libros edidit, quos inter excellit *Ars* ejus *Rhetorica*, quam anno ætatis *vigeſimo* evulgavit. Fueritne hic *Hermogenes* idem cum eo, quem *Domitianus* ob quaſdam *in Hiſtoriâ figuras occidit, librariis etiam, qui eam deſcripſerant, crucifixis*, uti teſtis eſt *Suetonius*, dubitatur. *Nomine* ſaltem & *patriâ* conveniunt. De ſeipſo etiam habet dictus Princeps *Antoninus*, quod in ipsâ ſuâ *pueritiâ* (ἐν παιδὶ, vel ἐν παισὶ,

Eraſm. Adag. pag. m. 521.

A. M. Schurmann. Tractatu citato, cap. 6. §. 6.

Rhodigin. Lect. Antiq. lib 21. cap. 5.

Philoſtrat. in Sophiſt.

Sueton. in Domitiano. cap. 10.

Antonin. P. de Reb. ſuis lib. 1. §. 6.

Sil. Italic. lib. 8.

Ductor Piso *viros spernaces mortis agebat*
Ore puer, *puerique habitu*, sed mente *sagaci*
Æquabat senium, *atque aestu superaverat omnes.*

Toto etenim Cœlo errant, qui virtutem non nisi *annis*, sapientiamque solâ *barbæ opacitate* metiuntur. Inveniuntur quoque Interpretes, qui locum Es. 65. 20. de *puero centum annorum* de hujusmodi *juvene* exposuerunt, exegesi utut forte insolentiore (non nescio enim e supremæ caveæ Theologos esse, *Gregorios*, *Pellicanos*, *Lyranos*, *Drusios*, *Cocburnos*, *Gathakeros* &c. qui plane aliter eum sumunt) meo tamen judicio, haud prorsus absurdâ. Alienus ab eâ non fuisse videtur *Tirinus*, dum dixit: *Quamvis inter Christianos moriatur quis* puer, *tamen quoad mores & sensum perinde morietur, ac si esset* centum annorum, *id est*, *sapientiâ Cœlesti & virtutibus maturus*; neque etiam Clarisl. *Coccejus*: *Per ænigma* (sic ille) *indicatur sufficientia doctrinæ & cognitionis*, *cum* puer *tantum possit scire*, *quantum antea alius*, *qui per* centum *annos vixisset*. Qualitercunque sumas, in liquido satis est, anteactam non tantum ætatem, sed & recentiorem *præcocia* istiusmodi ingenia, quibus, ut venuste Persius,

Tirin. ap. Pol. in h. loc.

Coccej. in Es. 65. 20.

Pers. Satyr. 4.

experientia velox
Ante pilos *venit*,

(*Erginicani* quibusdam dicuntur, cujus ratio-

rationem exponit *Erasmus*) in omnibus pene regionibus affatim tulisse. Quod ut asseriam, possem e Gente etiam *fœmineâ* hic quasdam producere, speciatim in laudes iterum excurrere nominatissimæ Virginis, de quâ ante, *Annæ Schurmannæ*, quæ quippe de se ipsâ testis est, *quod vix sex annorum puerula, absque ullo exemplo, ductus & figuras ex obviis chartulis adeo affabre forsiculâ exscinderet, ut nemo fere adultiarum etiam amicarum inveniretur, qui simile quid cum successu tentaret.* Quod etiam *quadriennio post tribus horis artem Phrygiam* ('t Borduurwerken) *nemine non admirante addidicerit; postea quam scil. floseulis plumbo hispanico delineandis paucas septimanas impendisset*, &c. Sed campum istum impræsentiarum ingredi non libet: sufficiet, si intra *Virilis* sexus septa me contineam. De *Hermogene Tharsensi* literis proditum est, quod annos demum *quindecim* natus Sophista usque adeo probatus fuit, ut *M. Antoninum* Imperatorem, & *Musonium*, celebrem tum temporis *Poëtam* ad auditorium suum pellexerit, ab *illo* multis muneribus donatus, ab *hoc* cum stupore auditus. Anno ætatis *octavo decimo* Libros edidit, quos inter excellit *Ars* ejus *Rhetorica*, quam anno ætatis *vigesimo* evulgavit. Fueritne hic *Hermogenes* idem cum eo, quem *Domitianus* ob quasdam *in Historiâ figuras occidit, librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis*, uti testis est *Suetonius*, dubitatur. *Nomine* saltem & *patriâ* conveniunt. De seipso etiam habet dictus Princeps *Antonius*, quod in ipsâ suâ *pueritiâ* (ἐν παιδὶ, vel ἐν παισὶ,

Erasm. Adag. pag. m. 521.

A. M. Schurmann. Tractatu citato, cap. 6. §. 6.

Rhodigin. Lect. Antiq. lib 21. cap. 5.

Philostrat. in Sophist.

Sueton. in Domitiano. cap. 10.

Antonin. P. de Reb. suis lib. 1. §. 6.

Sil. Italic. lib. 8.

Ductor Piso *viros spernaces mortis agebat*
O e puer, *puerique habitu*, sed mente *sagaci*
Æquabat senium, *atque æstu superaverat omnes.*

Toto etenim Cœlo errant, qui virtutem non nisi *annis*, sapientiamque solâ *barbæ opacitate* metiuntur. Inveniuntur quoque Interpretes, qui locum Es. 65. 20. de *puero centum annorum* de hujusmodi *juvene* exposuerunt, exegesi utut forte insolentiore (non nescio enim e supremæ caveæ Theologos esse, *Gregorios*, *Pellitanos*, *Lyranos*, *Drusios*, *Cocburnos*, *Gathakeros* &c. qui plane aliter eum sumunt) meo tamen judicio, haud prorsus absurdâ. Alienus ab eâ non fuisse videtur *Tirinus*, dum dixit: *Quamvis inter Christianos moriatur quis* puer, *tamen quoad mores & sensum perinde morietur, ac si esset* centum annorum, *id est*, *sapientiâ Cœlesti & virtutibus maturus*; neque etiam Clarisi. *Coccejus*: *Per ænigma* (sic ille) *indicatur sufficientia doctrinæ & cognitionis*, *cum* puer *tantum possit scire*, *quantum antea alius*, *qui per* centum *annos vixisset*. Qualitercunque sumas, in liquido sarem est, anteactam non tantum ætatem, sed & recentiorem *præcocia* istiusmodi ingenia, quibus, ut venuste Persius,

Tirin. ap. Pol. in h. loc.

Coccej. in Es. 65. 20.

Pers. Satyr. 4.

experientia velox
Ante pilos *venit*,

(*Erginitani* quibusdam dicuntur, cujus ratio-

rationem exponit *Erasmus*) in omnibus pene regionibus affatim tulisse. Quod ut asseram, possem e Gente etiam *fœmineâ* hic quasdam producere, speciatim in laudes iterum excurrere nominatissimæ Virginis, de quâ ante, *Annæ Schurmannæ*, quæ quippe de se ipsâ testis est, *quod vix sex annorum puerula, absque ullo exemplo, ductus & figuras ex obviis chartulis adeo affabre forsiculâ exscinderet, ut nemo fere adultarum etiam amicarum inveniretur, qui simile quid cum successu tentaret.* Quod etiam *quadriennio post tribus horis artem Phrygiam* ('t Borduurwerken) *nemine non admirante addidicerit; postea quam scil. flosculis plumbo hispanico delineandis paucas septimanas impendisset*, &c. Sed campum istum impræsentiarum ingredi non libet: sufficiet, si intra *Virilis* sexus sepia me contineam. De *Hermogene Tharsensi* literis proditum est, quod annos demum *quindecim* natus Sophista usque adeo probatus fuit, ut *M. Antoninum* Imperatorem, & *Musonium*, celebrem tum temporis *Poëtam* ad auditorium suum pellexerit, ab *illo* multis muneribus donatus, ab *hoc* cum stupore auditus. Anno ætatis *octavo decimo* Libros edidit, quos inter excellit *Ars* ejus *Rhetorica*, quam anno ætatis *vigesimo* evulgavit. Fueritne hic *Hermogenes* idem cum eo, quem *Domitianus* ob quasdam *in Historiâ figuras occidit, librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis*, uti testis est *Suetonius*, dubitatur. *Nomine* saltem & *patriâ* conveniunt. De seipso etiam habet dictus Princeps *Antoninus*, quod in ipsâ suâ *pueritiâ* (ἐν παισὶ, vel ἐν παισὶ,

Erasm. Adag. pag. m. 521.

A. M. Schurmann. Tractatu citato, cap. 6. §. 6.

Rhodigin. Lect. Antiq. lib 21. cap. 5.

Philostrat. in Sophist.

Sueton. in Domitiano. cap. 10.

Antonin. P. de Reb. suis lib. 1. §. 6.

Lucian. in Necyomant.

παισὶ, ut alicubi habet *Lucianus*, id est, in *pueris*, dum inter *pueros* esset) *Dialogos* conscripserit. Addit de eo *Julius Capitolinus*, quod vix *duodecimum* ingressus annum, se Philosophiæ habitu vestiverit, tantamque deinceps ostenderit tolerantiam, ut studeret in pallio, atque humi cubaret, vix autem matri agenti in strato pellibus lectulo accubaret; imò *tantum operis & laboris* studiis *impenderit*, *ut corpus afficeret*, *atque in hoc solo pueritia ejus reprehenderetur*. Augustinus anno vitæ suæ *duodecimo* omnes Theoreticos & Logicos *Aristotelis* Libros optimè intellexit. Hieronymus Stridonensis valde adhuc juvenis, id est, *viginti* tantum annos natus, tantos in literis fecerat progressus, ut eopse tempore ad *Presbyterii* honorem a Papa *Liberio* sit evectus. Quin idem hic de Didymo Alexandrino autor est, quod oculis licet captus, a *parvâ*, tamen *ætate* artes Liberales præclarè didicerit. Avicenna vitæ suæ anno *decimo* tam luculentum ingenii sui specimen Præceptoribus suis dedit, ut omnibus miraculo esset. Totum quippe Alcoranum (*Muhammedanus* enim erat) memoriâ tenuit, reliquasque Disciplinas per se, nullo usus magistro, sed assiduo labore, perpetuis vigiliis, summâque animi contentione, ante annum ætatis *octavum decimum* addidicit. Moses Maimonides, tantus inter *Hebræos* vir, ut non solum per excellentiam מורה צדק *Doctorem justitiæ* eum vocitent, Patriarchæ *Noæ* ipsum assimilantes, sed & μιᾷ φωνῇ pronunciare de ipso soleant: כנשה

Iul. Capitolin. in M. Antonin.

Pocock. Port. Mos. in Præf.

בְּמֹשֶׁה עַד־מֹשֶׁה לֹא קָם כְּמֹשֶׁה *A Mose ad Mosem non surrexit sicut Moses*; imo cui ex ipsis Christianis hoc elogium scripsit Celeberr. *Cunæus*; quod *nunquam ita magnifice quicquam dici de eo possit, quin id superaverit virtus ejus; cum fato quodam & sorte nascendi primus solusque in illâ* [Judæorum] *gente recte intellexerit, quia sit non ineptire.* Hic (inquam) famosissimos suos in *Mischnas* Commentarios annos demum *viginti tres* natus inchoavit, tandemque summâ cum laude perfecit. De ipso refert *Josephus*, quod *quatuordecim* tantum *annorum* adolescentulus a Pontificibus & Urbis *Hierosolymitanæ* Primoribus consuli modo solitus fuerit ὑπὲρ τῶν παρ' ἑαυτῷ περὶ τῶν νομίμων ἀκριβέστερον τι γνῶναι, *ut ab ipso penitiorem Legum sensum possent edisci.* Quod quidem quomodo cum eorum consistere possit opinione, qui ipsum ne *linguam* quidem *Hebraicam* calluisse credunt, fateor me ignorare. Ipse saltem non uno loco contrarium de se testatur, dicitque linguam *Græcam*, quâ *Libros* suos conscripsit (hinc enim hoc colligunt) non vernaculam sibi sed *peregrinam* fuisse, quam cum pueris in Scholis addidicit; imo sua se ex *Hebraicis* literis transtulisse manifeste declarat. Arthurus, *Walliæ* Princeps, *Henrici* VII. Angliæ Regis Filius *sextum decimum* necdum ingressus *annum* omnes Scriptores *Latines* dicitur perlegisse, præter varios aliud genus *Libros*. Philippus Melanchton, a *Frederico*, Saxoniæ Electore, e *Tubingensi* Academiâ ad *Witembergensem* evocatus, *viginti duos* tantum numerabat

Cunæ. de Republ. Hebræor. cap. 2.

Carpzov. in Schickard. de Jur. Reg. Hebræor. pag. 441.

Joseph. in Vit. in princip.

Baker Hist. Reg. Angliæ, pag. m. 708.

Sculter. Annal. ad Ann. 1518.

rabat

rabat *annos*, cum hoc a Præceptore ſuo *Simlero* ornatus teſtimonio diſcederet: *Quotquot ibi* [Tubingæ] *eſſent docti homines, non eſſe tam doctos, ut intelligerent, quanta eſſet* doctrina *ejus* [Melanchtonis] *qui inde vocaretur.* Præſagierat id jam ante, imo prædixerat de ipſo *Eraſmus*, uti ex hoc ejus elogio liquet: *At Deum immortalem! quam non ſpem de ſe præbet* (deſignat *Melanchtonem*) *etiam* adoleſcens & puer? *utrâque literaturâ ex æquo pene ſuſpiciendus? quod inventionis acumen? quæ ſermonis puritas? quanta rerum reconditarum memoria? quam varia lectio? quam verecunda Regiaque prorſus indolis feſtivitas?* Burchartus Wirzius, Studioſus Tigurinus, ætatis anno *decimo quarto* literas ad *Zwinglium* exaravit tam facundas, ut omnibus admirationi fuerint, ætatemque non tantum, ſed & ſeculi barbariem longiſſime ſuperârint. Duo earum ſpecimina exhibet Cl. *Hottingerus*. Jacobus Crinitus, Scotus, necdum *peradoleſcentulus* (qualem Veteres juvenem viginti trium annorum fere nuncupabant) *vigeſimo primo* ætatis modo anno, non tantum *decem* linguarum, ſed & Philoſophiæ, Mathematicæ, Theologiæ, omniumque Diſciplinarum peritiam ſibi comparavit: unde & *transacti ſeculi monſtrum, prodigioſo naturæ opificis conatu editum* nonnullis dictus eſt. Nicolaus Rigaltius ætatis anno *decimoſeptimo* haud ſine encomio *Funus* ſuum *Paraſiticum* publicum fecit. De Antonio Mureto vitæ ejus Scriptor autor eſt, quod *puer* pene *diſcipulos prius habere cæperit, quam magiſtros*; quod *ſicuti*

Scult. Annal. ad Ann. 1517. pag. m. 4.

Hottinger. H. E. ad Sec. XVI. p. 2. pag. m. 287.

Cornel. Nep. in Eumen. pag. 267.

Schott. in vit. Mureti.

in-

ingenio doctrinam, sic etiam usu præcurrerit ætatem, *& uti ingenioſos diligentiâ, ita ingenio diligentes devicerit, totum illud ſibi perire tempus credens, in quo non aut doceret aliquid, aut diſceret*; quod denique *viginti* circiter annos natus *Poëmata* quædam condiderit, quoad venuſtatem non contemnenda, quæ *Juvenilia* inſcripſit; at quæ tamen provectior ætate factus non uſque adeo probavit. Georgius Sohnius anno ætatis *ſexto decimo* ſolenni Philoſophiæ Laureâ in Academiâ *Marpurgenſi* eſt honoratus, ubi & annum ingreſſus *vigeſimum tertium* profeſſionem *Theologicam* omnium cum applauſu ſuſcepit, ſummâ ſoliditate & facilitate docuit, & plurimis poſt ſe relictis diſcipulis, tandem exultantibus adverſariis, dolentibus *amicis* obiit. Guilielmus, Jacobi, Scotorum Regis, filius, Archiepiſcopus titulo Divi *Andreæ*, adhuc puer (teſte *Eraſmo*) diſcebat Jureconſultorum literas; audiebat dicendi præcepta, & præſcripto themate declamabat, pariter calamum exercens & linguam. Diſcebat *Græce*, & quotidie quod traditum fuerat, ſtato reddebat tempore. Ne ipſum quidem convivii tempus ſtudiorum vacabat fructu. A convivio fabulas, ſed breves, & has quoque *literis* conditas tractabat. Nulla vitæ ejus pars vacabat ſtudio, niſi quæ rei Divinæ ſomnoque danda erat. Nam etiamſi aliquid ſuperfuiſſet temporis, quod tam variis ſtudiorum vicibus non ſuppetebat, tamen ſi quid forte ſupererat, id *Hiſtoricorum* lectioni impendebat. Nam hâc cognitione præcipue capiebatur. Et quid tandem?

Ioh. Calvin. Eth. Profeſſ. de Vit. & Obit. Sohnii.

Sohn. Orat. funeb. in obit. Rhodingi.

Eraſm. Adag. Chil. 2. Centur. 4.

dem? His rebus factum est, ut *adolescentulus*, vixdum *decimum octavum* egressus annum, tantum in omni literarum genere consecutus fuerit, quantum in quovis *viro* jure mireris. Hisce gemella pene sunt, quæ de *Ranutio Farnesio*, Parmæ & Placentiæ Duci, habet *Famianus Strada*: Et vero *Tu* (inquit, Principem alloquens) *priscorum belli Ducum, imprimisque Macedonis Alexandri res gestas, itinerum intervalla, loca situsque prœliorum observare in eorum Historiis, ac digito monstrare* adhuc puer *non sine omnium admiratione consueveras.* Josephus Scaliger annos *septendecim* vix natus, *Oedipum* Tragœdiam confecit, in quam non omnia tantum ornamenta Poëtica, sed verborum etiam non vulgarem delectum impendit. Martinus Delrio vix *viginti* annorum juvenis, notas suas in *Solinum* evulgavit, eruditissimas sane & politissimas. Hieronymus Ruveræus, Italus, *innocentis ætatulæ*, ut loquitur *Prudentius*, id est, *decennis* tantum *puer*, Carminibus suis orbem attonitum dedit, prælucentibus ipsi *Pico* Mirandulano Comite, & tribus *Canteris* fratribus, qui eâdem ætate in omni Disciplinarum genere stupendum in modum eminuerunt. Quos tamen inter *Canteros* excelluit, cui *Audreæ* nomen fuit, de quo sic Wendelinus: *Equidem non provocabo ad rarissima & pene incredibilia exempla, in quibus* decem annorum *puer* Andreas Canterus *Groningensis, qui ante annos CLXX. sub Imperatore* Frederico III. *eos in* omnibus *Artibus & Facultate quoque* Theologicâ & Juridicâ *progressus fecit, ut*

Strad. de Bell. Belgic. in Dedic. part. 2. præfix.

Drexel. Aurifod. part. 1. cap. 5.

Act. Erudit. Lipsi. tom. 2. pag. 338.

Prudent. in Roman. Martyr.

Wendelin. Logic. in Præfat.

Sa-

Sacram *utriusque Testamenti* Scripturam, *& tam* Civile *quam* Canonicum Jus, *magnâ cum audientium admiratione interpretari, & profiteri publicè, necnon ad subtilissimas Quæstiones ex tempore respondere, nodosque difficillimos, syllogistice propositos, felicissime expedire potuerit. Unde hoc naturæ miraculum e Belgio* Viennam *ad se Imperator, scriptis ad ipsum humanissimis literis, evocavit, eique* Doctoris *axioma & primum in aulâ Imperatoriâ locum promisit.* Et quid excellentissimus noster Heinsius? Hic licet ob plurimas, quas in vitæ suæ curriculo passum se esse nonnunquam conqueritur, calamitates, *fortunæ privignum* vocitare se soleret, in addiscendis tamen literis adeo felix fuit, tantumque brevi tempore profecit, ut, cum vix nuces reliquisset, ipso *decimo* ætatis anno cuidam e suis commilitonibus venustâ *Elegiâ* parentârit, cujus hoc ultimum distichon erat:

Qui nondum undecimum *vidi transire*
Decembrem,
Hæc ego de puero *carmina canto* puer:

anno insuper ætatis *decimo octavo* publicè, primum *Latinos* deinde *Græcos* explicare Autores aggressus est. Sic ut non immeritò ad eum alicubi Casaubonus: *Equidem sic discessi a tuarum lectione, ut nondum constituerim, utrum prius mirari debeam, judiciumne* supra annos, *an exquisitæ eruditionis copiam, vel in* sene *admiratione dignam.* Qui talia id ætatis *præstas, obsecro quid factu-*

Casaubon. Ep. 56.

facturus es τελείας ἀνδροσύνης μέτρα πληρωσάμενος? De *Gerardo Vossio* autor est celeberrimus ejus Parens, quod annum vix claudens, cum ad reliquos abiret, *primum & vigesimum*, publico reliquerit *Castigationes in Vellejum Paterculum*; ut & complurimum aliorum, quæ affecta habebat; editionem fratris sui *Isaaci* curæ commiserit. Hugo Grotius anno ætatis suæ *quinto decimo* egregium *Martiani Capellæ* opus, notis tersum, & ab innumeris mendis emaculatum in lucem emisit. Celeberrimus totius *Hiberniæ* Primas *Jacobus Usserius*, Archiepiscopus *Armachanus*, Vir in Antiquitatibus Ecclesiasticis versatissimus, tam citos olim in literis humanioribus fecit progressus, ut *decimum tertium* vix ingressus annum dignus habitus sit, cujus nomen in albo *Academicorum* Collegii Trinitatis *Dublini* insereretur, imò principem ibi locum occuparet. Adhæc cum in eâdem forte urbe Jesuita *Fitz-Symondus* captivus detineretur, eâque occasione, eruditione suâ fretus, quosvis *Protestantium* doctissimos ad certamen super *Religionis* controversiis provocaret, idem hic *Usserius* octodecim vel novemdecim annos tantum natus, communi *Academiæ* censensu, ipsocum est commissus, postque unum alterumque cum eo colloquium, fastidiosam viri præsidentiam ita perdomuit: ut ad novum provocatus conflictum, declinarit eum non tantum, sed & ad ἐχεμυθίαν redactum se esse ipse confessus sit, quinimo suum hunc antagonistam *Acatholicorum doctissimi* elogio

Voss. de Idololatr. Gentil. tom. 3. in Præf.

Rich. Parr. in Usserii vit.

gio postmodum condecorârit. Claudius Salmasius, *decimo sexto* ætatis anno necdum exacto, *Nilum* de *Primatu Papæ* recensuit atque emendavit. Johannes Bernhartus, septendecim annos necdum natus, cum e vivis excessit, hoc Eruditorum retulit elogium, quod nihil eapse ætate eximium, notabile, rarum, excellens, peregrinum fuerit, quod latuerit ipsum, & de quo nervosè non differeret; quod omnia Antiquariorum & Historicorum adyta penetraverit, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ Linguarum scientissimus fuerit, Chaldaicæ quoque & Syriacæ non ignarus; quod varia tandem acutissimi ingenii monumenta exarârit tam docta, proba, singularia, ut *invidiæ dentem suum in ea ingerere, aut labens ævum limam iis adhibere erubuerit.* Johannes Camero, admodum adhuc adolescens, Græce tam expedite & eleganter, quam quivis alius Latine, *ex tempore* loquebatur, ita ut doctissimis, quos ullibi invenit & convenit, adeoque & ipsi magno *Casaubono* admirationi fuerit. Gisbertus Voetius, Theologus Ultrajectinus, meus olim præceptor & fautor eximius, adeoque nunquam nisi cum reverentiæ & honoris Præfamine mihi memorandus, in provectiore ætate (quam ad LXXXVII. annos produxit) vir non tantum vere magnus, fuit, ut e variorum nominatissimorum Virorum elogiis palam est: sic enim de eo clarissimus *Owenus*: Gisbertus Voetius, *vir πολυμαθέστατος ob raram eruditionem, pietatem singularem, ac veritatis amorem nunquam satis laudandus*; & Celeberrimus D.

Dilherr. Elect. Sacror. lib. 3. cap. 9.

L. Capell. Icon. Joh. Cameron.

Owen. de Ort. & Progress. Theolog. pag. 522.

Heidegger. Histor. Patriarch. p. 1. pag. 395.

Heideggerus, cujus hæc verba sunt: *Est is Theologus summus* Gisbertus Voetius; *cujus erga Ecclesiam zelus & fides, nec non eruditio & candor notior est, & bonis omnibus acceptior, quam ut Adversarii nostri machinationibus & insidiis hactenus obscurari nedum supprimi possit*; ac tandem Præstantissimus *D. Le Moine*, Professor Leidensis, qui *Musæum vivens, Bibliothecam viventem*, ac *Divino incoctum pectus amore* eum dixit. Hic (inquam) *ætate maturus* tantus Vir non solum fuit, sed & de *juvenilibus* suis annis hoc testimonium a Vatum nostratium ἐμφατικωτάτῳ, Nobiliss. *Hugenio* retulit, quod & *iis ipsis* Patriæ ac Ecclesiæ, insigniter tum afflictis, eximio adjumento fuerit. Ita de eo canit in *Epicedio* exequiis ejus scripto:

Le Moine Epiced. in Obit. Voetii.

Qui Patriæ quondam, vix e lanugine primâ,
Præstitit ingenii pene senilis *opem*,

Quas Incomparabilis Theologi laudes aliquanto fusius exequi hic placuit, ut retundantur quadantenus infrunitæ *Pelagianizantium* quorundam calumniæ, agminatim in ipsum jactæ. Est, qui ut *Regulum* & *Episcopum Ultrajectinum* (Papam dixit Lud. Molinæus) *suorum plurimis ob* factiosam & superbam *indolem invisum* &c. traduxit. Alius *ineptum* scriptorem, *linguacem* imo *mendacem* vocitavit; nullam procul dubio aliam ob causam, quam quod se refellendis ipsius Scriptis impares deprehenderent: quo casu nullum paratius quam ad

Næran. in Epp. Erudit. Viror. pag. m. 875.

ad maledicendum refugium esse potest: *in maledicendi ferociam eruperunt, quia* causæ *suæ* infirmitatem *validis rationibus convelare non potuerunt*, ut de *Romanis* quibusdam loquitur alicubi *Marcellinus*. Johannes Coccejus *viginti quinque*, ni fallor, vel *sex* annorum, eruditissimam interpretationem & Commentarium ni Codices *Sanhedrin* & *Maccoth* publicum fecit. Renatus Cartesius, Nobilis Gallus, *decimo septimo* vitæ suæ anno istud studiorum absolvit curriculum, quo decurso, mos est, in Eruditorum numerum cooptari. Marcus Zuerius Boxhornius, *Tullius redivivus* vulgo dictus, *decimo nono* ætatis anno Historiarum & Eloquentiæ Professioni est admotus. Uti & Martinus Schoockius, *uno* tantum *anno* major eandem Professionem adiit. De Johanne Hoornbekio, Theologo eximio, habet *Adamus Steuartus*, quod *infans adhuc scholas duas Belgicas frequentaverit, & anno ætatis* sexto *Latinam, ut ratione cum oratione uteretur, simulque disceret loqui variis linguis, & sapere eâ ætate, quâ alii adhuc nugantur, adeo* præcox *& diligens fuit in omnibus: mature nempe incipere debuit, qui mature debuit grave pensum absolvere, & magnum opus conficere brevissimo tempore, tam gloriæ satur, quam alii avidi, celeber antequam alii docti vel noti.* Neque omittendus tandem est Johannes Marckius, cujus ob insignia in rem literariam, imprimis *Theologicam*, meritâ, singularemque, quâ me ab annis aliquot dignatus est, amicitiam, non possum non hic meminisse: Hic raro exemplo, ipsissimo

Gerard. de Vries Introduct. Historic. ad Philosoph. Cartesii §. 36.

Schoock. Dissert. Histor. Politic. de Bon. Eccles. pag. 62.

Steuart. in Vit. Hoornbeekii.

vitæ suæ *anno decimo nono* ad cathedram non tantum *Ecclesiasticam*, sed & *Academicam*, ipsiusque *Theologiæ* Professionem est vocatus, illustris Prædecessoris sui vestigiis insistens, Clariss. scil. *Maresii*, qui simile quid de se ipso refert; quam spartam etiamnum tam strenue ornat, ut juventuti studiis devotæ non tantum insignis stimuli, sed Academiæ etiam, antehac *Franekeranæ*, jam *Groninganæ* veluti miraculi loco existat. Sic in ipsum ὁ δεῖνα, cum Professionem *Theologicam* primum capesseret,

Mares. Ult. Patient. in Præfat.

Νυνὶ πάρεστι νεὸς φρόνιμος καὶ ὑπείρεχος ἄλλων.

Jam sapiens juvenis *reliquis* præstantior *adstat.*

Et postmodum alius quis Amicus:

Hic ætate quidem juvenis, *si respicis annos,*
Viribus ingenii *vincit at ille* senes.

Licet Distichon hoc invidiâ in Virum eximium inardescere quosdam fecerit, quos minime hoc decuit. Atque in hos horumque similes, qui ipsis crescentibus annis ingenio & eruditione modo excellunt, hoc *Platonis* quadrare tum dixeris: Ἐι δὲ νεώτερος ὁ διδάσκων ἔσται, οὐδέν μοι μελήσει. *Sit* juvenis, *qui docet; nihil mihi curæ est, modo sit sapiens.* Imovero, si quidam *juvenes* scientiâ & moribus *senilibus* polleant, quidni ipsis *senibus eos accenseas*, ut loquitur Plautus, *ab ingenio* quippe, id est, *quoad*, vel

Vid. Micræl. Syntagm. Histor. pagg. 122. 153. 155. 174. 263. 268. 298.

Plaut. Milit. Gloriosf. Act. 3. vers. 36. 37.

vel *quantum attinet* ingenium *senes*, vel *animi maturos*, utiapud *Virgilium* est

animi maturus Alethes? Virgil. Æneid. 9.

Quales inter *Reges* Davidem & Josiam, inter *Ecclesiæ ministros* Titum & Timotheum quidam habuerunt. Uti senes *quidam sunt* (inquit Cicero) *qui semper* pueri *sunt*, *ita* juvenes *sunt*, *in quibus* senile *aliquid inveniæs*. Cicer. in Caton. Major. De *Tiberio* alicubi Ovidius:

Parcite natales timidi numerare Deorum, Ovidius.
Principibus virtus contigit ante *diem.*
Ingenium Cæleste suis velocius annis
Surgit, & ignavæ fert mala damna moræ.

Atque hinc *Quintiliani* tum pellucet error, cujus hæc sunt verba: *Ingeniorum illud velut* præcox *genus non temere unquam pervenit ad frugem.* Quod enim *præcocem* illorum sapientiam prærnatura nonnunquam mors consequatur, haud procul a vero abest, imo plus nimio forte ipsâ experientiâ comprobatur. At quod raro vel nunquam in studiis, maturè & bene cœptis, tales faciant progressus, ut Reipublicæ vel Ecclesiæ usui esse possint, non citra injuriam de ipsis creditur vel dicitur. Neque in contrarium facit quod de *Hermogene Tharsensi*, de quo supra, adfert *Rhodiginus*, eum nimirum *adeo ingeniosum, & supra ætatem disciplinis mirifice imbutum*, quartum *demum &* vicesimum *agentem annum*, mente Quintilian. Instit. Orat. lib. 1. cap. 3. pag. 23. Rhodigin. LL. AA. lib. 21. cap. 6.

lapsum esse, nullâ evidenti de causâ (Belgæ nostri vulgi-verbium suum huc applicarent:

Vroeg ryp, *vroeg* rot,
Vroeg wys, *vroeg* sot.)

indeque cavillatum in eum fuisse *Antiochum* Sophistam, Ἑρμογένης ἐν παῖσι γέρων, ἐν δ' γέρουσι παῖς: *Hermogenes inter* pueros *senex fuit, inter* senes *puer.* Sed nihil dico, id obstat, quia exemplum hoc singulare tantum est, nec una hirundo Ver facit. *Quintilianum* quod attinet, absolvere forte eum errore hic possunt verba ejus, quæ ante allegatis mox subjecit: *Hi sunt, qui parva facile faciunt; & audaciâ provecti quicquid possunt, statim ostendunt.*

Plutarch. Oper. part. 2. pag. m. 450.

XIII. Tametsi autem hæc ita se habeant, ut dixi, multa nempe dari posse, quin dari sæpe *præcocia* ingenia, probabilissimum, imo certissimum tamen est, ut rite observatum a *Calvino*, seniores *quidem, qui proficiendo vixerint, plus* junioribus *sapere.* Juxta enim *Socratem* in symposio *Platonico*, tum *demum* mentis *oculus* acute *incipit* cernere, *cum* corporis *oculus obscurari &* deflorescere *incipit:*

Calvin. in Iob. 15. 19.

Plat. in Sympos.

Ovid. Metamorph. lib. 6.

seris venit usus ab annis.

Vel, uti senex ille Terentianus, *nunquam ita quisquam bene subductâ ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi.* Πολλῶν νέων γὰρ κ' ἂν γέρων ἔμψυχος, ἢ κρείσσων; Gnavus *enim* senex *compluribus* juvenibus *præstat*, inquit *Euri-*

Euripid. in Andromach.

ripides. Et *Aristoteles*: Δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις: *Vires in* juvenibus *prudentia in senibus.* Summè proinde necessarium est quibusvis nostris *Thrasonibus*, ac præcipue quidem iis, qui *primævo flore juventæ* adhuc virent, ut verba hæc *Eliphazi*, ἐνεργητικά sane, sed piissimo *Jobo* male applicata, subinde expendant: *Num tu in secreto Dei audivisti? & detraxisti ad te sapientiam? quid nosti, quod nos non norimus? quid percipis, quod non penes nos sit? etiam* canus *etiam* vetulus *est inter nos, major patre tuo diebus?* Sique aliqui forte eorum progressus quosdam fecerint, eos haud tam inaniter aliis quibusvis ostentent, quam humiliter modesteque vel re vel calamo Literatorum orbi tantum exhibeant, pretiumque laboris, a *senioribus* eum in finem olim impensi, gratanter officioseque iis rependant. Adinstar pygmæorum esse oportet *juniores* qui, siquidem longiore prospectu gaudeant, haud quaquam sibi ipsis id debent, sed *Gigantibus*, quorum lacertis vel humeris insidentes, Orbi conspiciendos se præbent. Iob. 15. 7. 8. 9.

XIV. Atque hæc quidem de Eruditorum *fastu*, nimis certe vulgari, ut damnosissimâ μισοβιβλίας causâ, dicta sunto; quem dum hactenus impugnavi (utinam expugnassem!) id ne eo tamen accipias sensu obsecro, quasi a viris ideo ingenuis, sive palestræ literariæ tyrones, sive plurium stipendiorum milites sint, in *Pyrrhonicâ* quadam ἐποχῇ, vel desidiosâ rerum tum naturalium tum supernaturalium scientiam ulterius, quam hactenus stetit, producendi

Marck. Orat. de sapiendis, in Eccles. Litib. pag. 20. 21.

desperatione ignorantiæ latibula quæri velim, vel zelum eorum ad altiora adspirandi cohibere, neutiquam: *Haud enim placet* (verba sunt Minutii Felicis) *tædio investigandæ veritatis nonnullos potius succumbere; quam in explorando pertinaci audaciâ perseverare.* Homines istiusmodi *bestialis insipientiæ* alicubi postulat *Durandus; pigrique ingenii esse* pertendit Seneca, *iis solis, quæ ab aliis inventa sunt, contentum esse.* Injuriâ quippe hoc pacto afficitur Deus, qui plurima sane hisce diebus, quæ antehac profundissimis tenebris mersa fuerunt, e *Democriti* veluti puteo educta, & in mundi theatrum collocata voluit, etiam a modicis tantum ingeniis, anquisitius ea considerantibus, facile imbibenda. Sed vero haud præter casam fugiendum est, sive, uti damnosissima hæc *inertiæ* scylla vitanda est, ita neque in longe eâ pejorem, *arrogantiæ* nempe, omnium pene rerum cognitionem jactitantis, omniaque alia præ se suisque superbè contemnentis, charybdin incidendum. Hoc enim aliud nihil esset, quam, ut dicunt Græci, τρέχειν μὴ βρεχθείῃ, ἐς εἰς βόθρον ἀποπνίγειν, *currere quem, ne aquâ adspergatur, & interim in foveâ suffocari;* sive, uti Tertullianus, *de calcariâ in carbonariam* ire, id est, rem sordidam & noxiam non tam evitare, quam cum re æque sordidâ commutare. Sed *mediâ* incedendum viâ est, ut neque ingratitudinis in Deum, neque ullo jure *fastuosi* coram hominibus *supercilii* rei peragamur. Optime hanc in rem Lactantius: *Nusquamne* (quærit) *sapientia est? Imo vero inter Philosophos fuit, sed*

Minut. Fel. in Octav. p. m. 3.

Durand. Prolog. Sentent. Quæst. 1.

Senec. Ep. 8.

Rhenan. in Proverb. ex Tertullian. excerpt.

Lactant. de Falsâ Relig. lib. 3. cap. 6.

ſed nemo vidit. Alii putaverunt, ſciri poſſe omnia. *Hi ſapientes utique non fuerunt, alii* nihil; *ne hi quidem ſapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederunt, hi quia minus: utrisque in utramque partem fuit modus. Ubi ergo ſapientia? ut neque te ſcire* omnia *putes, quod* Dei *eſt, neque* omnia neſcire, *quod* pecudis *eſt. Eſt enim aliquid* medium, *quod ſit* hominis, *id eſt, ſcientia cum ignorantiâ conjuncta & temperata.*

CAP. IV.

De Eruditorum Invidiâ, *ultimâ* μισοβιβλίας *causâ.*

SUMMARIUM.

I. Ludovici Vivis, Hieronymi, Eraſmi *de hâc querelæ*, Ambroſii, *inter Veteres, ſcripta omnium minimè ei obnoxia. Livore* & Invidiâ *nulla animi* paſſio *turpior, nulla damnoſior.*

II. *Præſtantiſſimis aliquando ſcriptis non tantum* contemptus, *ſed* & interitus *per eam intentatus.* Sabini PP. *nefaria exinde contra* Gregorium *prædeceſſorem ſuum mo-*

limina. Maimonidis, Tertulliani, Irenæi *Scripta extremo per illam periculo expoſita.* Sannazarii *argute dictum.* III. Invidorum *contra aliorum conatus procedendi haud* uniformis *modus. Quidam* aperto Marte *invadere eos ſoliti. Quorum genius deſcribitur.* Ophiogenes & Pſylli *qui? His Scriptores* invidi *haud ſimiles tantum, ſed & pejores. Quos inter Scriptoribus ingenuis maxime graves ſunt, qui nullam unquam ab ipſis injuriam paſſi.* Johannis Sauberti *nimia in* Antonium Muretum, *jam a multis annis defunctum, vehementia.* Ariſtarchus Grammaticus *quis? Quantam is in* Homeri *verſus authoritatem ſibi arrogarit? De* Ciceronis *in ſcribendo imitatione* Eraſmi *judicium. Ne* nitidiſſimi *quidem Scriptores a* ſoloeciſmis *ſemper plane immunes. Nulli Au-*

to-

tori, *nedum uni* Ciceroni, *ſtylus nimiopere adſtringendus.* Zoilus Amphipolites *quis? Cur* canis Rhetoricus & Homero-maſtix *dictus? Quo mortis genere interierit?* Homerus, Virgilius, Seneca, Baldus, Juſtinianus, Varro, Julius Cæſar, Salluſtius, Livius, Cicero, Eraſmus, Voetius, Hoornbekius, Eſſenius, Caſaubonus, Fraſſenius, Lipſius *a ſuis quique æmulatoribus ob* ſcribendi, *quem tenuerunt*, modum *exagitati.* Poggius Florentinus *quis? Honorificum ejus de* Hieronymo Pragenſi *martyre teſtimonium.* Latine *ſcribere quinam dicendi? Stylus* politior *in quibus Scriptis* magis, *in quibus* minus *neceſſarius. Peculiare quid in JC^torum^.* Digeſtis *eſt, quod ſtylo uſque adeo* Romano *congeſta ſint.* Latina *lingua Romanorum olim communis. Quid proprie* barbariſmus? Bar-

Barbare, Romanâ ſimplicitate, Latine, clare & evolute *loqui nonnunquam ſynonyma.* Martialis, Cicero, Turnebus *laudati.* Verborum *in ſcribendo* nitor *minime condemnandus, e contra ſummopere commendandus.* IV. Duriori *etiam* & ſatyrico *contra Adverſarios ſtylo uti, haud ſemper illicitum.* Riſus *quisnam in dictione & ſcriptione uſus? Μυκτηρίζειν quid Græcis, quid* naſum habere, & naribus indulgere *Latinis?* Irenæus, Auguſtinus, Cyprianus, Hieronymus, Montaltius, Wendrockius *ad partes vocati.* Hermiæ *Liber* Irriſio Philoſophorum *dictus.* Cautiones *obſervandæ. Duro nodo duro ſubinde opus eſt cuneo.* V. *Alii* clam & perſonati *aliorum Conatibus inſultant.* Malorum carminum *duplex apud Jurisperitos genus.* Libelli famoſi *ad*

al-

alterutrum eorum genus referendi. Pasquillus *Romæ quid? In cujus memoriam erectus? Quisnam ejus tum olim tum etiamnum apud* Italos *usus? Quivis* Libelli famosi *cur inde denominati?* Libellorum famosorum *damnosa & aversabilis fœditas. Quænam ab* Augusto *in eorum artifices statuta pœna?* Labienus *cur* Rabienus *dictus? Supplicium* fustuarium *an olim fuerit?* Petrus Pithœus, *id negans, refutatus.* Duplicis *generis fuit apud Romanos.* VI. *Adversarii lucifugæ nullâ responsione digni.* Aristophanes & Martialis *laudati. Calumniatores* neglecti *conticescunt cito,* retusi *magis intumescunt.* Heidani *præclare dictum.* Invidia *suæ ipsius pœna.*

I. Restat

I. REstat tandem amaræ *invidentiæ* ærugo, quæ Literatorum animos plus justo occupans, eos ad *aliorum* Labores contemnendos non raro etiam sollicitat. Vidit & questus id modo est abhinc sesqui seculum doctissimus Hispanus *Ludovicus Vives*, ut hæc ejus verba indicant: *Illud magnopere dolendum est, insidere sæpenumero ingeniis doctorum quidem, sed non æque bonorum hominum, periculosum* invidentiæ *virus quâ bona opera incessant, lacerent, proscindant, aut perdere conentur, profutura aut allatura lucem, obscurare*; nec non ante ipsum *Hieronymus: Accedunt* (ita ille) *ad hoc* invidorum *studia, qui omne, quod scribimus, putant reprehendendum.* Quibus *Erasmi* hæc adde: *Erant* (inquit) *qui* Cyprianum *verterent in* Caprianum. *Origenes ne mortuus quidem Hydram* invidiæ *potuit effugere. Hieronymo ad extremum usque diem amarulenta cum* æmulis *rixa fuit.* Excipitur tamen ab Erasmo *Ambrosius*, de quo ita: *Nullius unquam scripta latius inclaruerunt, aut minus obnoxia fuerunt invidiæ.* Et quodnam certè *livore* hoc malum turpius! quodnam majori cum iniquitate conjunctum! Argumenta amoris in odii vertit alimenta, quoque quis rerum tam divinarum quam humanarum sapientiâ excellit magis, hoc magis distorto eum intuetur oculo: quasi concessorum donorum rationem misellulis nobis hominibus reddere teneretur Deus; & in eodem expanso variæ magni-

Lud. Viv. in Præf. ad August. de C. D.

Hieronym. ad Rustic. de vit Monastic.

Erasm. Præfat in oper. Hieronym.

nitudinis ſtellas, in eadem domo varii generis vaſa, in eodem corpore diverſæ præſtantiæ membra, cãdemque in familiâ & Rep. diverſas functiones eſſe non conveniret. Hinc Dei ſapientiam impugnare, Eccleſiæ bono inſidiari, in ſe ipſos crudeles, inque alios injuſti eſſe cenſendi ſunt, quotquot peſtiferum hoc malum in ſinu fovent̃es, dum ipſi edentuli ſunt, veſcentium dentibus *invident*; atque hoc œſtro perciti *contemnunt* & carpunt omnia, quæ emendare non poſſunt.

II. Imovero non *contemtus* tantum, ſed & *interitus* præſtantiſſimis quibuſdam *Lucubrationibus* perniciosiſſimâ hâc lue intentatus nonnunquam fuit. Tanto quippe olim *in Gregorium* M. prædeceſſorem ſuum *livore* accenſus fuit *Sabinus*, Pontifex Romanus, ut parum abfuerit, quin omnes boni *Gregorii* libri Vulcano fuerint dicati. *Adeo* (inquit Platina) *in* Gregorium *irâ & invidiâ exarſerat homo malevolus.* Neque ſors melior Rab. *Maimonidis* voluminibus obtigiſſet, eo quod *aliqui, nominis ejus celebritati* invidentes, *nihil non contra ſcripta ejus molirentur*; niſi alia quædam intervenisſet cauſa, quæ funeſtum illud periculum avertiſſet. Eis quoque eodem periiſſet fato *Tertullianus*, primum depravatione, deinde ſitu, niſi *Beatus Rhenanus* luci eum rediviſſit. Ut *Irenæum* taceam, cui idem pene obvenit, Scriptori utique inter omnes indigno, qui unquam periret. Ita nimirum *mediocribus* ſæpe *ſcriptis* (autore Symmacho) *amicorum benignitas favere novit, aliorum* invi-

Platin. de Vit. Pontif. pag. m. 187.

Pocock. Port. Moſ. in Præfat.

Symmach. Lib. 5. Ep. 185.

vidia *ignoscere non novit*; eò quod nihil acutius aliorum contueatur nævos, quam oculus hoc succo obductus. Argutè indicabat id olim *Sannazarius* (de quo etiam supra) dum quæstione in conspectu Regis (quem fuisse puto *Ferdinandum Juniorem*, Neap. Regem, cui perquam gratus fuit) inter *Physicos* motâ, *quid præcipue oculorum conferret perspicuitati*, aliique *fœniculum* proponerent (de quo legere apud *Avicennam* est,

Abreneth. Medic. Anim. cap. 21.

Avicenn. 2. Canon. cap. 281.

Quod purget stomachum, visum *quoque reddat acutum*)

alii vitri usum, alii aliud, *Ego* (dixit) *invidiam puto, siquidem majora omnia aliorum vitia & pleniora, quam sunt, videri facit.*

III. Interim æmuli hi, ut aliorum *labores* contemptibiles reddant, haud eodem semper procedunt pede. Sunt qui *aperto Marte* eos eorumque incessunt Autores, nominibus suis haudquaquam dissimulatis; quasi scil. e caninis rictibus, id est, *publicâ* sugillandi, calumniandi & satyricè perstringendi audaciâ quandam veluti gloriolam aucuparentur, & δαιμονίως ἐνθυσιᾶν καὶ κορυβαντιᾶν, sive

Horat. de Art. Poetic.

Quælibet in quosvis convitia *figere*,

cunctosque qui quicquam promunt, quod ad palatum suum non est, nec *multa* forsan

dies

dies, & multa litura coërcuit,

vel qui id scripsit,

Perfectum decies non castigavit ad unguem,

ut asellos bipedes traducere pro virtute haberent. *Plautinæ familiæ* homines, ut vocat Hieronymus, *sciolæ tantum ad detrahendum.* Quosque adeo *Librorum* tantum *venena* exsugere natos jure dixeris, dignosque qui cum *Psyllis Marsisque* (Ophiogenes aliis sunt) hoc nomine comparentur: quorum olim erat, venenatum eorum sanguinem exsugere, qui a serpentibus percussi erant; de quo sic Suetonius; *Cleopatræ &* Psyllos *admovit* [Augustus] *qui venenum ac virus exsugerent, quod periisse morsu aspidis putabatur.* Nimirum superstitem Reginam illam in triumphum ducere Cæsari animus erat, adeoque, si penes se stetisset, vitam ejus conservare, ad tempus saltem aliquod producere optasset. Imovero quidni multo *Marsis Psyllisque* pejores homines hosce habeas? cum nihil illi, nisi quod revera venenum erat, exsugerent, suctuque suo corpori, quod infectum erat, salutem conferrent, uti *Celsi* hæc indicant: *Quisquis exemplum* Psylli *secutus, & ipse tutus erit, &* tutum *hominem præstabit*: hi vero *Librorum* tantum venena sibi fingant, suctuque suo orum non tam bonum, quam damnum, imò interitum quærant. Atque hinc tum est, quod, *Invidiâ* obstetricante, bonæ notæ Scriptoribus, ab iis etiam, quorum

Hieronym. Ep. 27. & 48.

Sueton. in August. cap. 17.

Plin. lib. 28. cap. 3.

Cels. de Re Medic. lib. 5. cap. 26.

Arnob. cont. Gent. lib. 2.

nunquam boves abegerunt aut equos, *inscitiam*, *stupiditatem*, ἀκρισίαν, quinimo *artium* pene omnium, *Linguarumque*, quibus sua conscripserunt, *Latinæ* imprimis *ignorantiam* improperari nonnunquam videas, propriâ licet experientiâ & conscientiâ sæpe reluctantibus, & reclamantibus. Scilicet istiusmodi heroum judicio ii, quibus minus favent (prout de *Oscis* olim Romani) *Osce & Volsce fabulantur*, *nam* Latine *nesciunt*; dumque, ob nullas alias causas possunt, ob *stylum* saltem *minus comtum* & Romanum, vel qualemcunque alium dissensum *Criticum* plebis literariæ despectui exponendi sunt. Quæ quidem telà cum maxime vulgaria non tantum, sed & summè ignominiosa fere sint, non est, quod multum mireris, si comminuendis iis bonos Autores pressius aliquanto insistere forsan deprehendas. Equidem nunquam non gravissima in Scriptores contumelia hæc est, at nunquam tamen magis detestabilis, quam cum ab iis etiam infertur, quorum, uti dixi, nunquam *boves abegerunt aut equos*, id est, qui ne quicquam injuriarum passi ab iis unquam sunt. Cujus notabilissimum sed non usque adeo laudabile exemplum videre est in Viro Cæteroquin erudito *Johanne Sauberto*. Nunquam ab Antonio Mureto læsus is erat, imo ne esse quidem poterat, cum *hic* jam diem forte modo obierit, antequam *ille* primam lucem adspexerat, saltem antequam animum ad scribendum appellere potuerat, quod in annum hujus seculi incidit L I X, cum a°. seculi præteriti LXXXV. *Muretus* mortuus modo sit.

Rittershus. de LL. XII. Tabul. cap. 4. pag. m, 10.

Crauser. Phosphor. in Præfat.

Saubert. de Sacrific. Veter. cap. 19. pag. m. 463. 464. 465.

Funcc. fol. m. 172.

At

At quam virulenter tamen *Saubertus* in Leonem illum mortuum insurrexit! Dissensus inter hos erat super sensu usuque vocis χρεῖας, vel Veterum HOC AGE; in mactandis victimis usurpato; & Muretus *Gabrielem Faërnum*, a se hic divortentem, minus forte humaniter exceperat; hinc ergo ita in eum Saubertus, *Faërni* scilicet ὑπερασπιστής, & qui potuit acerbius? *Superciliosum hominem! qui etiam* Erasmi *aliorumque optimorum laudes impudentissimo ore conspurcare laborat . . . Noti quoque sunt mores* effæminati *illius* pædiconis, *sancti, si DIs placet, & honesti amatore, ne dicam Christiano homine perquam digni, cui aliquando* vivicomburii *supplicium a Magistratu, ob* παιδεραστίας *crimen impendebat, sed vix ac difficulter eum liberatum* Roma *læta excepit, atque* Professoris *munere bonum virum ornavit.* &c. Sunt vero in *maledicendi* hoc genere illi quidem plerumque audaciores, qui se jam qualitercunque *eloquentiæ* laude, nominisque celebritate Orbi literato innotuisse existimant. Hisce enim, sui hâc opinione turgidis, possibile vix est, omnia illa non contemnere, quæ *rotunde* (quod *Horatio* perinde est ac *nitidissimè* & exquisitissime,

Grajis dedit ore rotundo *Musa loqui*) Horat. loc. cit.

exarata non sunt, id est, cum *Ciceronis* sui stylo, quem efflictim depereunt, exactissimè non conveniunt; *in arctum* veluti (ut loquitur alicubi Lipsius) *lectionis* [Scriptio- Lips. Instit. Epist. cap. 11.

Melanchton. Rhetor. lib. 2. pag. 136. 144.

nis] *Tullianæ omnem eloquentiam concludentes; γνήσιοι Aristarchi!* Grammaticus enim ille, qui hoc nomen gessit, tam castigato se putavit esse judicio, ut *Homeri* versus nullus haberetur, quem ipse non probaret.

Cicer. ad App. Pulchr. lib. 3. Ep. 11.

Ut enim (ita Cicero) *Aristarchus.* Homeri *versum negat, quem non probat, sic tamen tu* Appium affatur) *lubet enim jocari, quod disertum non erit, ne putâris meum:* Imo vero pro lubitu versus quos vellet, ut partus supposititios ab *Homeri* familiâ submovit: licet dicant alii, ipsum communi suffragio in *Censorem* talem creatum fuisse. Meminit hujusmodi hominum subinde τριβμέγιστος noster *Roterodamus*, eosque sequentem in modum castigat: *Nihil moror istos quosdam* Eloquentiæ *pene dixerim simios, qui dicendi* [scribendi] *virtutes inani quodam ac puerili vocum tinnitu metiuntur, atque ubi multorum denique dierum lucubratione, non sine corporis impendio susceptâ, unum aut alterum* flosculum *suis intertexuerint* scriptis, *& quatuor e* Cicerone, *& totidem e* Sallustio *voculas adsperserint, protinus apicem* Romanæ *facundiæ assecutos se credunt. Tum displicet Divi* Hieronymi *stylus, tum putet* Prudentius, *tum* elingue, mutum, infans *esse videtur, ubicunque non vident quatuor illas* M. Tullii *voculas.* Et alio loco: *Non probârim quosdam, qui ceu* barbarum *horrent, quod in his posterioribus* (qui nempe post *Ciceronem* scripserunt) *reperiunt, præsertim cum fieri possit, ut quod refugiunt, apud* Tullium *fuerit in Libris, quos desideramus.* Adhuc alibi: *Divinum quiddam est esse* Ciceronianum. *Nec tamen statim* male *dicit, qui secus*

Gesner. Onomast. pag. m. 48.

Erasm. Adag. Chiliad. 3. cent. 1.

Idem. de Verbor. Cop. cap. 20. & Epistol. lib. 21. Ep. 38.

cus dixit, quam Cicero *dixit.* Respicit hisce & supra allegatis verbis *Ciceronianorum* factionem, quæ tempore eo tum in *Italiâ* tum in *Germaniâ* vigebat, ac eo quidem usque procedebat, ut ei addicti multo sibi probrosius esse putarent, *non Ciceronianum* quam *non Christianum* dici; quos passim *Desiderius* irridet, *imo rideret ipse Cicero*, ut ait, *si revivisceret.* Et certè, monstret mihi semel quisquis sit Aristarchus in *Cicerone*, *Sallustio* vel *Livio* suo contortuplicata hæc *Plauti* verba (qui ut *verborum* alias *Latinorum elegantissimus, atque elegantiæ in verbis* Latinæ *princeps* a *Gellio* deprædicatur, juxtaque accuratissimum Criticum Philippum Pareum *linguæ* Latinæ *lex, norma* & *regula* fuit, hocque a *Quintiliano* olim retulit testimonium, quod *Ælii Stolonis musæ sermone ejus locuturæ fuissent, si* Latine *loqui voluissent*.)

Epist. lib. 20. Epist. 15.

Gell. lib 1. cap. 7. & lib. 7. cap. 15.

Parei Lexic. Critic. in Præfat.

Quintil. lib. 9.

Plaut. in Persid. Act. 4. scen. 6.

Vaniloquidorus, virginisvendonides,
Nugipolyloquides, argentiextenibronides,
Tedigniloquides, nummorumexpalponides,
Quodsemelarripides, nunquampostearipides.

sicuti *Lenonem* suum ibi describit. Ut etiam quod alibi habet,

tunc papillæ primulum
Fraterculabant. Illud volui dicere,
Sororiabant.

Gathak. Cinn. lib. 2. cap. 3. pagm. 205.

Vel ubinam *Tullius* has habet voces: *quidditas, baptismus, Eucharistia, Euan-*

Clauder. de Antiquit. §. 55. 58.

Brisson. Παρεργ. lib. singular.

gelista, *Apostolus*, *Paradisus*, *Papa*, *Cardinalis*, *Abbas*, *Monachus*, *Diaconus*, *Trinitas*, *Juramentum* &c quæ *Theologorum* τεγνολογήματα sunt; vel has Jure consultorum: *Vasallus*, *rescriptum*, *Cancellarius*, *Parlamentum*, *Advocatus*, *Falcidia*. &c; ut & Philosophorum *subjectum*, *prædicatum*, *prædicamentum*, *syllogismus* &c. Quin in ipso forte *Cicerone* Tulliomimi hi carpant, quod vocabulis quibusdam nonnunquam usus sit, quæ primâ fronte deformia videri potuerunt, ut *mulierositas*, *beatitas*, *acervalis*, *mollitudo*, *dulcitudo* &c. *Solœcismos* mitto, quorum ne *Latinissimi* quidem Scriptores plane semper immunes fuerunt: ne quidem ipse *Cicero*, cujus hæc in *Verrem* verba sunt: *Hanc sibi rem sperant præsidio futurum*; nec magis *Plautus*, cui in *Amphitruone* est: *Nunc vero in* mentem *mihi fuit*; quique sæpissime insolentiâ constructionum contra vulgatos *Grammaticorum* Canones utitur: verbis nempe passivis & transitivis *active*, activis *passive*, compositis pro *simplicibus*, simplicibus pro *compositis*, singularibus pro *pluralibus*, &c. E. G. *Exite huc aliquis*. Epid. Act. 3, scen. 3. vers. 18. quod & *Terentius* habet: *Aperite hoc* aliquis *ostium*. Adelph. Act. 4. scen. 4. vers. 25. &c. Uti nec desunt, qui hujuscemodi constructionum integros catalogos texuerunt. Et quid noviores Grammatici, *Sanctius* imprimis & *Scioppius*? Hinc tales invexerunt constructiones, *hunc pelagum*, *hic Corinthus*, *hic laurus* &c. quas vulgaris Literatorum schola pro *solœcismis* non potest non habere? Et Vossii

Cicer. Tusc. Quæst. 4 & de Natur. Deor. 1. & de Orat. 3.

Id. in Verr. Orat. 5.

Plaut. Amphit. Act. 1. sc. 1. vers. 25.

Pare. Mantiss. Lexic. Crit. pag. 166.

Dilherr. Disputat. Academ. p. 11. pag. 334.

Sanctii Gramm. pag. 7.

Sciopp. in Annotat. Grammat. Institut.

So-

Solœciſtam ſi conſideres, anne vel ullus erit Scriptor, qui graviſſime hic reus non ſit? Ne acdum (quod *Galenum* voluiſſe, teſtis eſt Alb.ricus Gentilis) *neminem prorſus ob orationis* ſolœciſmos aut barbariſmos *reprehendendum eſſe*; utque ſupra ex Auguſtino *Lud. Vivem* diſſerentem audivimus, *eo magis* ſolœciſmis *&* barbariſmis *offendi homines, quo infirmiores ſunt, & eo eſſe infirmiores, quo doctiores videri volunt.* Equidem, prout qui aliena ſemper premere veſtigia vult, non niſi tarde progredi poteſt, idque cum quadam moleſtiâ, non libere ad ſuum ſed alienum arbitrium greſſuum ſuorum ſpatia commenſurando; ita qui e præſcripto egredi non audet, ſed alienis ſemper verbis omnia animi ſui ſenſa exprimere conatur, ſine ullâ vi, ſine ullo acumine, vel ullo ſententiarum pondere, imò fatuè nonnunquam & inſulsè loqui debet. Quapropter nulli quidem, diſertiſſimo utut & nitidiſſimo Scriptori, nedum ſoli *Ciceroni*, ſtylum nimiopere adſtringendum eſſe jure cenſueris; maxime cum ipſiſſimus *Tullius* conceptis verbis aſſerat, *cæteras fere artes ſeipſas per ſe tueri ſinguias*, bene *dicere* [ſcribere] *autem, quod eſt ſcienter & perite, & ornate dicere* [ſcribere] *nullam habere definitam regionem, cujus terminis ſepta terminetur*; Cordate iterum Eraſmus: *Ego tantum abfui, & ſemper quidem, ut* Ciceronianæ *phraſios figuram exprimerem, ut etiamſi poſſim aſſequi, malim* nonnunquam *aliquod dicendi genus ſolidius, aſtrictius, nervoſius, minus comtum, magisque maſculum.* Neque ex æquo proinde & juſto contra eos, qui

Lib. 1. cap. 8. §. 6.

Ant. Schor. de Rat. Obſerv. *x.* 5.

Cicero Ap. Franciſc. Sylv. in Præfation. ad Progymnaſm.

Eraſm. Ep. lib. 20. Ep. 8.

hunc aliumve Scriptorem examuſſim non imitantur, proceditur, ſi eam ſolam ob cauſam mox tanquam non *Ciceroniani*, *Salluſtiani* vel *Liviani*, minusque eloquentes a quoquam exagitentur. E contra haud procul a tyrannicâ in *Literatos* dominatione abeſſe dicendi ſunt, qui legem ſtatuere audent, quâ quis loqui aut *ſcribere* debeat; cum Oratorum ſummus, nec dicendi ſolum ſed & cenſendi autor optimus, quæſierit, nec invenire unquam potuerit, quænam eſſet in vario ac multiplici *eloquentiæ* quaſi vultu præſtantiſſima dicendi forma, magisque animo & imaginatione complexus ſit, quam facultate aſſecutus *abſolutæ eloquentiæ* effigiem. Attamen prodolor! nuperus non eſt agendi, vel potius ob hanc ſimilemve rationem bonos Autores fugillandi hic modus, ſed antiquitus modò a variis in ſe mutuo plus nimio uſurpatus, indeque ad hæc etiam tempora infauſto nimis omine derivatus, ut ex dicendis pleniùs pateſcet. Non minimum olim contra fidem Chriſtianam *Paganorum* præjudicium erat, quod Doctores ejus, contemtâ ſecularis eloquentiæ vanitate, trivialem in promulgandâ eâ humilitatem ſequerentur, verborumque lenociniis & fuco abſtinerent; qui eapropter tanquam agreſtes, ruſticani, ſordidi ab iis exagitabantur & irridebantur, *ſoloeciſmis* paſſim *barbariſmiſque* ipſis objectis. *Hæc* (inquit Lactantius) *imprimis cauſa erat, cur apud ſapientes & doctos hujus ſeculi Scriptura ſacra fide carebat, quod* Prophetæ *communi &* ſimplici ſermone, *ut ad populum ſint locuti. Contem-*

Baud. Epp. Cent. 2. Ep. 2.

Elmenhorſt. in Arnob. lib. 1. pag. m. 32.

Lactant. Inſtit. lib. 5. cap. 1 & lib. 6. cap. 21.

temnebantur itaque ab iis, qui nihil audire vel legere, nisi expolitum *&* disertim *volebant; nec quicquam inhærere animis eorum poterat, nisi quod aures* blandiori *sono permulcebat*; ea *vero quæ sordida videbantur*, anilia, inepta, vulgaria *existimabantur.* Neque *Christianos* tantum Gentiles, sed & se invicem hanc ipsam ob causam acerbe satis perstrinxerunt. Ita, quod neminem fugit, *Zoilus Amphipolites* (κύων ῥητορικὸς, *canis Rhetoricus* dictus, homo tam propudiosæ nequitiæ, ut rogatus, *quâ de causâ de omnibus male loqueretur?* responderit: πάντας γὰρ κακῶς βουλόμενος ἃ δύναμαι, *quoniam male facere, cum velim, non possum*). magnum olim *Homerum* est insecutus, *insciitiæ*, & nescio qualium non in exarandis scriptis suis sphalmatum eum postulans; unde & ipsi ὁμηρομάστιγος, quibusvis vero ipsum imitantibus Literatorum detractoribus *Zoili* nomen adhæsit. Ovidius:

Arnob. c. Gent. lib. 1.

Isid. Pelusiot. lib. 4. Ep. 27.

Ælian. Var. Histor. lib. 2. cap. 10.

Ovid. de Remed. Amor. lib. 2.

Ingenium magni livor detrectat Homeri,
Quisquis es ex illo, Zoile, *nomen habes?*

Cruci tandem suffixus dicitur, vel potius præ *invidiâ* ipsi sibi gulam fregisse, quò *Martialis* hoc pertinet,

Martial. lib. 4. Epig. 76.

Pendentem *volo* Zoilum *videre.*

Dicunt alii, ipsum de *Scironiis* saxis ab *Olympicorum* spectatoribus deturbatum esse, ὅτι ἐπίσκωπτεν ὁμηρόν, *quod* Homerum *ludibrio habuisset.* Nec humanior in hunc ipsum Poëtam fuit Eratosthenes, dum

Muret. Or. 3.

ineptæ loquacitatis magistrum eam indigitavit. Et quid *Virgilio* non obvenit? Fuit, teste *Donato*, qui stylum ejus contumeliose exsibilavit:

Donat. in Virgil. Vit.

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?
Dic mihi, Damœta, cujum pecus? anne Latinum?
Non, verum Ægonis nostri sic rure *loquuntur.*

M. Vipranius *novæ κακοζηλίας repertorem* cum dixit; Herennius *vitia* ejus contraxit; Petilius Faustinus *plagium* & *furta* ei exprobravit. Senecam etiam tanquam *arenam sine calce, ob corruptum & depravatum dicendi genus*, risit Quintilianus. *Baldum*, Jurisconsultum nulli secundum, *Bardum*, ipsum *Justinianum* Imperatorem *analphabetum* quidam nuncuparunt. Benevenutus, apud Vallam, Servium Grammaticum *bestialem* dixit, ut ipse Valla Poggium *bestialissimum*: Ille (inquit) *bestialis* Servius. *Profecto de te* Poggi: *qui negas illum unquam errasse: dicturus hic* bestialissimus Poggius, *hoc est dementissimus.* Erasmus *impium, indoctum* & *obscœnum rabalam* eum vocat. Estque hic idem ille *Poggius Florentinus* sive *Brandolinus*, qui Concilii *Constantiensis* Secretarius fuit, & totus licet hæresibus, Idololatriæ, & superstitionibus *Papalibus* immersus, tam honorificè tamen de *Hieronymi Pragensis*, ob religionem veram *Constantiæ* olim contra datam fidem exusti, vitâ, moribus, & morte judicavit & pronunciavit, ut

Ang. Polit. Præfat. in Quintilian.

Vall. Invectiv. in Pogg. lib. 1.

Erasm. Ep. lib. 4. Ep. 7. & lib. 31. Epist. 42.

Pogg. Ep. ad Leonard. Aretin.

Morn. de Eucharist.

ut in ſtuporem egerit Orbem, ſuorumque cenſuram effugere non potuerit. Extat hâc de re memorabilis ejus Epiſtola ad *Leonardum Aretinum*, cui hic indignabundus ita reſcripſit: *Nudius tertius habuimus exemplar Literarum tuarum a* Barbaro *miſſum, de* Hieronymi *ſupplicio: quarum elegantiam valde probo. Tu illi tamen plus tribuere videris, quam ego vellem. Etſi judicium tuum ſæpe purgas, tamen neſcio quid majoris affectionis animi præ tefers. Ego* cautius *hiſce de rebus ſcribendum puto.* Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Palæmon Vicentinus Grammaticus, eâ fuit arrogantiâ & amarulentiâ, ut *Marcum Varronem*, ingenii & memoriæ alias inter Romanos prodigium, *porcum* vocitare non erubuerit, *ſecum & natas & morituras Literas eſſe* jactitans. Omnium audaciſſimus frontiſque maxime expers fuit *Aſinius Gallus*, quem & *monſtrum prodigioſumque & vecordem hominem* ideo appellavit A. Gellius: Hic *Cæſaris Julii* Commentarios, tantopere in Rep. Literariâ celebres, tanquam *parum diligenter, nec integrâ veritate compoſitos* traduxit; In Salluſtio *verba obſoleta* carpſit; Livium ut *peregrinum nimis, longiuſque a Latio verſatum*, exagitavit; imò ne ipſi quidem *Ciceroni*, genuinæ Latinitatis parenti, pepercit, cui *ſtylum exanguem* objecit. Ne Calvum & Brutum addam, qui hunc ipſum *Aſianum, fractum & redundantem* dixerunt. Et quid etiam noſtro hoc ſeculo vulgatius eſt, quam ipſiſſima hæc *invidioſæ* maledicentiæ ſpecies. Quid *bono Eraſmo* non accidit ab Antagoniſtâ ſuo

lib. 1. pag. m. 145. 146.

Aretin. Epiſtol. ad Pogg.

Sueton. Catalog. Illuſtr. Grammatic.

Gell. lib. 17. cap. 1.

Sueton. in Julio. cap. 56.

Eraſm. Epiſt. lib. 4. Ep. 7.

Turneb. Adverſ. lib. 28. cap. 22.

Eraſm. Apolog. adv. Stunic. p.

ſuo *Stunicâ*? In me *tam parcus & malignus eſt* (inquit) *ut nudo, quod ajunt, etiam veſtimenta detrahat, nihil non adimens infelici* Batavo, *ingenium, memoriam, curam, judicium, eruditionem, lectionem & intellectum ſacrorum voluminum, peritiam linguarum omnium, elegantiam, denique Grammatices etiam* Latinæ *ſcientiam.* Stomachoſe etiam abhinc quinquaginta præter propter annos *Cornelius Janſenius*, Epiſcopus Iprenſis, *Voetio* noſtro objecit, quod *omnibus viribus* eloquentiam *affectans tantâ imbecillitate molitus id ſit, ut neceſſe habuerit novo quoque paſſu reſpirandi causâ ſubſiſtere*: *Quod* Grammaticus *fuerit e pulvere* inferiorum *claſſium nuper emerſus . . . quod toties* Latina *vocabula obſcuriſſima, ex adytis Latinitatis hauſta, Theologicæ diſputationi, ubi claritas maxime neceſſaria eſt, obtorto collo intruſit, nimirum ut Lector minus peritus abſtruſæ Latinitatis, ſuccinctus* Lexico & Calepino, *apud ſe admirabundus cogitet, quantus Vir ſit* Voetius, *qui per ſingulas pene paginas, ſine tali ſubſidio, intelligi nequiret.* Invectus etiam nuper eſt in *Hoornbekium* & *Eſſenium*, utrumque eruditiſſimum virum, homo quidam obſcurus, ſectæ *Remonſtranticæ* promachus, dum illum *ſcriptorem ineptum, quem pueri in triviali caſtigent*, hunc *vix fari potentem* dixit. Nec minus in Illuſtrem *Caſaubonum* iniquus fuit apoſtata *Scioppius*, de quo ſic in Epiſtolâ quadam ad *Heinſium* queritur: *In his eſt ὁ παιγδαίμων Schoppius, quem accepi ab Excellente Viro* D. Lingelshemio, *furioſe in me debacchari*, pe-

Ianſen. Spong. adv. Voet. Ep. Dedicat. & cap. 1.

Epiſt. Eruditor. Viror. pag. m. 575.

pedibus manibusque nitentem demonstrare, *me* Latine loqui *nescire*, *neque in istis Literis quicquam intelligere* Ipsissimum socienum suum, propriæ Religionis consortem, *Claudium Frassenium* Minoritam, haud dissimili infectatus est modo *Richardus Simon*, famosus *Historiæ Criticæ* autor: cujus genium sic nuperrime, non ex odio (contrarium enim evincunt varia, quibus eum cohonestat, elogia) sed cum συμπαθείᾳ descripsit eruditissimus Vir Jacobus Basnagius: *Doleo Virum procul dubio doctissimum ultra moderationis & decori metas abripi se tam leviter pati, ita ut* omnes *adversus illum in arenam descendentes* convitiis *potius quam pondere* rationum, *obruantur, & unius veritatis causa susceptа disquisitio in* probra *vergat*: *Miror* (inquit Simon) *nuperum scriptorem ex ordine Seraphicorum, zelo plus quam Seraphico accensum, sententiam hanc in* Disquisitionibus Biblicis *tanquam impiam damnasse, illiusque autoribus dira imprecatum. Verum, ut audio, Seraphicus ille Doctor, cum nihil sciat* Hebraice *atque* Græcè, *audacissimæ tamen est institiæ, & ex eorum secta, qui quæcunque ignorant blasphemant*: eandem inflante tibiam fidissimo ejusdem *Simonii* Hyperaspiste (si ipse *Simonius* non sit, sed larvatus) cujus hæc in *Judicio de Responsionibus* Excellentissimi *Vossii* verba sunt: *Miror profecto belli* Critici *audaciam, qui tamen non aliam habet Librorum* Hebraicorum *cognitionem, quam illam, quam habere solent Bibliopolæ*. Mitto *Henricum Stephanum*, qui peculiari Tractatu ipsius *Lipsii* Latinitatem

Casaubon. Ep. 113.

Basnag. Div. Chrysost. Epist. p. 152.

R. Simon. Castigat. ad Is. Voss. Object. pag. 42. 43.

Hieronym. Camus. Judic. de Respons. Voss. pag. 21. 6.

se

Montacut. in Anti-Diatrib.

Roſweid. ibid.

Ant. Matth. Orat. 1. pag. 20.

ſevere caſtigavit, ut hic iterum *Sigonii*, illique aliorum ſtylum & ſcribendi rationem, *Montacutius*, *Roſweidus*, *Sanctius*, *Scioppius*, *Voſſius*, &c. Sed vero quam juncea ſpicula hæc ſint, haud generoſis certe, ſed deſperatis, & cauſæ ſuæ diffidentibus, parumque a ratione, a candore forte adhuc minus inſtructis Scriptoribus uſurpata tantum & digna, quis eſt qui non videat! Cum jure merito veritati juſtitiæque litare parum ceuſendi ſint, qui ſe non niſi pravis animi affectibus, & maledicendi in *ſcribendo* furore agi, omni poſito pudore teſtatum faciunt. Quâ de cauſâ neque incredibile mihi eſt, quin ſedatius forte *ſtyli* hi, quo quis pro modulo ſuo utitur, exagitatores procederent, ſi modo, quantum interſit inter *Orationes* publicè coram populo habendas, quin & prælo forte committendas, & iſtiuſmodi *Commentarios* Libroſque, qui inculcandis & excolendis hiſce vel illis diſciplinis artibuſque deſtinati ſunt, ritè conſiderarent. In *illis* utique, eo quod ad demulcendos & oblectandos animos, ſemper ſaltem ad ornatum compoui ſolitæ ſint, ſermonis *Latini* puritas *& Ciceronianus* nitor, haberi ſi poſſit, haud bene negligitur; at *horum* alia quadantenus ratio eſt; quos utcunque non parum commendare etiam poſſit exquiſita & polita *Latinitas*, haud ita tamen neceſſaria in iis eſt, ac in mox memoratis argumentis; dum fine ſcopoque, qui *illic* ornare & perſuadere, *hic* docere tantum eſt, non conveniunt. Expeditque tum, *Senecæ* exemplo, non af-

affectari sermonis apparatum, sed eum adhiberi *stylum, qui ultro ad manum est*, ideamque & venam ingenii scribentis optime repræsentat; *Qualis* (inquit *Lucilio*, conquerenti, quod *minus accurate* scriberet) *sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus*; illaboratus & facilis, *tales esse epistolas meas volo, quæ nihil habeant* accersitum *& fictum*. Leporem *nativum* vocat *Nepos*, Pomponioque Attico tribuit, *non adscitum*. Tantum sollicitè curet *Scriptor*, ut mens sua Tractationis, quem tenet, modo abunde elucescat: cui utique claritati, ut pluribus supra assertum est, curatius, quam verborum venustati & elegantiæ videtur insistendum. *Neque* enim *prodest* (Augustini verba sunt) *locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis vel legentis, cum loquendi omnino nulla sit necessitas, si quod loquimur non* intelligant, *propter quos loquimur, ut intelligant*. M. Tullius (inquit Erasinus) *non requirit eloquentiam a* Philosopho, *& quisquam eam requirat a paræmiographo?* iisque, quos in *Adagiorum* suorum Opere *eloquentiam* forte desideraturos esse præsagiebat, sic occurrit: *Hos etiam futuros arbitror, ut* eloquentiam *exigant, primum ab homine* Hollando, *id est, plus quam Bœoto; sed extra jocum: in* Opere, *quod totum ac proprie sit ad* docendum *accommodatum, & ad docendum res, non illas quidem indignas cognitu, sed ita minutas atque humiles, ut non modo non flagitent Orationis* ornamenta *copiamque, verum etiam repellant ac plane repudient*. Et adhuc alibi: *Neque M. Tullii illa myrothecia conveniunt iis quæ*

Senec. Epist. 75.

Cornel. Nep. in Pompon. pag. 369.

Augustin. de Doctrin. Christian. c. 10.

Erasm. Ad. Chiliad. III. Cent. 1. adag. 1.

Epistol. lib. 25. Ep. 30.

L. Valla Invectiv. in Poggium lib. 2.

Erasm. Epist. libr. 27. Ep. 38.

quæ vel ad docendum *parata sunt, vel* religionis *negotium tractant.* Estque proinde non vulgare quid, sed singulare *Digestorum* in Jure Civili privilegium, quod, utcunque ad *docendum* & erudiendum accommodatissima sint, eo tamen politæ *Latinitatis* splendore eniteant, qui ipsis ab aliquibus, imprimis a *Laurentio Valla*, licet rigidissimo alias ne dicam mordacissimo, si quisquam, verborum censore, tribuitur. Verba ejus digna sunt, quæ huc transcribantur: *Relegi* (*inquit*) *proxime* L. Digestorum *Libros, ex plerisque JConsultorum Voluminibus excerptos: & relegi tum libenter, tum vero quadam etiam admiratione, quod nescias, utrum diligentia, an gravitas; prudentia an æquitas; scientiarum an* orationis *dignitas præstet, & majori laude digna esse videatur. JConsultis* his, *qui inter manus, versantur, nihil est, meâ sententiâ, quod addi adimive posse videatur; non tam* Eloquentiæ (*quam quidem materia illa non magnopere patitur*) *quam* Latinitatis *atque* elegantiæ; *sine quâ cæca omnis doctrina est, & illiberalis, præsertim in Jure Civili.* Adhæc *Latina* lingua communis *Romanorum* olim fuit, quâ & pueri & mulierculæ utebantur, ut *Læliæ* mulieris exemplo probat *Cicero.* Utcunque ergo qui *vulgari* tantum tum loquebantur, modo *Literarum periti* non dicerentur, quod verborum concinnumque sermonis *Latini* delectum non haberent, dicebantur tamen *Latine loqui*, quia hic patrius & vernaculus eorum sermo erat, non nisi minori nitoris & elegantiæ gradu ab eo di-

L. Vall. Elegant. lib. 3. Præfat.

Plutarch. in Quæst. Platonic.

Cicer. de Orator. libr. 3. & in Brut. pag. 441.

distinctus, quem per excellentiam *Latinam* vel *Romanam* appellabant. Prout & huc forte facit, quod *Plautus*, in comparatione ad Græcæ linguæ venustatem & *Latinè* loqui per *barbarè* loqui non semel expresserit: sic habet in *Asinariæ* Prologo: Plaut. Asinar. in Prolog. & in Trinumn.

Dicam, huic nomen Græce est onagos Fabulæ.
Demophilus scripsit; Marcus vertit barbare.

id est, *Latine*, inquit *Dousa*, ad *Festum* provocans. Quod utique de *accuratâ Latinitate* non videtur intelligendum, cum, qui eâ utebantur, *barbare* loqui nunquam dicerentur. E contra eximebantur ab hoc nomine *Latini*, quod mitiorem magisque cultam linguam haberent. *Barbari* vero, teste *Strabone*, dicebantur, qui difficulter, aspere atque duriter (Nizolius habet *inquinate*) loquebantur, quasi duriloqui & *crassilingues*, ut qui impedite loquuntur, *blæsi* & *balbi* dici nobis solent. Adde quod, juxta probatos Autores, *Latine loqui* & scribere non illi tantum dicendi sint, qui *Tulliano* & *Liviano*, uti dictum est, more & stylo examussim loquuntur & scribunt, sed illi quoque, qui *ingenuè*, juxta verum & pretium, non involute sed *evolute*, id est, ut apud *Martialem* est, *Romanâ simplicitate* loquuntur & scribunt: Douf. in loc. Plaut. Wulferr. de Vit. linguar. §. 4. Strab. Geograph. lib. 14. Nizol. Thesaur. p. 147. Voss. Partit. Orat. lib. 4. cap. 2.

Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romanâ simplicitate *loqui.* Martial. lib. 11. Epig. 2.

Cicer. in Verr. & Philipp. 2. & 1. de Orator.

Ipse id innuit *Cicero*: *Scitote* (inquit) *Latine me loqui, non accusatorie*, id est, plane, candide &c. Et alibi: *Marcus Antonius* gladiator *appellari solet, sed ut appellant illi, qui plane &* Latine *loquuntur*; hoc est scapham scapham vocant. Scilicet

Turneb. Advers. lib. 24. cap. 5.

bene (ait Turnebus) *Latini de Latinis existimabant, eos* simplices *& ingenuos esse*. Neque est tamen, quod quæ hanc in rem hactenus differui, ita quis capiat, quasi verborum *nitorem*, modumque scribendi *emendatissimum* ac verè *Romanum* ullatenus aspernarer vel flocci facerem, absit; ex animo e contra eum veneror & colo, *barbarieique* hostis sum infestissimus; utcunque ipse eam forte ubivis ex voto evitare non potuerim, Musarum utpote alumnus (quod haud invitus agnosco) in postremis tantum subselliis collocatus. Neque ullo modo arridet quod de *Caligulâ* habet Tranquillus, eum usque adeo *lene quodcunque comtiusque*

Sueton. in Caligul. cap. 53.

scribendi *genus contempsisse, ut* Senecam, *tum maxime placentem, commissiones meras componere & arenam esse sine calce dixerit*. Cum plena certe nauseæ & stomachi eruditio illa sit, quæ orationis jejunitate est comminuta, & pedore verborum contaminata. Tanto duntaxat *Romanæ* & *Ciceronianæ* elegantiæ amore fascinatum quem esse nolim, ut nullum laude dignum Scriptorem esse judicet, nisi qui quam accuratissime eam in Scriptis suis assecutus sit; vel quoscunque illos γνησίως *Latine* scribentium contubernio exturbandos esse arbitretur (quod a quibusdam fieri supra observavimus) qui æque eam feliciter ubicun-

cunque obſervare non potuerunt; vel forſan, dum rerum, quas tractabant, momento quam politiori ſtylo intentiores eſſent, obſervare non uſque adeo laborarunt. *Hæc, mi Franciſce* (ſic iterum Eraſmus) *non eò ſpectant, ut alius ſit magis proponendus* Eloquentiæ *candidatis, quam* Cicero; *ſed ut iſtos rideam ſimios, quibus nihil pulchrum, niſi quod* Ciceronem *refert: quum nulla unquam fuerit forma tam felix, in quâ nihil deſideres.* Eraſm. Epp. lib. 20. Ep. 15.

IV. Utcunque vero tanquam *invidioſi* pectoris indicium condemnandum plane ſit, ſcommatibus & dicteriis in aliorum conatus incurrere, ne tamen abſolute nefas eſſe exiſtimes, inſanam quorundam inſcitiam vel impudentiam verbis nonnunquam durioribus & ſalſis reprimere, vel, uti in Proverbiis eſt, *ſtulto juxta ſtultitiam ſuam reſpondere.* Vix enim poſſibile id non facere aliquando iis eſt, quibus non eſt χάλκεος ἵππος; præſertim homines ſi ſint, quibuscum res ipſis eſt, ventoſi, ſui pleni, typho & arrogantiâ ſublevati, quinimo quoſcunque alios, præ ſe ſuisque faſtidioſo ſemper ſupercilio deſpicientes, de qualibus ſupra egimus. *Ubi* quippe, ut recte Phædrus, Proverb. 26. 5.

vacuus animus, aurâ captus frivolâ,
Arripuit inſolentem ſibi fiduciam,
Facile ad deriſum *ſtulta levitas ducitur.* Phædr. lib. 5. Fab. 7.

Quomodo etenim tales contundi & confundi melius poſſint, quam ſtylo ἐμφατικῷ & nonnihil piperato, fateor me hactenus non didiciſſe; cum indigni ſane, qui *jocis* ſali-

busque ab aliis excipiantur, haberi non possint, qui ipsi stultâ & pomposâ sui ostentatione

Materiam cuivis præbent causamque jocandi.

Lucian. in Pseudolog. Provocant hi ultrò, unde probra sua audiant, uti *Eliensis* olim Tragœdos, referente *Luciano*, eundem in finem dicitur conduxisse. Quintilian. lib. 6. cap. 4. *Habet vim risus* (inquit Fabius) *nescio an imperiosissimam, & cui repugnari minime potest.* Quare ad persuadendum, convincendum, ciendosque affectus non alia tantum adminicula, sed & *risus*, ironiæ, sales, facetiæ &c. commendari a *Rhetoribus* solent. Haud saltem omnimode ab hujusmodi agendi scribendique ratione adhorruerunt (ne *Jobi*, *Eliæ*, imo ipsius *Dei* adducam exempla) ex antiquis Patribus *Irenæus*, nomine & re alias pacificus, *Augustinus*, *Cyprianus*, *Hieronymus*; qui Scriptores licet essent gravissimi, maximeque serii, nonnunquam etiam severi, si tamen cum pyrgopolinicibus quibusdam colluctandum sibi esse deprehenderent, *nasum* sibi non *defuisse* publice ostenderunt; id est, *irrisione* haud quaquam abstinuerunt. *Nasum* enim *habere* nihil aliud est, quam subdolè aliquem *ridere*. Nasum *aduncum* vocat Horatius:

Iob. 12. 2. 1 Reg. 18. 27. Genes. 3. 22.

Horat. Sat. lib. 1. Satyr. 6.

naso suspendit adunco.

Et *nasuti* dicti non tantum, qui sagaces sunt sed & ingeniose *ridere* aliquem norunt:

Na-

Nasutus sis usque licet, sit denique nasus: Martial. lib. 13. Ep. 2.

& qui *crebro* id faciunt, *naribus* dicuntur *indulgere*: Persius:

rides, & nimis uncus
Naribus indulges. Pers. Satyr. 1.

Μυκτηρίζειν vocant Græci, ἀπὸ τῦ μυκτῆρος; id est, *naso*, irrisionis instrumento. *Huic nimirum personæ* (dicit de *Cypriano* Erasmus) *magis congruit dignitas, quam lepos, etiamsi locis aliquot declaret, sibi non* defuisse nasum, *sicubi res ita postulasset*: *velut ubi* falsè ridet *hæreticum quendam, qui negabat* Cyprianum *habendum esse pro* Episcopo. *Deinde cum refellit illos, qui non immersos sed aspersione aquæ baptizatos in periculosis morbis, non* Christianos, *sed* Clinicos *censebant appellandos. Nam hic præter perpetuam illam jucunditatem, sanguinis in morem per omne corpus sparsam,* jocis *ac* dicteriis *utitur.* Et quid *Hieronymus?* Hic, cum *maledicum detractorem*, imo *satyricum in prosâ scriptorem* ipsum dixisset *Rufinus*, sic sese contra illum tuetur: *Hoc obsecro, ut si* mordacius *quippiam scripsero, non tam meæ putetis austeritatis esse, quam morbi; putridæ carnes ferro curantur & cauterio, venena serpentina pelluntur antidoto.* Uti & ipsâ hâc viâ *Jesuitarum* superbiæ mederi conatus pridem est personatus *Montaltius* in *Epistolis* suis *Provincialibus*, doctis sane & jucundis. Id vero licet illibenter ferrent *Jesuitæ*, & odiose ipsi

Erasm. in Præfat. ad Oper. Cyprian.

Hieronym. Apolog. lib. 1.

Montalt. litt. Provinc. Ep. 11. pag. m. 287. 295.

objicerent, ſcribendi eam rationem neutiquam tamen excuſavit, nedum retractavit, e contra graviſſimis quibuſdam argumentis propugnavit: *Jubet* (inquit inter alia) *omnino charitas, nonnunquam aberrationes hominum* irrideri, *ut ab ipſis & rideantur & fugiantur. Inde præclara* Auguſtini *vox:* Hæc tu miſericorditer *irride*, ut eis ridenda & fugienda commendes. Addit in eruditiſſimis notis ſuis ad Montaltium *Wilhelmus Wendrockius: Præcipuus eorum* [Jeſuitarum] *morbus eſt* ſuperbia; *nihil autem* ſuperbiam *validius dejicit, quam* IRRISIO. Ubi & plura alia, huc facientia, adducit. Et quid *Hermias*, Philoſophus Chriſtianus? hic librum adverſus Gentiles evulgavit, quem expreſſâ hâc ſignavit inſcriptione: Ἑρμίου Φιλοσόφου διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων. *Hermiæ Philoſophi Gentilium Philoſophorum IRRISIO.* Proinde haud ſemper illicite, ut dixi, hoc modo proceditur, ſiquidem non temere, ſed rei momento urgente id fiat, ſcandali periculum, animi exacerbatio, vindictæ prurigo abſint, & leniora, ad convincendum & emendandum adverſarium, media qualiacunque præceſſerint, tentata ſaltem ſint. Hiſce, inquam, ſub *cautelis*, non *oleum* tantum promere bonum *ſcriptorem* oportet, ſed aliquando etiam *ſalem*: τὰ ἅλα ἐν τῷ τούλαιον ὠνεῖσθαι, ut loquitur *Ariſtoteles*. Id eſt, ut fructuosè quis ſcribat, obloquentesque pro modulo corrigat, iiſdem haud ſemper adminiculis inſiſtendum eſt, ſed, pro re natâ, ut molliora adhibenda ita & aſperiora: quod eſt, πάτταλον πατταλῷ ἐκκρούειν; malo nodo

Wendrock. in Montalt. pag. 301.

Bibliothec. PP. Tom. 5. pag. m. 190.

Ariſtotel. Rhetoric. lib. 2.

nodo malus aliquando adhibendus est cuneus.

V. Quum vero vix tuta satis *aperta* hæc sugillandi & calumniandi ratio videri nonnunquam possit, volupe nonnullis est, cautius, uti putant, rem hanc agere, id est, cœcis potius viis, sive *Libellis*, carminibusque *famosis*, vel a se ipsis vel ab aliis pro se conscriptis, quam *palam* bonorum Scriptorum, vel aliorum, nomen existimationemque conspurcare, idque nullo quidem eorum, quos feriunt, merito, nec ullâ vel privatâ vel publicâ necessitate id requirente; impune se facere hoc putantes, modo in tenebris & *personati* id faciunt, latentium viperarum instar, quæ in occulto coquere venena sua solent. *Mala carmina condere* id dicunt Jurisconsulti; quorum *duplex* apud ipsos est genus: Unum *incantatorium*, quo Magicis suis excantationibus vel sibi ipsis damna inferunt homines, vel aliis, bestiis etiam & segetibus, de quo Ovidius:

Rittershus. Comment. in Legg. XII. Tabul. cap. 13.

Carmine *læsa Ceres steriles vanescit in herbas,*
Deficiunt læsi Carmine *fontis aquæ.*
Illicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

Ovid. lib. 3. Eleg. 6.

Alterum est *diffamatorium*, quo scripta quædam in aliorum *contumeliam* componuntur, & vel in vulgus sparguntur, vel clam iis, quos feriunt, subministrantur, quo hic respicimus. *Paulus*, Jc. *psalteria* quoque dicit: *Psalterium* (sic loquitur) *quod*

Paul. Sentent. lib. 5. cap. 4.

quod vulgo dicitur Canticum *in alterius* infamiam *compositum*. ᾠδὰς vocant Græci: *Suidas* φάμωσα vel φάμωσα habet, sed parum Græce. Referebatur huc antehac, quin etiamnum referenda est, effigies illa marmorea *Romæ*, de quâ multi multa hactenus, sed non usque adeo consona annotarunt. *Pasquillus* (*Pasquino* dicunt Itali) nuncupatur. Simulachrum quidam esse putant unius ex *Alexandri M.* ducibus, quem idem gessisse nomen volunt; alii pro *Martis* vel celebris cujusdam *Gladiatoris* statuâ habent; tametsi enim mutila naribus, brachiis, tibiisque truncata appareat, gestum tamen corporis, quasi ferire volentis, ac subter se marmoreum aliud quoddam truncatum alterius simulachri fragmentum tenentis refert, quocum dimicâsse videtur. Adhuc alii *sartoris* cujusdam *Romani* (Pasquilli dicti) imaginem inde faciunt, qui *Papam* & Papæ *senatum* mirâ libertate ob vitia sua solitus erat vellicare; cuique postea, ac quidem juxta ipsius tabernam, statuam hanc erectam, proprioque ipsius nomine insignitam fuisse contendunt, quod ob dicacitatem suam magister notissimus *Pasquillus* ibi olim habitasset. Quicquid horum sit, in liquido saltem est, *statuæ* illius hunc quondam fuisse, hodieque adhuc esse usum: ut, siquando homines quidam, vel e circumforaneorum genere, vel alii, sive a *Pontifice*, sive a *Cardinalibus*, sive a Regum & Principum *Oratoribus* futurum, dictum, vel factum quicquam suspicarentur, quod a vulgari opinione abire existimabant, mox *satyram* quandam, vel di-

Bocer. ad L. unic. de Famos. Libell. cap. 1. n. 2.

Besold. Thesaur. Pract. l. p. n. 3.

Torrent. in Sueton. August. cap. 55.

dicterium probrosum & injuriosum scripto de eo conciperent; idque *Statuæ* huic noctu affigerent, ut interdiu legi a quibusvis transeuntibus posset. Atque hoc cum, ut dixi, *noctu* semper fieret, sollicitâque adhibitâ curâ, ne scribentis nomen innotesceret, factum inde est, ut *famosi* quivis *Libelli*, præsertim qui subscripto nomine carent (sunt enim & alii, juxta Jurisconsultos, qui expressum nomen habent) *pasquillorum* venire cœperint nomenclaturâ, omnesque personarum librorumque calumniatores lucifugæ, qui occulte nocere & lædere, suumque pus in bonos *Scriptores*, vel aliorum mores, evomere non dubitant, ut inter atrocis impostoræ, & audacis impudentiæ parietes furtim elabantur, non nisi pro genuinis convicti *Pasquilli* pullis habiti sint, semperque habendi. Quiquidem quam invisi ipsis etiam *Gentibus* nunquam non fuerint, hinc manifestum est, quod haud levius quam *homicidii* crimen committere eos dixerint, &, *Erasmo* teste, mortis pœnam iis decreverint. Diserta legis XII. Tabularum verba sunt: SI QUIS OCCENTASIT MALUM CARMEN, SIVE CONDIDISIT QUOD INFAMIAM FAXIT, FLAGITIUMVE ALTERI, CAPITAL ESTO. Imo juxta Constitutionem Impp. *Valentiniani* & *Valentis* capitali sententiæ is etiam subjugandus dicebatur, qui ab alio inventum libellum famosum non abolevisset. *Hi etiam* (sic alicubi loquuntur) *qui* famosam *seriem scriptionis impudenti agnitâ lectione non* ilico *discer-*

Wesembec. in Paratit. ff. de injur. n. 5.

Harprecht. ad Institut. lib. 4. tit. 4. §. 1.

Rockenbauch. de Pasquill. §. 86. &c.

Gomes. 3. Resolut. fol. 6. n. 1.

Etasm. Ep. lib. 19. Ep. 45.

Ritterhus. loc. cit.

L. unic. C. de famos. Libell.

L. 10. Codic. Theodos. de famos. Libell.

cerpserint, vel flammis exusserint, vel lectorem cognitum prodiderint, ultorem suis cervicibus gladium *reformident.* Quam licet pœnam Jureconsulti quidam ad tales tantum *Libellos famosos* restrictam velint, quibus gravia & capitalia crimina alicui objiciuntur, in hoc tamen omnes consentiunt, quod nullos *famosorum Carminum* artifices impunitos dimittendos esse censeant. De *Augusto* autor est *Rhodiginus*, quod omnium de *famosis libellis cognitionem legis specie* majestatis *tractaverit, commotus* Cassii Severi *libidine, quâ viros, fœminasque illustres* procacibus *scriptis diffamaverat.* Additque alibi de *Labieno* (ob calumniandi licentiam *Rabieno* dicto) *quod* nova *in eum excogitata sit* pœna; *effectum enim esse per ejus inimicos, ut omnes ejus* libri *comburerentur.* Juxta jus commune *intestabiles* declarabantur. Horatius ad ἠξυλοκοπίαν sive *fustuarium supplicium* dicit damnatos:

Rittersh. de different. Jur. Civil. & Canon. l. 6. cap. 4.

Rhodigin. AA. LL. lib. 15. c. 25. & lib. 11. cap. 13.

Lips. in Sueton. Domitian. cap. 8. pag. m. 103.

L. 5. §. 10. si quis Librum. & §. seq. D. de injuriis.

Horat. Epigr. lib. 2. Epigr. 1. ad Aug.

quin etiam lex
Pœnaque lata malo quæ nollet carmine quenquam
Describi, vertère modum formidine fustis.

Quam pœnam & ipsam *capitalem* fuisse, quidam censent; *ad mortem enim* (inquit Rittershusius) *fustibus cædebantur*, nempe juxta Judicis *intentionem.* De *Chosroâ*, Persarum Rege, habet *Zonaras*: Ῥοπάλοις ἐκέλευσε κατὰ τῶν λαγόνων τυπτόμενον τὸν πατέρα ἀποθανεῖν. *Patrem ad* mortem *usque per ilia* fustibus *cædi jusserat.* Nonnullorum tamen meminit *Rhodiginus*, qui utut postmodum pro-

Zonar. Tom. 3.

Rhodigin lib. 3. p. m. 561.

proscripti, nec a necessariorum ullo domi excipiendi, ipsam tamen *mortem evaserunt*. Alii levius *supplicium* hoc faciunt. Imo tam dubia & incerta tota ejus ratio est, ut ne desint quidem, qui nullam prorsus *fustis* pœnam apud *Romanos* locum habuisse volunt; sed sic poëticè locutum tantum esse *Horatium*, ut innueret eos, quos designat, non ex virtutis amore, vel peccati odio, sed ob pœnæ metum *famosorum carminum* scriptione abstinuisse; similitudine mutuo sumptâ a *canibus*, qui, ne quem lædant, *fustibus* absterreri solent. Ita *Pithœus*. Quibus verbis siquidem ad pœnas, *mali carminis* conditoribus decretas, tantum respiciat, easque inter *fustuarium* numerari nolit, utique sensu suo, me judice licet falso, gaudere potest: sed si Populum R. supplicii hoc genere plane distitutum fuisse velit, ut verba videntur innuere (*fustis pœna, cujus Horatius meminisse videtur*, nulla, *ut opinor, fuit*) mirari subit, quo infortunio Vir Doctus in errorem illum delapsus sit; cum vix quicquam in JCtorum. scholâ vulgatius sit, quam *pœnæ* hujus mentio, ut apud *Brissonium* & *Calvinum* videre est. Distinguunt etiam Juris-periti inter fustuarium *paganicum* & *militare*; paganicum statuentes, quod *non-militi* infligebatur bacillis seu virgis fascium, quos Magistratui præferebant lictores; militare, quod *militi* infligebatur, non virgis, non bacillis, sed vitibus. At quorsum distinctio hæc *supplicii*, si ipsum *supplicium* in rerum naturâ nunquam fuerit?

Pithœ. Notæ in Mosaicar. & Romanar. LL. Collation. ad tit. 2.

Brisson. de Verb. Signific. pag. 246.

Calvin. Lexic. Juridic. p. 394. 395.

L. 7. §. 1. ff. ad l. Aquil. &c.

Polyb. libr. 6.

VI. Quamobrem neque mirum cuiquam vi-

videatur, quod vix ullus cordatus Scriptor sit, qui *larvatos* hujuscemodi sycophantas, *infames* quippe, *inteſtabiles*, & Magiſtratuum *vindictæ* obnoxios, ullo reſponſo dignos judicet: quum nemini volupe eſſe poſſit, cum lemuribus & veſpertilionibus conflictando oleum & operam perdere; nec bene quisquam talem in modum adverſantium ulciſcatur malitiam, ut, dum recalcitrat, eos non tam emendet, quam ipſe, cum inſanis inſaniendo, malus quoque fiat. Qui morſum procacitatis morſu compenſat, non petulantiæ vulnus curat, ſed petulantiâ cumulat. Οὐ γὰρ ἔστι συκοφάντῃ δήγματος φάρμακον, *neque enim adverſus ſycophantæ morſum ullum eſt remedium*, ut dicit *Ariſtophanes*. Imovero *ajunt ſana ſentientes* (inquit *Arnobius*) *ſtultis contradicere, ſtultitiæ eſſe majoris.* Luſit in tales eorumque ſimiles olim Martialis,

Ariſtophan. in Pluto.

Arnob. lib. 1. pag. m. 11.

Qui carbone rudi, putrique cretâ
Scribit carmina, quæ legunt cacantes,

Martial. lib. 12. Ep. 61.

(uti Senecæ fuerunt *Tanuſii Annales*, & Catullo *Voluſi* cacata charta)

Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.

q. d. ſervilis & maledica talis frons haud digna eſt, cui ego manſura carminis mei puncta unquam inuram, vel cui vel unum verbum reponam. Neque aliter de ipſo *Auguſto* Suetonius: *Etiam ſparſos* (inquit) *de ſe in Curiâ* famoſos Libellos *neque expavit, & magnâ curâ redarguit, ac ne requiſitis qui-*

Sueton. in Auguſt. cap. 55.

quidem auctoribus id modo censuit, cognoscendum posthac de iis, qui libellos *aut* carmina *ad* infamiam *cujusvis sub alieno nomine edant.* Idem fere *Tiberio* adscribitur ab eodem *Autore.* Ne addam, si *tenebrionibus* istiusmodi obnitaris, eos, veluti torrentem injectis obicibus, altius intumescere solere, cum neglecti citius conquiescant, vel ipsis maledicendo delassatis, vel defessis eorum lectoribus: Id. in Tiberio. cap. 28. Baud. Epp. Cent. 1. Ep. 5.

Bacchæ bacchanti si velis adversarier,
Ex insanâ insaniorem facies, feriet sæpius: Plaut. Amphitr. Act. 2. Scen. 2.

Vel, sicuti *nuncius* ille apud Senecam

Alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis. Senec. Med. Act. 5.

Præclare (inquit) in hanc rem Clar. Heidanus: *Certus sum non multum curandum esse, ut satisfiat* calumniæ, *quando satisfactum est* conscientiæ . . . *Cæteros ut malim, benevolos, ita si malevoli ipsi esse velint, irato suo relinquo genio, qui illos magis ulciscetur, quam ego possem, contumelias eorum ad animum revocando, aut responsione dignando. Sicut enim* malam *conscientiam non sanat laudantis encomium, ita* bonam *conscientiam non vulnerat vituperantis convitium. Invidia* equidem suæ ipsius pœna est; satisque dolorosam in seipsos, qui frænа ei laxant, exercent vindictam, si *invidere* tantum pergant; cum nullâ magis quam hâc viâ atrociſſimi sibi ipsis tortores & Heidan. de Origin. Error. in Præfat.

car-

carnifices sint. Venusinus Vates,

Horat. Ep. 1. ad Lol. 2.

Invidiâ *Siculi non invenêre Tyranni*
Majus *tormentum.*

& Martialis:

Martial. lib. 8. Ep. 4.

Omnibus invideas, *Livide*, nemo tibi.

Cap. V.

De vario Librorum *Fato.*

SUMMARIUM.

I. *Remedia adversus* μισοβιβλίαν *tempestivè adhibenda. Primarium* βιβλιοφίλων *circa* Libros *officium. Pro* vario *hominum genio* varie *semper* Libri *excepti.* II. Rigidissimi *Librorum* censores *ut plurimum qui?* Hieronymi & Talmudicorum *de hoc effata.* Apulejus & Martialis *laudati.* III. *Ob iniquas* μισοβίβλων *censuras Scriptores ab inserviendo* Libris *suis publico non deterrendi.* Diaboli, *ut hoc fiat,* μηχάνια & *æstus. Multi*

Multi etiam Librorum lectores judicesque benevoli. *Scriptores* antehac *contemti* postea sæpe *æstimati.* IV. *Sufficere* Scriptoribus debet, *si non æstimentur ab* omnibus, *quod æstimentur ab* optimis. V. *Omnes Libri* imperfecti. Juvenalis, Hieronymus, Martialis, Quintilianus *ad partes vocati. Non minus sæpe utilis inimicus* reprehensor, *quam amicus* applausor. VI. *Contemptores* Librorum *contemnendi.* Evenus Parius, Saubertus, Martialis, Spanhemius *laudati.* VII. Aloysii Novarini *de* Librorum *suorum editione discursus pius & humilis.* PARALIPOMENA *quædam.*

I. ATque hæ quidem hactenus præcipuæ μισοβιβλίας *causæ* sunt, quibus plures alias impræseptiarum non addo, quia ad figendas anchoras festino. Hisce ergo modo justa tempestive adhibeantur remedia, nullus dubi-

bito, quin *scripta* Literatorum omnia, in timore Domini exarata, suos nunquam pudefactura sint autores aut Lectores, e contra profutura sint multis, nemini obfutura; hoc uno tantum a quorumvis legentium partibus accedente, quod rite ea & *benevolenter* excipiant, animoque discendi proficiendique cupido diligenter volvant revolvantque. Fore hoc dico, si remedia *tempestive* adhibeantur,

Ne mala radices altius arbor agat.

Malum enim in herbâ prudentius supprimitur, quam ubi ad maturitatem semina pervenerunt; & facilius succedit Medici opera, ubi per longas moras morbus nondum invaluit. Quodsi vero contingat, ut, quantâcunque etiam ἀκριβείᾳ & curâ concinnata scripta sint, cunctis tamen singulisque non arrideant (prout nunquam non sunt, qui omnia in pejus rapiunt, aliorumque conatus non possunt non cavillari, licet vel in ipsâ nive atramentum quærerent, Veneremque ipsam culpare si nequeant, ejus tamen sandalium reprehenderent) nihil idmiretur *Scriptor* cordatus, quoniam verissimum est, quod dixit olim *Plato*, Librum qualemcunque inter homines prodeuntem, in *novum veluti Orbem* deferri, variisque a variis tractari & excipi solere modis, præcipue contraria studia si ardeant; illis benigne ac officiosè, hisce adversâ plane ratione contra novum hospitem se habentibus. Adeo peculiari quique suo sunt genio, sine ingenio, imo captu potius, quam ingenio, aliorum omnia metientes:

Pro

Pro captu *Lectoris habent ſua fata Libelli.*
Et quod ſcire *grave eſt*, carpere *cuique leve eſt.*

Quinimooppido difficile eſt Scriptoribus vel *paucorum* reſpondere expectationi, nedum *omnium*. Quâ etiam de causâ conditio eorum, qui *Libros* pariunt, non uno reſpectu miſerior habenda eſt, quam earum, quæ *liberos* gignunt. Quodſi enim mulier, quæ parturit, fœtum edat mutilum, imo ex parte monſtroſum, haud puerperæ vulgus id imputat, ſed vel aſtris, vel corporis vitio, vel caſui, nonnunquam etiam Deo: at ſiquid in ingenii fœtibus vitii ſe prodit, nulla penè ſupereſt venia, ſoli genitori, id eſt, *Scriptori* id imputatur, is ideo in capitis veluti periculum vocatur. Ut & qui corpore puellam gignunt, uni tantum ſponſo eam gignunt, quæ ſi nacta ſit, cui placeat, nequicquam refert, quam placeat vel non placeat aliis: *Scriptores* vero populo gignunt, hoc eſt, multorum capitum belluæ, cujus oculis cum diverſa placeant, ne fieri quidem, ut dixi, poteſt, ut per omnia placeant, etiamſi, quæ naturâ ſuâ formoſiſſima ſunt, genuerint; tam moroſo ſerviendum ipſis eſt proco.

Eraſm. in Epiſt. Dedic. Method. Theolog. præfix.

Pindar. Pyth. 10.

Velle ſuum cuique eſt, nec voto *vivitur* uno: Perſ. Satyr. 5.

ſive, uti Homerus,

Ἄλλος δ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιέρπεται ἔργοις. Homer. Odyſſ. ξ. verſ. 228.

Eurip. Hyppol.

Namque aliis aliæ res arridentque, placentque.

Et quem fugit hoc Horatii?

Horat. Epp. lib. 2. Ep. 2.

Tres mihi convivæ prope dissentire *videntur,*
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter.

Cicer. Tusculan. lib. 5. §. 63.

Quod petis id sane est invisum acidumque duobus.

Eandem scriptionem aliqui excultam nimis & ad vitium pene elegantem dicent, alii rudem nimis putabunt & impolitam. Proditurus enim adhuc coquus ille est, qui ad cujusvis *Apitii* palatum edulia sua præparet. Neque id mirum,

Terent. Adelph. Act. 3. scen. 4.

Theogn. vers 13.

οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔθ' ὑὼν πάντας ἀνδάνει, οὔτ' ἄνεχαν.

ipse enim Jupiter
Neque pluens omnibus placet, *neque sustinens.*

II. Estque hoc ipsum eo magis liberalibus ingeniis grave, quod tales plerumque homines rigidissimos suorum experiantur censores & Aristarchos, *qui* (verba sunt Hieronymi) *judicare tantum de aliis, & ipsi nihil agere noverunt, interdum contra se, conscientiâ repugnante, publice lacerantes, quod occulte legunt. Quique,* ut Idem alibi, *per*

Hieronym. ad Rustic.

Id. ad Domn. Oper. tom. 2.

per angulos garriunt, de mundo ſententiam ferunt. Hic bene dixit [ſcripſit] *ille male, ille Scripturas novit, ille delirat: ille loquax, ille infantiſſimus. Contra quemvis paſſim in triviis ſtrepentes, & ſcurrarum & paraſitorum inſtar maledicta congerentes?* Quibus ex aſſe hæc Clariſſimi *Burmanni* reſpondent: *Sunt, qui nihil aliud ſolent, quam minuta aliorum errata ventilare, & quicquid* ignorant, *hoc errorem vocare: inter quos illi, qui* non ſcribunt, *quia nec forſan poſſunt, longe acriores &* ſeveriores *ſe* aliorum *Operum* cenſores *ſolent oſtendere, quam qui Scriptorum ſuorum publicatione eidem examini ſe ſubjiciunt, quod in alios ſibi ſumpſerint.* Burman. Synopſ. Theolog. in Præloq. ad Lector.

Animosè de talibus Marquardus Freherus: *Quodſi quis nimis velit eſſe moroſus μομμὸς, calamum* ipſe *in manum ſumat, ac ſcopulum veritatis* (*cujus ſe tam præclarum μιμητὴν videri cupit*) *perpetuo ſcil. figat. Næ ille, ubi ſæpe omnes nervos contenderit, nec tamen forſan rem* (*quod ajunt*) *acu, imo ne ligone quidem, tetigerit, faciliorem* (*niſi ne fallit animus*) *ſe aliis deinceps præbebit & moderatiorem.* Freher. de Numiſm. cenſ. ad Lect.

Iſtiusmodi, inquam, homines ſunt, qui cum perveniendi ad aliquam præeminentiam occaſiones præreptas ſibi vident, intelliguntque nullo eruditionis ſplendore creſcere ſe poſſe, a regiâ viâ ad calumniarum & *obtrectationum*, quas in bonos *Scriptores* conjiciunt, diverticula convêrſi, in ſublime ſubvehi ſe putant, ut ſi non aliunde ſaltem e bonorum Autorum contemtu, utiliumque *lucubrationum* abjectione qualemcunque ſibi gloriam cauponentur; malle ſe maleſano hoc conatu & viâim-

piâ instar *Jovis* esse ostendentes, quam inter *minorum Gentium Deos* consistere. Atque ita verum tum fit: Talmudicorum hoc effatum, אדם יוצא לשוק יהי דומה לע יניו כמי . שנמ סרל סדריוט *Homo prodiens in forum est in oculis suis quasi lictori tradendus.* Quia (uti *Glossa* habet) hinc *reprehensiones* & *contentiones* qualiumcunque hominum, *Gentilium* & *Israelitarum*, *oboriri* in ipsum solent. Sive, ut laudatus mox Hieronymus, *in* publicum *aliquid* dare *perinde est, ac si manum in ardentem flammam immitteres, aut te ipsum dares obtrectantium linguis & spiculis*: vel (ut alius adhuc) *quasi ranarum innumero numero te objiceres.* Hoc *genus* (dicit Apulejus) *invenitur, qui meliores obtrectare malunt, quam imitari, & quorum similitudinem assequi dum desperant, eorum affectant simultatem, ut sic, qui* suo *nomine obscuri sunt, aliorum nomine luminibusque innotescant*: hoc quidem, uti dixi, in aliorum exagitandâ eruditione sæpenumero audaciores se præbentes, quanto a genuinâ eruditionis culmine longius absunt. De *Osco* Scholastico dicit Seneca: *Ipse ab Eloquentiâ* multum *aberat; natus ad contumelias omnium ingeniis inurendas. Nulli non impressit aliquid, quod effugere non posset.* Exerti *ac* seminudi *pectoris inverecundam jactantium* vocat *Cyprianus.* Quæ magna equidem horum hominum, utut *felices* se esse in conamine hoc putent, *miseria* & calamitas est, juxta hoc *Martialis* ad *Aulum*, qui

Hoornb. Socinianism. Confut. Part. III. in Dedicat.

Plin. Epp. lib. 7.

Apulej. Florid. 1.

Senec. Controvers. lib. 5.

Cyprian. Orat. de Patient.

Martial. lib. 5. Epigr. 28.

Rubiginosis cuncta dentibus rodunt,

Ho-

Hómines malignos *forte tu dixeris,*
Ego esse miseros *credo, queis placet nemo.*

Urebat pridem indoctiorum hæc, præperitiorum, in judicio de *alienis* ferendo, confidentia *Stephanum Clericum*, cujus & antè miminimus: Cum quidam (sic de ipso ejus *Filius*) aliquando frequenti Senatu, de re, quam nullo modo capiebat, modulus ingenii; magno strepitu verba fecisset, sententiam dicens ordine suo *Clericus* more proavorum nostrorum, qui scapham scapham vocabant; *Miror*, inquit) *eos, quos in hoc negotio constat* doctiores *non esse* scipione *meo* (scipionem manu gerebat) iis hic *acriores* esse, qui rem accuratissime expenderunt. *Vappas* istiusmodi homines vocat *Vives*, metaphorâ a vino acescente desumptâ, quod odorem & saporem suum amisit, uti sunt fere viles, diobolares & indocti viri. *Nam iste* (inquit) *qui jam impugnat*, vappa *est*, *pugione pugnat plumbeo*, *&* altius *tamen* clamat, *quam cæteri. Observa, videbis eum a pugnâ* raucum *discedere: hoc est ei perpetuum; & quantumcunque repulsa sunt ejus tela, urget nihilo secius pertinaciter quidem, sed inefficaciter.*

David. Cleric. in Præfat. ad Quæstion. Sacr.

Lud. Viv. Exercitat. Lingu. Latin. pag. 139.

III. At quid? anne jam propter iniquas hujuscemodi censuras, & dura *Librorum* quorundam fata, ab inserviendo lucubrationibus suis publico, deterrendi & dimovendi boni *Scriptores* sunt, uti *Pamphilo* Martyri accidit, qui hâc de causâ induci nunquam potuit, ut stylo quicquam vulgaret? Absit; ex adverso ad animum potius

tius hoc Poëtæ revocandum est:

Tu ne cede malis, *sed contra* audentior *ito;*

idque ob has quidem rationes luculentas sane & momentosas: (a) Quod astus & μεθοδία infernalis Spiritus tantum sit, omni virium contentione in id incumbere, ut quorumcunque eorum zelum, qui in rem communem, imprimis *Theologicam*, conferre aliquid satagunt, plurimarum difficultatum, ab iis, qui id tentant, subeundarum, obtentu, horribili veluti μορμολυκείῳ & terriculamento haud sufflaminet duntaxat, sed omnimode etiam extinguat. Pathetice hanc in rem alicubi *Alstedius*, ipse Diaboli hoc artificium expertus: *Fons ille boni Deus* Literas bonas *earumque studia hominibus commendaverat, ut earum beneficio se ipso meliores evaderent, & alios commilitones suos meliores facere possent.* Sed Diabolus, *ut mensuram* nominis *sui impleret* (vocaverat quippe ipsum antea vocabulo Syriaco אבלקנזא *Achel Karza*, id est, *obtrectationis promulgatorem*) *mel convertit in fel, deque candido fecit nigrum, quando* literas *divinitus concessas; ut homo homini inservire posset, commutavit in* lituras, *quibus gloria Dei & bona proximi fama obscuraretur. Qui* scribendo *in commune bonum aliquid profert, bene meretur de multis. At* Diabolus *excitat* obtrectatores, *quibus hæc una cura carpere, lacerare, damnare.* Sed huic, inquam, malitiæ ne ad momentum quidem cedendum. (b) Neque omnes etiam, in quorum manus incidunt

Alsted Prædogn. Theolog. in Præfat.

Li-

Libri, Saturnini & inhumani *Timones*, zelotypi puſiones, faſtidioſe delicatuli, cujus ne *Maronis* quidem vel *Tullii* unquam placuerunt Muſæ, uno verbo βιβλιομάσηγες tales ſunt, quales mox deſcripſimus, a quibusque ſibi jure quid metuant *Scriptores* ingenui. Non enim deſunt quamplurimi plane aliter animati, id eſt, tales qui præpoſterâ hâc mordacique ſugillandi libidine non laborant, ſed affectu gratiſſimo bonos *Libros* excipiunt, laude proſequuntur *Autores*, nec non *Deo*, pro eximiâ iis Reipublicæ literariæ ſæpe præſtitâ operâ, maximas gratias agunt. (c) Quin & contingere aliquando poteſt, imo contingit nonnunquam, ut *Libri*, qui *jam* forte non uſque adeo placent, poſt annorum aliquot decurſum ſummopere multis arrideant. Ita *Melanchton*, ſæpiſſime alias de ſeculo, quo vivebat, ſycophantico & maledicentiſſimo conquerens, hâc tamen exſpectatione ſemetipſum ſolabatur: *Si ullâ erit pia* poſteritas, *illa* rectius *de meis* Scriptis *judicabit*, *quam hoc ſycophanticum ſeculum*. Quod ipſe etiam eventus comprobavit, ac etiamnum comprobat. Neque aliter de *Voetio*, tunc *ſuo*, Martinus Schoockius: *Triumphabis* (inquit) *aliquando de iis* (æmulis) *ipſi vero te laudabunt, & deſiderabunt, cum præter memoriam & cineres, nihil amplius colere poterunt.* Ἄλλοτε, uti apud Poëtam eſt, ἀλλοῖος ἦρος, *aliâs alius ventus*. Spem hanc de Conatibus & moliminibus ſuis *ſyncretiſticis* antehac etiam conceperat *Grotius*; ſed ejus eum compotem factum eſſe, pauci ſunt qui credunt. Ita alicubi canit:

Helling. loc. ante citat.

Schoock. in Præfat. ad Deſperatiſſ. Cauſ. Papat.

Grot. Epigr. de Moderat.

——— *noſtro labor hic ſi diſplicet ævo,*
A gratâ *pretium* poſteritate *feret.*

IV. (d) Et quidſi forte Scriptor neque omnium minus faventium morſus plane effugere, nec cunctis ſingulisque placere ſe poſſe conſpiciat, non tamen ideo deſpondendus ei eſt animus, modo hâc ipſum gratiâ beare non dedignetur rerum omnium arbiter Deus, ut, ſi conatibus ſuis ſatisfacere non poſſit *omnibus*, ſatisfaciat tamen *optimis*; laudemque licet non e vulgi, e laudatiſſimorum tamen virorum ore profectam conſequatur.

Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.

Hector apud Nævium:

Lætus ſum laudari me a te, pater, laudato *viro.*

Senec. Epiſt. 102.

Et Seneca *claritatem* a *gloriâ* diſtinguens, *Gloria multorum* (inquit) *judiciis conſtat, claritas bonorum.* Eadem Ciceroni mens

Cicer. de Orat. perfect. §. 41.

fuit: *Ego cum a noſtro* Catone *laudabar, vel reprehendi me a* cæteris *facile patiebar.* Lucilius dixit:

Lucil. Sat. 74.

Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν

Paucis *ſe malle ac* ſapientibus *eſſe probatum.*

Eri-

Erigebat se hâc etiam consideratione olim *Martialis*, sic scribens in *Detractorem*:

En tibi permittis felices carpere nugas;
Quas & perpetui dignantur scrinia Sili;
Et repetit toties facundus Regulus *ore;*
Quique videt propius magni certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus sura Dianæ:
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
Non dedignatur bis terve revolvere Cæsar.

Martial. lib. 6. Epigr. 64.

Apud *Flaccum* argutissima mulierum *Arbuscula*, cum explosa a multitudine in theatro esset, *satis esse* dixit, *equites sibi plaudere*. Et alicubi Drusius: *Mihi curæ fuit, ut placeam* bonis; *& tui similibus* (affatur P. Villerium) *id si assecutus sum, quid alii sentiant non magnopere laboro; probent an improbent, cicum, ut ille ait, non interduim.* Nec non alius Vir Doctus Epistol. ad Suffrid. Calignonum: *Ego unius tui judicio laudatus titivillitii non faciam quidquid gumiæ insaniant, vel bacchantes Dindumeni: Quippe malim unum* Catonem, *quam ter centum* Socratas.

Cunæ. Præfat. in lib. 3. de Rep. Hebræor.

Drus. Quæst. Hebr. lib. 1.

Lindenbruch. Epist. ad Calignon.

V. (e) Et quam profecto non omnium rerum hominumque in hoc mundo epidemica imperfectio est? quâ fit, ut, qualiacunque sint, quæ politissimus etiam *Scriptor* depromat, nunquam tamen tam limata & exasciata sint, quin facile iis adhæresçat aliquid, quod, si in auriâ trutinâ pendatur, ut non satis examussitatum arguere & arrodere *zoilus* quis possit; oblitus scilicet, quanto facilius sit, quæ aliorum sunt,

Plutarch. Oper. part. 2. pag. m. 4.

μυμῆς, quam rite μιμῆς: Tonat (clamabit) & fulgurat quidem *Pericles*, sed sine gravitate; Atticâ subtilitate friget nimis *Lysias*; suavitatem *Phalereo* tribuet, gravitatem adimet; *Isocratem* oratorem umbratilem, affectatis strictûræ numeris, orationisque periodis nativæ dictionis gratiam, perdentem, dicet; *Demosthenis* orationes qui *Ciceroni* alias eloquentiæ omnibus numeris veluti absolutum exemplum est, lucernam olere afferet, nimiumque eum affectibus & urbanitate destitutum fuisse obtendet, & quid non præterea! scilicet tam

Juvenal. Satyr. 10.

——— *facilis rigidi est censura cachinni.*

sive, uti Hieronymus, *nihil levius est, quam otiosum & dormitantem de* aliorum labore *& vigiliis disputare.* Haud vivimus in Republicâ *Platonicâ*, perfecti inter perfectos, acsi syncerum, citraque omnis mali admistionem purum, ab omnique terrenâ fæce divino veluti igne incoctum dari aliquid possit: absit Ἐν ῥοιᾷ δὲ καλῇ σαπρόν τινα κόκκον. *In malo* Punico *etiam probo, granum putre aliquod.* Supra hominem est, uti in aliis rebus, ita & hoc in negotio, nunquam humani quid pati. *Facile* est, dicit Martialis,

Laërt. lib. 6.

Martial. lib. 7. Ep. 55.

Epigrammata belle
Scribere, sed Librum *scribere* difficile *est.*

Et *Idem* ad Avitum,

Sunt

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis hic; aliter non fit, Avite, *Liber.* Id. lib. 1. Ep. 8.

Ingenue Cicero: *Omnis cognitio multis est obstructa* difficultatibus, *eaque inest & in ipsis rebus* obscuritas, *& in judiciis nostris* infirmitas, *ut non sine causâ & doctissimi & antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint.* Scaliger *deludi* nos fere putat, *ut a ciconiâ vulpes, vitreum vas,* inquit, *lambimus, pultem sæpe nou attingimus.* Quapropter (addit Fabius) *ne statim legenti persuasum sit, omnia, quæ magni Autores dixerunt, utique esse* perfecta. *Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati; nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni interdum dormitare* Demosthenes, *Horatio vero* Homerus *ipse videatur. Summi enim sunt,* homines *tamen.* (f) Adde tandem, *Plinium* non credidisse Librum suum placuisse amico, nisi cognoverit, ei quædam etiam in eo displicuisse. Adeoque vitio semper danda non est, quinimo vehementer quandoque optanda illa in studiis dissensio conflictatioque, quam mortalibus utilissimam esse dixit *Hesiodus,* modo ne in rabiem abeat, & citra convitia consistat. Haud gratior subinde esse potest, adeoque & debet, *amicus applausor,* quam *inimicus reprehensor,* dum ne plane ultra crepidam. Etenim si *vere* quis reprehendit, discedes doctior, sin *falso,* acueris ta-

Cicer. Academ. lib. 4.

Scalig. de Subtil. Exerc. 307.

Quintilian. lib. 10. cap. 1.

Erasm. Ep. ad Christoph. Fischer.

tamen, exstimulaberis, redderis attentior & cautior, magisque ad defensionem veri animaberis & excitaberis.

VI. Hisce ergo omnibus rite expensis, quid restare aliud dici potest, quam ut boni quicunque *Scriptores* librorum suorum contemtores generose tantum contemnant, & veluti pro *Cyprii Bovis* merendâ habeant? *Ad* honesta *videnti* (inquit Seneca) *contemnendus est* contemptus *iste.* Imitandus *Thraso* apud Comicum:

Senec. Ep. 76.

invidere omnes mihi
Mordere clanculum, ego non flocci *pendere.*

Terent. Eunuch. Act. 3. scen. 1.

Quid enim est, quod testudo muscam vel elephas culicem multum curet? uti revera, qui vere eruditi sunt tanto intervallo ab iis distant, qui mendacem ejus speciem solum referentes, neque nomen ejus, quod reapse non sunt, assequi valentes, existimationi & conatibus aliorum calumniando insidias struunt. Neque assis faciendum est, *an* & *quid* insimulator quis carpat, sed quo *fundo* & *veritate* id faciat. Ad rem Clemens Alexandrinus: *Nulla Scriptura tam feliciter procedit, cui nullus omnino contradicat; at hæc tamen rationi consentanea habenda est, cui nemo* jure *contradicit.* Et noster Baudius:

Clem. Alex. Stromat. lib. 1.

Quid *quisque dicat sive mussitet in manu*
Non est, sed illud, vera *dicat an secus.*

Baud. Epp. cent. 1. Ep. 8.

nec minus appositè *Evenus Parius:*

Πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως

Ὀρ-

Ὀρθῶς δὲ ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτ' ἐν ἔθει.
Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ, λογος ὡς ὁ πάλαιος
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμὸς δὲ τάδε.

Sylburg. Poemat. Gnomic. p. 130. 131.

Multis contradicere quidem in omnibus ex æquo mos est.
Recte *vero contradicere, non id amplius in more est.*
Et adversus illos sufficit, ut vetus verbum est,
Tibi quidem hæc *videntur, mihi vero* ista.

Laudandus hic inter multos venit Præstantissimus Scriptor *Johannes Saubertus*, qui sic ad *Syntagmatis* sui Lectorem: *Siquidem aliquando aberrasse tibi videbor, humanitati id tribues, in hoc facile proclivi. Zoilorum* fremitus, *qui fœtum meum in ipsâ herbâ petere non erubuerunt, jam dudum* exsibilavi. *Idem & tu, si reviviscant, facito. Quamdiu enim erit mundus, tam diu quoque erit Democritus, qui rideat. At vero sæpe quem* Mopsus *ridet, hunc* Diogenes *admiratur.* Adhuc Martialis:

Saubert. de Sacrif. Roman. in Præfat.

Allatres licet usque nos & usque,
Et grunnitibus improbis lacessas,
Nos hâc a scabie tenemus ungues.

Martial. lib. 5. Epigr. 6.

Dejiciat ergo *se tantum de navi* generosus Scriptor (ut cum *Cicerone* loquar) *& præsto erit, qui excipiat, vel Delphinus, ut Arionem Methymnæum, vel Pelopis illi equi Neptuni, qui per undas currus perhibentur rapuisse.* Sive, ut magis *Christiane* id efferam,

Cicer. Tusc. Quæst. 2.

ram, quod *suum* est præstet *Scriptor*, siquè rectè quid fecerit, uni Deo id tribuat, *per ingenioli sui* (ut piè alicubi Chrysostomus) *oblationem Deo suo sacrificans*; legentiumque semper magis bonum quam quod proprium est quærat. *Officium quippe* (monitum est τῦ πάνυ Spanhemii) *præstare* Scriptoris *est*, *candorem* lectoris, *successum eventumque* Dei, *non hominis*. *Dumque rectè agit* (ut piè Nilus, qui sub *Theodosio Juniore* Monachus fuit, *Abbas* vocatur in *Bibliothecâ* Patrum) *& in virtute proficit*, *laudem a* Deo *tantum requirat*. *Quod si alios doceat* (voce *vel* scripto) *& juvet*, *repositam apud* Deum *mercedem exspectet*, *& tanquam debitum opus persolvens*, *remunerationem ab eo speret in muneribus sempiternis*. Atque huc quidem attendere si velint quotquot muneribus suis *papyraceis* Rempublicam ditare volupe est, spondere ausim, optatos conatibus ipsorum fructus nunquam defuturos esse. Imovero ipsos, utcunque tumultuentur æmuli, ringanturque Orbis & orcus, vasto procelloso que mundi hujus oceano, superbiâ tumido, odio & livore amaro, contentione & ambitione semper agitato, scopulis pravarum opinionum, & male-doctorum male-coctorumque hominum fraudibus impostur isque infami, Cæleſti aspirante favonio, auspicatissimè tandem esse emersuros. Ranæ etenim illæ, quibus terret aliquando imputus Spiritus, multum licet coaxent, vix tamen damni quid adferunt, quibus tantum molestiam quandam exhibentes, nullo negotio superandam. Latrent adversarii, fremant otiosi, rideant ma-

Lud. Vives de morib. Erudit. ex Chrysostomo.

Spanhem. Præfat. in Dub. part. III.

Nilus in Bibliothec. PP. pag. m. 877. tom. 3.

malevoli; vincet tamen tam *Scripti* quam *Scriptoris* tandem ingenuitas, instar palmæ, quæ quo magis depressa fuit, magis renititur; quoque insolentius proculcata, eo uberius crescit. Ipsum sæpe Solem obscurant caligines, sed dissipantur iterum; franguntur Proserpinæ radii aurei, sed renascuntur tandem, & illustriori, quam ante, splendore efflorescunt.

VII. Claudam quæ hactenus differui *Aloysii Novarini* verbis, tam piis certe & demissis, ut dignissima sint, quæ profundissimis cujuscunque boni tum *Scriptoris* tum *Lectoris* præcordiis fixa hæreant. Patiar (*inquit*) Literarium Orbem scire, quid imbecillitas mea, Deo innixa, valuerit, & quid voluerit, ut omnes Divinum Numen mihi propitium reddant, ne ad pœnam mihi sit, *chartaceis* opibus operibusque divitem esse, illis vero carere, quæ ab animæ, superâ gratiâ gravidæ, fœcunditate sunt. Quid mihi proderit, si plura, quam ullus alius effuderim volumina, si librorum multitudinem bonorum operum sterilitate inficiam conficiamque, & tanquam cadavera animâ vacua & vidua, quodam torpore & otii sepulchro sepeliero? Det mihi Deus *Libros* in opus vertere, & illa scribere facienda, ut faciam, quæ possunt scribi. Multa huc usque Vir Doctissime (designat *Gabrielem Naudæum*) orbi obtuli, plura paro, quæ deinceps emittentur; sed quid certi spondeam incertus, an diem crastinum sim visurus? Ut vitam & vires Deus dederit, in Dei gloriam, le-

" Novarin. Encyclopæd. Ep. part. 2.

„ gen-

„ gentiumque ſalutem & profectum, emit-
„ tam paulatim, quæ promiſi. In libris,
„ quos edidi edamque deinceps, illud cave-
„ bo, ne laudis humanæ lethalis aura la-
„ bores meos inficiat. *S. Hieronymi* verba
„ licet uſurpare, nam nec alienam nec a-
„ aliam a mente ejus mentem circumfero;
Nobis propoſitum eſt, non plauſum legentium, ſed fructum proficientium quærere; qui hunc plauſum *ſequitur* plauſu *proſequendus eſt, & incipit* laude *indignus eſſe, qui legentium*
„ laudem *ambit.* Denique multa qui ſcripſi,
„ errare in multis potui: ego hic errores
„ omnes ejuro . . . . ſed jam, *Vir*
„ *Doctiſſime*, habe quæ optabas, ut ego de-
„ beo, quia ſum pollicitus. Tantum dum
„ hic ſumus, ita literas colamus, ut, vitâ
„ noſtrâ functi, inter eos eſſe poſſimus, qui,
„ quod *S. Daniel* dixit, *quaſi ſtellæ fulge-*
„ *bunt in perpetuas* Claritates & *æternitates.*

P A-

PARALIPOMENA,

Quæ, dum prælum curreret, prætermissa sunt.

Pag. 28. l. 30. post verba [*Celeberrimus Hoornbekius*] adde: Quem tamen numerum excessit Primarii cujusdam Viri in nostro *Belgio* Libraria supellex, quam *sexdecim* præter propter Librorum in *Folio* millibus, ac inter eos quadringentis *Bibliis*, constitisse certiorem me nuperrime fecit Nobilissimus ejus Filius *Adrianus Pavius*, Bennekroekii Dominus, Curiæ Provincialis *Hollandiæ* Præses honoratissimus.

Pag. 30. l. 11. post verba [*vim ac robur amiserint*] adde: Notatu dignum est, quod de *Norciæ*, oppiduli in *Italiâ* sub Pontificis Romani ditione siti, incolis refertur, eos nempe in hunc usque diem sollicitè cavere, ne quisquam ad Civitatis suæ gubernacula admittatur, nisi qui *plane illiteratus* sit; quâ etiam de causâ Quatuor-Viri illi, quibus solis totus eorum *Senatus* constat, *Li quatri illiterati* apud ipsos vocantur. Instituti illius sui hanc reddunt rationem: quod metuant vehementer, si qui forte sint, Magistratum inter se gerentes, vel *literis* qualitercunque *imbuti*, vel saltem in eas propensi, ne easdem subire tractu temporis cogendi sint calamitates, in quas cunctos suos Vicinos præcipitatos vident; qui, eo quod plus

juſto tam Politici quam Eccleſiaſtici Ordinis *Togatis*, ſe quippe multo doctioribus & callidioribus, deferre antehac cœperint, viâ illâ ſenſim tandem ſine ſenſu ſub eorum jugo prorſus redacti ſunt.

Pag. 40. l. 6. poſt verba [*currum equus, aratrum bos trahat*] adde: Ac tandem *Phocylides*:

Μηδὲ ποτε κρίνειν ἀδοκίμους ἄνδρας ἐόντας,
Τλὸ σοφίην σοφὸς ἐὼν, τέχνας δ' ἀμάτεχνος.
Οὐ χωρεῖ μεγάλην διδαχὴν ἀδίδακτος ἀκοῦσαι.
Οὐ γὰρ δὴ νοέουσ' οἱ μηδέ ποτ' ἐσθλὰ μαθόντες.

Nunquam judicare ſiveris homines imperitos:
Sapientiam ſapiens *dirigit*; artes *autem qui ejuſdem eſt* artis.
Non capit *magnam* doctrinam *qui non didicit audire*;
Nihil enim intelligunt, qui nunquam bona didicêre.

Pag. 45. l. 6. poſt verba [*Pindari Poemata*] adde: Adſcripſit hoc ipſum *Angelo* etiam *Politiano* Gaſparus Peucerus, quem ad Quæſtionem, *quid de* Pſalmis Davidis *ſentiret?* hæc repoſuiſſe verba refert: *Ego hæc antiqua Poëmata plena ſapientiæ eſſe video. Sunt ibi omnium virtutum præcepta, ſunt Commonefactiones de Providentiâ, comminationes de ſcelerum pœnis, & promiſſiones de juſtorum præmiis & protectionibus. Inſertæ ſunt & veteres Hiſtoriæ iſtius Gentis, & ut traderetur memoria vetuſtatis, & ſimul pœnarum & defenſionis*

Peucer. Ep. ad Chriſtoph. Carlowitz.

sionis exempla in conspectu essent. Hanc sapientiam magni facio, utilem vitæ & moribus, & figuras in suâ linguâ concinnas esse existimo; & olim Harmoniæ additæ sunt, ad ciendos animorum motus accommodatæ. Sed (NB) *in* Pindaro *res eædem* dulcius *enarrantur, & exemplis* splendidius *illustrantur.* Owen. Θεολογήμ. lib. 6. cap. 9.

Pag. 78. *l.* 7. post verba [*sed maturata*] adde: Uti supra dictum est, *boni publici* hic habenda ratio; proutque hoc vel exigit, patitur vel non patitur, serius vel citius e vulgandum aliquid est. *Ego certe* (inquit Celebris Vir Stanislaus Lubienietzkius) *fateor, me in eâ sententiâ esse, quod pace cujusquam dictum velim, magis illam* morosam *&* anxiam custodiam *deberi Scriptis, quæ ad* ostentationem ingenii *solum, vel potiore parte, non ad promovendum* Bonum publicum *& formandos hominum mores fiunt. Nam quæ ad* publicam utilitatem *sunt directa & composita, his puto magis* celeritatis *gratiam cum* omnium *vel certe multorum, quam laudem diligentiæ cum* unius *hominis commodo junctam, esse sectandam.* Lubienietzk. Theatr. Comet. Tom. 1. pag. 648.

Pag. 294. l. 20. post verba [*alienos fuisse demonstrarunt*] adde: Quod quidem huc usque nonnunquam procedit, ut ipsa illa, quæ *nova* sunt, nullo speciosiori & commendabiliori velamine convestiri, aliisque, vulgo imprimis parum perito, accepta reddi possint, quam si sub *antiquitatis* & vetustatis specie depromantur & venditentur. Spectant huc *Spenceri* hæc verba: *Novi homines indies evadimus, dum formam & figuram veterem retinemus: Et* Spencer. de Legib. Hebræor. lib.

3. Dissert. 1. §. 5. *natura sic per ambages & sinuosa molimina rem gerit, ut, licet revera mutentur omnia, in statu tamen* veteri *permanere, vel saltem ab eo non multum recedere videantur. Methodum eandem Politicorum filii sæpe & centies exemplo suo comprobarunt: cum enim in Regno* novis *omnibus revera studeant,* vetera *solent officiorum & Privilegiorum nomina inviolata relinquere. Norunt scilicet Populum* nova *omnia, nisi* veterum *speciem induant, animâ suspicaci videre solitum. Hinc* Taciti *illud,* Arcanum novi status imago antiqui, *&c.*

Pag. 326 l. 5. post verba [*ipsi deferre*] adde: Præclare e Paganis Senecа: *Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam & natales celebrem? quidni illos honoris causâ semper appellem? quam venerationem* Præceptoribus *meis debeo, eandem illis* præceptoribus *generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Consulem video aut Prætorem, omnia quibus honor haberi solet faciam; ego desiliam, caput adaperiam, semitâ cedam. Quid ergo?* M. Catonem *utrumque &* Lælium *sapientem, &* Socratem *cum* Platone, *&* Zenonem Cleanthemque *in animum meum sine* dignatione *summâ recipiam? Ego vero illos* veneror, *& tantis nominibus semper assurgo.*

Senec. Ep. 64.

Pag. 348. l. 19. post verba [*hallucinatum & lapsum esse*] adde: Quibus non sine injuriâ Hæreticorum Malleum, *Petrum Molinæum* non accenseas, qui, tametsi in suâ *Arminianismi Anatome*, temere nimis *Hieronymi* & *Thomæ* adoptatâ sententiâ, de *Dei Providentiâ* agens, conceptis verbis

Hieronym. in Habac. 1.

dixis-

dixisset, *minus esse congruum asserere, ab æterno Deum decrevisse, quot folia eopse* [quo hoc scribebat] *anno habituræ essent Regionis* Neapolitanæ *arbores, vel quot panniculi a mendici forte penderent pallio; eo quod hæc* aut similia *nullam boni malive rationem habere, nec ad perfectionem Universi quicquam facere* existimaret; usque adeo tamen postmodum sui se vacuum, & a fastuosâ ac præfractâ in suâ illâ opinione pertinaciâ alienum esse ostendit, ut errorem illum, ab amicis quibusdam monitus, haud invitus agnoverit, imò, in repetitâ dicti *Tractatus* Editione, publicè retractaverit. Quo quidem consilio nullius cordati viri censuram unquam incurrit, variorum e contra Eruditorum laudes & præconia meritus est; ut me a multis retro annis in *Wassenario* Historico legisse memini.

Thom. Summ. part. 1. Qu. 23. art. 7.

Molin. Anatom. Arminianism. cap. 3.

FINIS.

INDEX AUTORUM.

Baiardus. p. 330
Abrenetius. 382
Acoluthus. 234
Acontius. 141. 338. 352.
Ælianus. 30. 66. 73. 109. 322. 393.
Æschylus. 119. 350
Agellius. 24. 39. 42. 81. 101. 112. 115. 125. 126. 137. 140. 162. 242. 250. 253. 259. 262. 389. 395.
Agrippa. 151. 208
Alcoran. 276
Alcuinus. 48. 195. 240
Allatius. 170
Alexander ab Alexandro. 8
Almeloveenius. 11. 155
Alsiedius. 276. 422
Altingius. 159
Amalarius. 195
Amama. 306. 348
Ambrosius. 349
Ammianus Marcellinus. 5
Ammonius. 323
Angelus Politianus. 394
Anna Maria Schurmanna. 353. 361.
Anonymus. 31. 38
Antonius Panormitanus. 260
Antoninus Pius. 92. 238. 304. 326. 361.
Appianus. 59
Apuleius. 56. 69. 76. 140 319. 335. 420.
Aquilinius. 138. 142
Aretinus. 395
Aretius. 203
Aristophanes. 9. 166. 235. 314. 339. 412.
Aristoteles. 93. 96. 123. 175. 349. 406.
Arnobius. 85. 121. 151. 153. 184. 274 280. 285. 305 321. 341. 385. 393 412.
Arrianus. 88
Athanasius. 213
Athenæus. 13. 185
Aventinus. 25. 324
Augustinus. 34 38. 40 46. 89. 107. 121. 150. 198. 225. 238. 239 259. 274 327. 349. 399
Avicenna. 384
Avienus. 336. 344
Aurelius Victor. 274
Ausonius Popma. 53. 101
Ausonius, Poeta. 35 56. 120. 151. 220.

Baker. 363
Bailius. 179
Balduinus { Franciscus. 7 / Benedictus. 183
Balæus. 7

Bar-

INDEX AUTORUM.

Barthius. 161. 306
Basilius. 248. 293
Basnagius. 116. 149. 363. 397.
Baudius. 5. 45. 72 79 122. 358. 392. 413. 428.
Baxter. 328
Beatus Rhenanus. 181. 376
Beda. 195
Bellarminus. 198. 296
Benzonus. 55
Berkringerus. 237
Bernardus. 69. 77. 239. 240. 329.
Bertramus. 87. 108
Besoldus. 408
Beyerlink. 15. 295
Bibliotheca PP. 145, 406
Blaurerus. 85
Bocerus. 408
Bochartus. 109 341. 347
Bodinus. 29. 30. 52. 92. 184
Boëthius. 93
Borisacius. 223
Bondius. 172
Boterus. 281
Boxhornius. 28
Brissonius. 8. 357. 390 411.
Brouwnius. 109
Bruno. 188
Bucholcerus, 66. 206. 296. 324.
Burmannus. 174. 419
Burnetus. 70
Busbequius. 37
Buxtorfius. 6. 17
Bzovius. 316. 345

Cæsar. 36
Cagnolus. 35. 48. 49. 58
Callimachus. 134
Calvinus Theologus. 90. 273. 350. 374.
Calvinus Juroconsultus. 411
Calvinus Philosophus. 356
Camerarius. 30. 206. 350
Camartus. 205
Campanus Aprutinus. 25
Camusius. 397
Cappellus. 369
Cardanus. 99
Cartesius. 330
Carpzovius. 252. 363
Casaubonus. 104. 149 367. 397.
Cassiodorus. 202
Cato. 100
Catullus. 8. 72. 140
Cedrenus. 260
Celsus. 5. 287. 385
Chrysostomus. 51. 88. 89. 116. 117. 135. 198.
Chytræus. 262
Ciacconius. 55
Cicero. 5. 12. 45. 59. 68. 100. 106. 110. 187. 188. 226. 248. 257. 266. 294. 301. 357. 373. 388. 390. 391. 400. 402. 418. 424. 426. 429.
Clauderus. 389
Claudianus. 47. 351

Clemanges. 278
Clemens Alexandrinus. 72. 213. 238. 428.
Clericus [David] 26. 27. 57. 125. 248. 333. 337. 351. 421.
Cligtovæus. 211. 212. 240.
Coccejus. 42. 202. 226. 344 360.
Coelmannus. 288
Coletus. 140
Cornelius a Lapide. 198
Cornelius Gallus. 74
Cornelius Nepos. 53. 290. 326. 364. 399.
Crauserus. 386
Crinitus. 167
Cunæus. 363. 425
Cuspinus. 35
Cyprianus. 141. 145. 294. 344. 420.

Dietericus { Pater. 179 / Filius. 158
Dilherrus. 53. 67. 225. 369. 390.
Diodorus Siculus. 51
Dio Cassius. 302
Dio Chrysostomus. 355
Dionysius Halicarnassæus. 274
Donatus. 73. 109. 160. 254 391.
Donsa. 357. 401
Drexelius. 13. 76. 94. 255. 366.
Drusius. 4. 425
Dungæus. 176
Durandus. 242. 376

Elmenhorstius. 392
Epictetus. 68. 88. 227. 349.
Epicharmus. 8. 222
Epiphanius. 249
Erasmus. 4. 18. 31. 36. 38. 43 66. 69 70. 73. 80. 85 90. 104. 120. 121 135. 146 179. 182. 192. 212. 220. 223. 226. 228 239. 241 248. 253. 270 329. 346. 354 361. 365. 382 388 389 391. 395. 399. 403. 405 409. 417. 427.
Evagrius. 295
Evenus Parius. 428
Euripides. 182. 246 322. 348. 355. 374 418.
Eusebius. 51. 60. 75. 118. 151. 153. 161. 184 243. 273. 327.

Farnesius. 32. 208. 246
Fernelius. 13
Foxus. 29
Florus. 82. 191
Freherus. 419
Freigius. 249
Fritschius. 24. 85
Fulgentius. 108
Fulgosius. 15. 51. 59
Fullerus. 173
Funccius. 386

INDEX AUTORUM.

Gaffarellus. 9
Galenus. 181
Garnerus. 69
Gathakerus. 58. 101. 113. 204. 332. 354. 389.
Gellius Snecanus. 95
Genebrardus. 13. 271
Gerſon. 295
Geſnerus. 388
Gevartius. 78. 111. 341.
Geuſius. 9. 198
Goldaſtus. 260. 280
Gomarus. 133
Gorreſius. 409
Graſerus. 338. 352
Gregorius M. 71. 342
Gregorius Michaël. 45 199. 275.
Gronovius. 36. 87. 219
Grotius. 28. 35. 304. 424
Gryphiander. 157
Gumenius. 302
Gundlingus. 296
Gyraldus. 354

Hacſpanius. 318
Harprechtus. 409
Hattemius. 207
Heda. 305
Heidanus. 413
Heidfeldius. 174
Heideggerus. 170. 265. 277
Helmſius. 95. 158. 332
Hellingus. 145. 324. 423
Heresbachius. 305
Hermolaus Barbarus. 81. 117
Heſiodus. 107
Heſchius. 85
Heſychius. 9
Hieronymus. 52. 54. 65. 92. 107. 122. 158. 161. 198. 211. 212. 220. 240. 254. 259. 287. 345. 382. 385. 405. 418. 436.
Hilarius. 345
Hoekelshovius 133
Hofmannus. 124. 127. 266. 318.
Homerus. 107. 139. 280. 291. 417.
Honsdorffius. 33
Hoornbekius. 28. 40. 78. 93. 108 116. 141. 143. 150. 156. 192. 299. 316. 420.
Horatius. 4. 45. 50. 57. 66. 71. 103. 110. 123. 124. 134. 145. 167. 171. 172. 231. 248. 292. 335. 336. 339. 348. 357. 358. 387. 404. 414. 418.
Hotomannus. 258. 261
Hottingerus. 14. 28. 74. 145. 149. 167. 196. 316. 346. 364.
Huberus. 253
Huëtius. 243
Hugenius. 15
Hyperius. 52

Jacobus de Vaux. 297
Janſenius. 396
Johannes Gerardi. 233
Johannes de Mey. 82

Johannes Sarisburienſis. 33. 100. 224.
Joſephus. 194. 195. 363
Iſidorus Peluſiota. 213. 242. 392.
Iſocrates. 71
Ivarus Adolphus. 261
Julius Capitolinus. 362
Julianus. 259
Junius (Hadrianus) 11. 249.
Juſtinianus. 35
Juſtinus. 35
Juvenalis. 5. 27. 37. 144. 220. 257. 278. 280. 286. 314. 354. 357. 426.

K*Irchmannus.* 169

L*Actantius.* 7. 42. 117. 188. 208. 275. 376. 392.
Laërtius. 5. 12. 100. 111. 123. 136. 236. 245. 274. 326. 331. 426.
Lætus. 351
Langeveltius. 176
Laſitius. 345
Leo Allatius. 170
Le Moine. 370
Lichtfoot. 211
Lindenbruchius. 82. 425
Lipſius. 17. 35. 56. 70. 102. 163. 165. 193. 203. 265. 279. 287. 317. 332. 387. 410.
Livius. 82. 303
Lomejerus. 13. 26. 28. 195. 266.
Lubienietzkius. 435
Lucas de Penna. 48
Lucianus. 103. 222. 336. 362. 404.
Lucilius. 424
Lucretius. 118. 252. 292. 316
Ludovicus Vives. 77. 127. 144. 202. 247. 249. 285. 301. 382. 421. 430.
Lutherus. 315
Lydius. 25

M*Accovius.* 156
Macrobius. 140. 170. 259. 292.
Magdenburgenſes. 323. 345
Maginus. 30
Maimonides. 211
Mamertus. 145. 296
Manilius. 67. 144
Manlius. 44. 272. 347
Mantuanus. 294
Maphæus. 27
Marbodæus. 152
Marchantius. 209
Marckius. 275. 303. 376
Mareſius. 184. 372
Martialis. 6. 7. 10. 44. 57 69. 86. 122. 125. 127. 137. 146. 146. 147. 180. 302. 306. 334. 336. 340. 393. 401. 405. 412. 414. 420. 425. 426. 429.
Martianus Capella. 6

Mar-

Martyr. 171
Maſtrichtius (Petrus) 148
Matthæus. 61. 124. 336. 398.
Maurus Terentianus. 239
Melanchton. 91. 126. 226. 356. 388.
Melchior Adam. 113. 324
Menagius. 154
Mercerus. 197. 241. 304
Mercurialis. 339
Micrælius. 372
Middendorpius. 264
Minutius Felix. 60 185. 287. 293. 321. 376.
Molinæus { Petrus. 156. 437 / Ludovicus. 372
Montacutius. 398
Montagne. 13. 29. 30. 160. 247.
Montaltius. 406
Morellus. 118. 168
Morinus. 75. 87, 92. 155.
Mornæus. 271. 394
Muretus. 32. 163. 176. 255. 293. 393.

Næranus. 370
Natalis Comes. 81
Natalis & Alexander. 155
Nauclerus. 264
Nazianzenus. 103. 229. 235. 292.
Nicephorus. 328
Nilus. 327. 430
Nizolius. 401
Nollius. 212. 225. 286
Nonius. 53
Novarinus. 431. 432
Nyſſenus. 359

Opſopæus. 177
Oſiander. 350
Ovidius. 7. 8. 10. 51. 58. 67 84. 152. 223. 307. 341. 373. 374. 393. 407.
Owenus. 369. 435

Pancirollus. 7. 25
Panormitanus. 52
Panvinius. 140
Paretus. 45
Pareus. 33. 101. 389. 390
Parrhaſius. 332
Parrus. 368
Patricius. 149
Paulus JC. 407
Paulus Jovius. 276
Pellicanus. 273
Peraldus. 223
Perreaud. 195
Perſius. 9, 360. 405. 417
Petrarcha. 29
Petrus de Natalibus. 41
Petrus Meſſias. 24
Petrus Suavis. 274. 276. 278
Petrus Venerabilis. 330
Prucerus. 434
Pezelius. 158. 206. 324
Pfannerus. 195
Philalethes Polytopienſis. 14
Phædrus. 59. 79. 81. 135. 254. 333. 403.
Philemon Comicus. 343
Philippus Bergomenſis. 35
Philo. 243. 251

Philostratus. 351
Phocylides. 434
Phorbæus. 155. 173
Piccartus. 39
Pierius. 10
Pindarus. 101. 292. 417
Pirkheimerus. 15
Pithæus. 411
Plato. 9. 356. 374
Platina. 264. 271. 328. 383
Plautus. 43. 120. 292. 315. 320. 372. 389. 401. 413.
Plinius. 8. 39. 53. 58. 66. 112. 146. 162. 235. 253. 277. 307. 316. 358. 385 420.
Plutarchus. 32. 33. 40. 48. 72. 82. 135. 137. 164. 191. 250. 258. 271. 296. 323. 331. 374. 400. 425
Poggius Florentinus. 105. 394
Polybius. 9. 411
Polus. 256
Pocockius. 362. 382
Pollux. 291. 333
Polydorus Virgilius. 25. 273
Pomponius Mela. 259
Pontanus. 251
Pontanus Jovinianus. 264
Prideaux. 171
Procopius. 30
Propertius. 54
Prosper. 187. 327
Prudentius. 60. 110. 153. 290. 293. 366.
Publius Syrus. 281. 291
Pulmannus. 186

Quintilianus. 43. 45. 60. 66. 108. 120. 126. 138. 170. 193. 238. 326. 373. 380. 404. 427.

Raderus. 10
Radbertus. 162
Ravanellus. 9
Raynaudus. 153
Reatinus. 211
Renaldinus. 17
Revius. 205
Rhodiginus. 67 194. 252. 361. 373. 410.
Richardus de Buri. 263
Ridderus. 15. 318. 323
Rigaltius. 82
Rittershusius. 33. 386. 407. 409. 410.
Rivetus. 40. 149. 170. 192. 246. 325.
Rockenbauchius. 409
Rosinus. 152
Rosweidus. 398
Rousius. 213
Ruarus. 204. 212
Ruffinus. 240. 227

Sallustius. 54. 119
Salmuth. 6. 10 28. 356
Salvianus. 190
Sanctius. 390
Sannazarius. 384
Saubertus. 152. 306. 423
Scaliger (Julius) 68. 109. 165. 167. 340. 274.
Schardrerus. 44

INDEX AUTORUM.

Schefferus. 67
Schickardus. 326
Schmidius. 186
Scioppius. 390
Schonæus. 229
Schoockius. 325. 371. 423
Schorus. 391
Schottus. 79. 364
Schriverius. 10. 147
Scultetus. 85. 206. 364
Seldenus. 9. 150. 180. 202
Seneca Philosophus. 32 37. 53. 56. 71. 102. 140. 146. 169. 170. 172. 181. 220. 227. 236. 319. 323. 231. 348. 354. 376. 399. 420. 424. 436. Tragicus. 356. 413
Servius. 169 259
Sextus Empiricus. 230
Silius Italicus. 360
Simonius. 397
Simonides. 175
Simsonus. 274. 296
Sixtus Senensis. 6. 108
Sleidanus. 205. 261
Smaragdus. 242
Socrates. 18 159. 287
Sohnius. 94. 365
Solinus. 236
Spanhemius Pater. 158. 171. 430 Filius. 55. 280
Spencerus. 148. 276 291. 319 435.
Spizelius. 34. 46. 338. 352
Statius. 10. 78. 352
Stella. 198
Steuartus. 371
Stiblinus. 231
Stobæus. 43. 71. 76. 291
Strabo. 246. 264, 401
Strada. 366
Suetonius. 30. 65, 111. 115. 118. 121. 193. 249. 251. 358. 266. 273. 275. 321. 361. 386. 396. 402. 412.
Stunica. 102
Suicerus. 77
Sulcerus. 54
Sydonius. 222
Sylburgius. 429
Sylvius. 391
Symmachus. 383
Synesius. 169
Szegedinus. 971
TAcitus. 121. 148. 167. 292.
Tatianus. 330
Terentius. 160. 163. 322. 357. 418. 428.
Tertullianus. 87. 115. 285. 229. 327.
Theodoretus, 50
Theganus. 245
Theophilus Antiochenus. 260
Theognis. 227. 329. 418
Thomas. 106. 437
Thomasius. 150
Tibullus. 58. 337. 351
Tiraquellus: 8
Tirinus. 360
Tobias Andreæ. 205

Tol-

Tollius. 136. 151. 179. 230
Torrentius. 408
Triglandius. 338. 352
Turnebus. 9. 73. 103. 111. 127. 190. 231. 250. 395. 402.
Turrettinus. 86. 116. 234

Valerianus. 51
Valerius Maximus. 59. 240. 273.
Valesius. 243
Valla. 395. 399. 400
Varro. 53. 141. 152. 191. 314.
Vatablus. 86
Vedelius. 297
Vegetius. 191
Vegius. 333
Vellejus Paterculus. 35. 68. 284.
Veratius. 135
Victor. 34. 46
Villalpandus. 181
Vincentius Lirinensis. 182 302.
Virgilius. 78. 340. 341. 342. 373.
Vitruvius. 168
Voetius { Gisbertus. 165. 236. 317. 338. 352. / Paulus. 13
Voisinus. 211
Volaterranus. 60
Vossius { Joh. Gerard. 17, 69. 107. 109. 143. 154. 157. 177. 267. 368. 401. / Isaacus. 11. 26. 32. 55. 148. 150. 263. / Matthæus. 16.
Vriesius. 29. 147. 371
Ursinus. (Joh. Henricus) 89. 110. 152. 168. 197. 221. 250. 270. 304.
Vultejus. 47

Wassenarius (Historicus) 437
Wendrockius. 406
Wendelinus. 366
Wesembecius. 409
Wilhelmius. 319
Wiertsius. 225
Wipo. 36
Witsius. 210
Wouwerius. 623
Wulfferus, 401

Zonaras. 400
Zwinglius: 213

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

Abaljardus quis. *pag.* 329. Animo intumescens tristi a Deo desertione est mulctatus. 330. Putidi ejus Errores. 329. Quos an postmodum retractaverit, quidam ajunt, quidam negant. 330. *Bernardi* de eo testimonium. 329

Acontius (Jacobus) cum *Origene* comparatus, & quare? 337. Ad *Indifferentismum* in Religionem introducendum proclivis fuit. 338. De *Libro* ejus, quem *Stratagemata Satanæ* inscripsit, judicia Eruditorum. *ibid.*

Acumen apud Romanos quid? 110

Adversaria e Libris, quos legimus, necessario conficienda. 248. Unde hæc sic dicta? *ibid.* *Demosthenis* quomodo nuncupata? 249. Cum delectu & judicio congerenda. 252. *Fructus* eorum varii. 250. 251. In concinnandis iis non oportet esse nimis operosum. 253, 254

Ægypti annuum vectigal quantam olim summam confecerit? 264

Ægyptii cur tempore Judæorum *Paschatis* greges & arbores suas *minio* illinere soliti? 8

Æneas Sylvius suorum quædam, quæ juvenilibus annis licentiore calamo effuderat, ætate provectior factus condemnavit & retractavit. 76. Quid, postquam jam *Pontifex* factus esset, a *Romanis* suis peticrit? *ibid.*

Ætatem ferre, portare, pati quid significet. 55. 56 Quo sensu id *Libris* etiam applicandum? *ibid.*

Agnes

Agnes Imperatrix in Episcopum *Cassinensem* perversè liberalis. 222
Ἀκεβᾶς ἀναγινώσκειν quid? 238
Albâ amussi quædam conglomerare quinam dicendi? 253
Album (liber) quid, & unde sic dictum? 331
Aldus Manutius quot *Libros* Academiæ *Pisanæ* Testamento olim legaverit? 24
Alexander M. cur a solo *Apelle* pingi, a solo *Lysippo* fingi voluerit? 123. Ingens ejus in *Homeri* libros affectus. 258. Pro pueris liberalibus Artibus imbuendis singularis cura. 271. In *Aristotelem* Præceptorem suum gratus animus. 326
Alienam sententiam *explodere*, quam *propriam* rite *asserere*, facilius. 103
Alphonsi, Arragoniæ Regis, in *Libros* eorumque Scriptores intensus amor. 35. 260
Alphonsi, Castellæ Regis, voces impiæ & blasphemæ. 317. Nimiopere hic a *Viro* quodam *Docto* laudatus & commendatus. 318
Ἀμβολίας in *scribendo* incommoda. 93
Amalesuntha, Gothorum Regina, non vulgariter erudita. 33. *Athalaricum* Filium suum *Literis* imbuendum tradens Regni sui *Procerum* indignationem incurrit. 30
Amici nulli commendabiliores quam *Libri*. 49
Ἄμμα θοεῖζειν quid? 66
Ἀμύστι πίνειν quinam dicendi. 233
Angues quomodo aures obturare soliti? 331
Ἀνὴρ τετράγωνος, *vir quadratus* quis? 175
Animalia magna diutius fere parentum suorum visceribus inclusa. 72
Annæ Mariæ Schurmannæ laus. 15. 16. *Epistolæ* quatuor linguis exaratæ. *ibid.* Præcox ingenium 361. Εὐκλεία haud multo ante obitum ejus pu-

publica facta. 15. Querela, quod immodicis aliorum præconiis nimium tribuerit. 353
Antiquis cur antiquiora passim gratiora? 292. 293
Antisthenes cur *Librorum* scriptioni infestus? 36
Antonini Pii Imperatoris in præceptores suos gratitudo. 326. *Dialogi* ab ipso *puero* conscripti. 361. Animus Philosophiæ bonisque Literis addictissimus. 35. 362
Apollinaris partim laudatus, partim notatis. 327. Quâ viâ in hæresin primum deductus sit? 328
Ἀπροσδιόνυσα in scribendis *Libris* resecanda. 141
Apulejus ob caliginosum Stylum pulsatus. 127
Ara ab Aristotele *Platoni* erecta. 323
Argumentorum pondere non *numero* certandum. 190. 191
Aristarchus Grammaticus nihil ipse scribens rigidus tamen alienorum censor fuit. 43. 44. A nonnullis πολυγράφοις accensitus. 13. Nullus *Homeri* versus pro γνησίῳ habitus, qui ab ipso non approbatus. 388
Aristoteles obscuridatem in *scribendo* non affectavit. 117. Ingenti summâ *Speucippi* Philosophi *Libros* cœmit. 262. Cur *mulus* a Platone præceptore dictus? 322. Plurimorum *Librorum* autor extitit. 12. *Plagii* fuit insimulatus. 147. 151
Aristophanis justissima in *Plagiarios* pronunciata sententia. 168. 169
Armis literæ & *Literis* arma non opponenda. 35
Arminii (Jacobi) novitatis in Theologiam introducendi artificium. 288
Arthurus, Walliæ Princeps, sexto decimo vitæ suæ anno omnes Scriptores Latinos modo perlegerat. 363

Ars naturæ imitatrix. 96. 246
Asinius Gallus cur *monstrum* Agellio nuncupatus? 395. Insignis βιβλιομάστιξ fuit. *ibid.* Ipse *Ciceroni*, *Livio*, *Sallustio* non pepercit. *ibid.*
Ἀσκωλίζειν & ἀσκώλια quid? 339
Assentatorum blandimenta quomodo retundenda? 354
Asinus de hoc non gustabit quale dicterium, & unde forte ortum? 351
Athanasius Scriptor summè perspicuus. 116. Multa ipsi olim a *Monachis* scripta suppositia, & quare? 149
Athenæ nobilissimum Orbis terrarum Gymnasium. 112. Glorioſa iis nomina inscripta. *ibid.* Cur Gellius, *Noctes* suas *Atticas* conscribens, eò secesserit? *ibid.*
Atrium Gentium Templi Hierosolymitani quale? 234. Quibusnam introitus in id concessus, quibus non? *ibid.*
Avaritia vulgaris μισοβιβλίας causa. 280
Avarorum hominum conditio misera & inquieta. 281
Auditu solo propagata pestare diu non possunt. 54. 55
Augustinus βιβλιόφιλος & πολύγραφος. 46. *Librorum* ejus numerus. *ibid.* A discipulis suis nefarie fuit desertus. 324. In dicendo scribendoque mirè mansuetus. 89. 90. Stylus ejus obscurus passim & involutus. 121. 122.
Augustus Erotem ob solam coturnicem jugulatam suspendi jussit. 86. *Adversariis* conficiendis deditus fuit. 251. Quam in pœnam in *Libellorum famosorum* artifices statuerit? 410. Excellenter perspicuis fuit. 115. *Horatium* ob nimiam Librorum suorum *brevitatem* reprehendit. 193. *Arma* cum *literis* conjunxit. 35. 36

Aurem obturare quid? 341. Quo sensu *aspidi surdæ*, quo *hominibus* in Scriptura adscribatur? 341.342
Auscultationis, quâ per vivam vocem addiscenda excipimus, magna utilitas. 50. Variæ tamen *lectionis* supra eam prærogativæ. 50.51
Avicenna valde juvenis præter *Alcoranum* (quem totum memoriter tenuit) omnes alias Disciplinas, nullo usus adminiculo, feliciter addidicit. 362
Aulici gnathones cur *literatis* Principibus *illiteratos* præterre soliti? 34
Autolyci Gentilis propensissimus in *Libros* animus. 260. Totas noctes in *Bibliothecis* transegit. *ibid.*
Autoris, qui legitur, *scopus* Lectori rite attendendus. 232.246

B.

Baldus per contemptum *Bardus* nonnullis dictus. 394
Barbare loqui quinam proprie dicendi? 401
Basii (Jurisconsulti) stultus thrasonismus, & inglorius exitus. 336.337
Basilii Magni suaviloquentia. 84. *Librorum* ejus laus. 235.236
Bathyllus, qui *Virgilio* distichon suum, quod in laudem *Augusti* scripserat, perfide surripuit, sibique vindicavit, quis qualisve fuerit? 166.167
Bauciſmus quale *saltationis* genus? 340.341
Bernardus Ocricularius cur ex tempore *Latine* loqui renuerit? 70
Bernhartus (Johannes) juvenili ætate πολυγλωσσότατος. 369
Bessarion Cardinalis quanti bonos *Libros* fecerit? 260.

260. Quicquid pecuniolæ seponere potuit *Libris* coëmendis impendit. 280. 281
Βιβλιομάσιγες quinam habendi? 393
Βιβλία δίπλυχα quæ? 26
Bibliorum unicum exemplar quanto, ante *Typographiam* inventam, pretio divenditum? 25
Bibliotheca Alexandrina quando & a quo instituta? 24. De *Librorum*, quos continuit, numero non una omnium sententia. *ibid.* Ut neque, an *omnes* plane an *quidam* tantum eorum *Alexandrini* belli tempore exusti sint. *ibid.*
Bibliothecæ variæ Librorum copiâ illustres. 23. &c.
Bodlejana quot qualibusque præcipue voluminibus constiterit? 28
Bibliothecarum Librorumque possessores quinam dignissimi? 257
Bibliothecariorum titulus ipsis olim Regibus Principibusque non ingratus. 266
Βιβλιοφιλία & φιλομαθία individuæ sociæ. 267
Βιβλιόφιλοι haud omnes, qui videri tales volunt. 219
Bocharti (Samuelis) elogium. 347. In agnoscendis Scriptorum suorum *erroribus* ingenuus candor. *ibid.*
Bonamicus (Lazarus) quis? 44. Impium ejus de *Psalmis Davidicis* effatum. 45. Ab *Erasmo* ad calamum provocatus. 45. Cur nihil literis prodiderit? 44
Bonifacii superstitiosa & supererogatoria erga Divi *Petri* Epistolas reverentia. 223
Boxhornius (M. Zuerius) *Tullius redivivus* dictus. 371. Functioni Academicæ mature admotus. *ibid.*
Breve quidnam dicendum, quid *mutilum*? 293
Brevitas in scribendis *Libris* sectanda. 133. *Quatuor* ad eam perveniendi viæ. 141. &c. Commoda ejus varia. 137. Cum materiarum tectan-

tractandarum *mutilatione & decurtatione* non confundenda. 193. *Judicium* in sectandâ eâ adhibendum. 192

C.

Cacoëthes in Medicorum scholâ quid? 5. Vocis illius origo. ibid. *Scribendi* (de quo *Juvenalis*) in quo consistat? *ibidem.*
Cælius Calcagninus in Bibliothecâ suâ tumulatus. 262
Calcei e quâ materiâ consui olim soliti? 6
Calcaria. De *calcariâ in carbonariam ire* quid significet? 376
Callimachus Cyrenæus quot *Librorum* autor? 13
Calliphanes quidam *Parisinus* explosus. 104
Calvini (Theologi) laus. 190. 191. In refellendis erroribus solida & succincta procedendi ratio. 191
Calumniæ in bonos Autores profundi solitæ. 385. Eorum, qui in asserendâ & propugnandâ causâ suâ deficiunt, sacra plerumque anchora. 370. Quinam in excogitandis & disseminandis iis fere audaciores? 387. Ab inserviendo *Conatibus* suis publico deterrere neminem debent. 421. 422
Camarti (Ægidii) iniqua in *Lutherum* ἀνισορησία. 205. Infestus in quosvis pene *Reformatos* Doctores animus. 206
Camero (Johannes) perquam adhuc juvenis tam prompte *græce* loqui potuit, ac alii *latine* 369
Canis festinans cæcos parit catulos in quos olim jactum? 69
Canteri (Andreæ) præcocissimum ingenium & stupenda ante annos industria. 366

Cantores & *Scriptores* cum se invicem collati. 4. 5. Eorum communis genius. *ibid.*
Carmina in juventute a quibusdam adornata, postmodum condemnata & retractata. 76
Carneades Cyrenæus. Vid. *Heraclitus.* & 123
Carolus M. arma cum literis conjunxit. 36. 261. Ipsissimo ultimo vitæ suæ die lectioni *Scripturæ* intentus fuit. 245
Cartesius (Renatus) Mathematicorum princeps. 330. Multis *Libris* legendis minus addictus. 29. Amarulentâ epistolâ in *Gisbertum Voetium* valde injurius. 330. Perquam adhuc *juvenis* Eruditorum senatui adscriptus. 371
Casauboni de atrocibus in se a *Scioppio* jactis calumniis querela. 396. 397. De *Danielis Heinsii* Conatibus juvenilibus favorabile judicium. 367
Casparus Colinius in laniena *Parisiensi* nequiter trucidatus. 32
Cassianus martyr stylis ferreis ab ipsis suis discipulis confossus. 110
Cato in ipsam Curiam Libros comites habuit. 258. *Esse*, quam *videri* bonus maluit. 119
Centones quid. 164. Eos adornare nonnullis sub cautelis haud illicitum. 165. *Proba Falconia*, *Eudoxia* Imperatrix & *Olympia Fulvia Morata* concinnatione eorum celebres. *ibid.*
Christus cur nihil scripserit? 40. Epistola ad *Abgarum* Regem, tribui ei solita, non germana sed supposititia. 41. Admirandæ *Epistolæ* illi virtutes falsò adscriptæ. *ibid.*
Ciscarellus (Alphonsus) quis? 150. Portentosum ejus *plagium.* 170. Cur publicè sub *Gregorio* XIII. Romæ exustus? 170
Cicero usque adeo assiduus *Platonis* Librorum lector fuit, ut in eum ipsum pene sit commutatus. 226.

226. *Attici* libros efflictim deperiit. 258. In *scribendo* assiduus fuit. 12. Ab æmulorum morsibus non fuit immunis. 395. Lectio ejus ab *Hieronymo* nunquam plane improbata. 210. 211. In villulam *Libros* parturiens secedere solitus. 112. Maximopere a *Melanchtone* æstimatus. 126. Aliorum elogia nimium captavit. 354

Ciceronianorum factio, in Italiâ & Germaniâ olim orta, quousque processerit? 389

Chosroæ, Persarum Regis in proprium suum Parentem immanis crudelitas. 410

Christophorus, puerulum Jesum portans, quid e mente eorum, qui fabulam eam effinxerunt, innuerit? 83

Chrysostus Sardianus tot *Libros* olim scripsit, ut extremi digitorum ejus articuli incurvescere tandem cœperint. 13. 14

Citatio Autorum quomodo rite instituenda? 178. Testimonia eorum, quoad fieri potest, ex ipsis fontibus alleganda. 179. *Librorum*, *Capitum*, *Paginarum*, in Lectorum commodum, indicina etiam facienda. *ibid.*

Claves discentium quæ? 224. 225

Cocceji (Johannis) encomium. 348. Laudabilis modestia. *ibid.* Commentarius in *Sanhedrin* & *Maccoth* quo ætatis ejus anno in lucem emissus? 371

Coelmannus (Jacobus) in innocuum *Autoris* Libellum iniquior. 288. 289

Coletus (Johannes) quomodo ad concionandum præparare se solitus? 239

Collationes super iis, quæ legimus, necessariæ. 241. Earum in Veteri Ecclesiâ usus. 242. A Gentilibus *Festorum* suorum tempore fere institutæ. *ibid.* Fructus earum varii & eximii. 241. *Cœnationes serotinæ* cur & quando ab iis de-

denominari cœptæ? 242
Color, prætextus, ſubterfugium in variis linguis unum & idem. 280
Compaginandi Libros apud Antiquos modus. 10. 11
Compendiorum lectio & uſus haud plane condemnandus. 237
Conchis quo jure boni *Scriptores* æquiparandi? 77
Conſuetudo bonarum rerum quo ſenſu nonnunquam peſſima? 291
Contentionum in Eccleſiâ incommoda varia. 91
Continuatio & aſſiduitas in *Librorum* lectione neceſſaria. 244. 245
Convivia Antiquorum ſalibus, ænigmatibus, *Librique* cujuſdam *lectione* condiri ſolita. 52. 53
Contumeliæ opinio magis fere moleſta, quam contumelia ipſa. 88. 89
Cornelia Voſſia, Magni *Voſſii* filia, literis probe imbuta. 16. Infelicibus aquis ſuffocata. 17
Corniculæ Æſopicæ quæ? 145. Librorum *plagiarii* iiscum merito comparandi. *ibid.*
Corporis cultus novitatis plerumque pretio maxime commendabilis. 290
Correptiones nonnullorum cur minus ſubinde fructuoſæ? 80
Coſterus (Laurentius) artis *Typographicæ* inventor. 27. 28
Cotes imitari quidam dicendi? 66
Crambe cocta & *bis cocta* quæ? 143. *Ægyptiorum* & *Sybaritarum* circa utramque mores. 144
Crinitus (Jacobus) cur *ſeculi ſui monſtrum* dictus? 364
Critica literaria quatenus laudanda, quatenus culpanda? 163

Criticellorum quorundam lepida & supererogatoria industria. 163. 164

D.

Davidis Psalmi Pindari Poëmatibus ab *Angelo Politiano* postpositi. 434. 435

Davidis Burgundi, Episcopi Ultrajectini, in Literas Literatosque affectus. 305. 306. Rigida in Pastores quosvis *indoctos* censura. *ibid.*

Delrio (Martinus) variis scriptis clarus. 176. Multa aliorum suffragia *Libris* suis intexere solitus. *ibid.* Ob voluntariam omnis mundanæ eminentiæ abnegationem & abdicationem mirificè a suis æstimatus. 175. Viginti annorum juvenis politissimarum in *Solinum* Notarum autor extitit. 366

Deum esse quisnam omnium primus in dubium vocaverit? 274

Devotionis intensioris obtentu imperitum vulgus facile fascinandum. 287

Didymus Alexandrinus quando floruerit? 5. A puero licet cœcus Literas tamen variasque Disciplinas rite addidicit. *ibid.* & 362

Didymus Grammaticus quot *Librorum* autor? 13. Cur βιβλιολάθας dictus? *ibid.*

Diodorus Siculus multos annos *Historiæ* suæ concinnandæ impendit? 74. 75

Digesta Jure-Consultorum nitidæ *Latinitatis* splendore conspicua. 400. Quot voluminibus olim consterint? 13

Δὶς κράμβη θάνατος quid? 144

Doctorum quorundam *Sorbonicorum* asinina stupiditas. 306

Draconis intestinum admirandæ magnitudinis in Bibliotheca *Constantinopolitanâ* olim inven-

tum. 6. Homeri *Ilias* & *Odyſſæa* ei inſcriptæ. 7

E.

Ἐκ πώγωνος σοφοὶ, *barbetenus ſapientes* quinam dicendi? 41
Elatio animi contemtus *Librorum* cauſa. 314. &c.
Enthuſiaſtarum circa lectionem Scripturæ delirium. 244
Epicurus, vid. *Heraclitus*.
Ennius quo ſenſu *Homeri animam* dicatur *ſortitus*? 227
Epaminondas quanti *Lyſim Tarentinum* præceptorem ſuum fecerit? 326
Epicurus πολύγραφος & obſcurus. 12 124
Epiſtolarum concipiendarum ratio. 193. 194. Cur ſcriptione earum doctrinam Euangelii promulgare maluerint *Apoſtoli*, quam alio qualicunque modo? 116
Epiſtolæ quædam *Senecæ* ad *Paulum*, ut & *Paulo* ad *Senecam* adſcriptæ, tanquam νοθευόμενοι rejectæ. 107. 108
Ἐποχὴ *Pyrrhonica* exploſa. 375. *Plato* nimiopere ei affinis. 100. Affectata in Deum perquam contumelioſa. 376
Eraſmi (Deſiderii) varia elogia. 168. Stylus æquabiliſſimus. *ibid.* Symbolum CONCEDO NULLI quomodo intelligendum? 346. In ipsâ irâ feſtivitas. 271. Humilis modeſtia. 346. Nimia nonnunquam in evulgandis *Libris* præcipitantia. 66
Eratoſthenes in *Homerum* valde injurius. 393
Erginicani qui? 360. 361
Eruditio vera ſolâ conſcientiâ contenta. 335. Cultores ſuos a præſtando officio non avertere, ſed

ſed eo propellere apta nata. 18
Eruditus nemo niſi & *βιβλιόφιλος*. 263
Eſſenius (Andreas) tanquam *vix fandi potens* ab obſcuro quodam homine traductus. 396
Ettmullerus (Michael) quando demum ad ſcribendos *Libros* animum appulerit? 75
Euridice fœmina literata. 14

F.

Fabulæ de *Tondalo*, ſuper anguſtiſſimo ponticulo gradiente, gravemque lignorum faſciculum portante, explicatio. 82
Fabularum uſus cur olim invectus. 81. Scriptores plurimi. *ibid.*
Fabulatorum omnium licet haud primus forſan, princeps tamen *Æſopus Samius*. 81. 82
Fœniculi ad acuendum viſum virtus. 384
Fallere volentibus falli volentes nunquam deſunt. 286
Faſtus juvenilis vulgaris cauſa. 358
Fatum Librorum dubium & varium. 416. Hebræorum de hoc aliorumque effata *ἀξιομνημόνευτα*. 418. 419. 420
Favorini Philoſophi in Adoleſcentem quendam, *priſcè* nimis loquentem, acris cenſura. 125. 126
Ferrandi Cordubenſis παιδοφία cum ſingulari modeſtiâ conjuncta 345. 346
Feſtinatio in ſcribendis *Libris* noxia. 68. 69
Fœminarum eruditio Reip. non damnoſa, ſed utilis. 17. Cur quidam ei infeſti? *ibid.* & 18. 19
Fœtum lambere quid? vid. *Lambere fœtum*.
Foxi (Johannis) Hiſtoria a *Burneto* partim notata, partim laudata. 70
Franciſci I. Galliarum Regis, ſingularis *φιλομαθία*. 26

Fraſ-

Fraſſenius (Claudius) a *Richardo Simone* ut *Hebraicarum & Græcarum Literarum rudis* exſibilatus. 379. *Plagii* reus peractus. 155
Fredericus II. Imperator quicquid habuit otii legendis *Libris* impendit. 260. 261
Fuſti vel *Fauſti* (Johannis) ſupellectilis literariæ & *Typographicæ* furtum. 25
Fuſtuarium ſupplicium, quid? 410. An capitale fuerit, an non capitale? *ibid.* *Duplex* habuerunt Romani, *militare* & *paganicum.* 411. *Hoc*, id eſt, *paganico*, famoſorum *Libellorum* autores olim mulctati. *ibid.*

G.

Galenus quot *Libros* ſcripſerit? 13
Gathakerus (Thomas) ruri opus ſuum in *Antoninum Pium* concinnavit. 113. Nec pingi nec cœlo exprimi ſe paſſus eſt, ſolus eruditionis ſuæ monumentis, id eſt, *Libris* inclareſcere volens. 58
Gellius ad ſcribendos *Libros* ſuos *Athenas* ſeceſſit. 112. Cur *Noctes* eos dixerit? *ibid.*
Gentilium haud minimum contra fidem *Chriſtianam* præjudicium quale? 247. In Libros *S. Scripturæ* infenſiſſimus animus. 273. Scripta quædam ut male ab aliquibus plane rejiciuntur, ita bene ab aliis, & in politioris *Literaturæ* bonum, reſectis iis, quæ honeſtas mentes offendere, bonosque mores ſtuprare poſſent, publicantur & commendantur. 229
Georgio, Draconem interficiente, Regisque filiam liberante, quid ſignificatum voluerint Fabulatores? 82. 83
Germani Veteres cur a *Librorum* tractatione alieniores? 36. 37

Gothi quare ingentem *Librorum* turbam, utut *Vulcano* jam dicatam, concremare tamen noluerint? 30
Gradatim a facilioribus intellectu *Libris* ad difficiliorum lectionem adscendendum. 233. 234
Gratitudo nulli non Scriptori debita, a quo mutuo quid sumptum. 172. 173
Gregorius I I. PP. Romanæ *Bibliothecæ* olim præfectus. 266
Gronovii (I. F.) in admittendis & ferendis *aliorum* Eruditorum *censuris* facilitas. 87. De *Magnatum* multorum in tractandis excolendisque *Literis* remisso nimis studio querela. 219. 220
Grotius (Hugo) quo ætatis suæ anno Notas suas in *Martianum Capellam* publicas fecerit? 368. Genius ejus a *Riveto* descriptus. 246. Qualem de moliminibus suis *syncretisticis* spem conceperit? 423. Honorificum ejus de *Vossii* Opere de *Idololatriâ Gentilium* testimonium. 105
Guiljelmi, Scotorum Regis filii, discendi cupido ipsis *juvenilibus* annis conspicua. 365

H.

Hæretici omnes superbi. 327. 328
Hattemius (Pontianus) ob præfractam in erroribus suis pertinaciam ministerio abdicatus. 207. Vana ejus, de non nisi *solâ Scripturâ* per universos viginti annos a se lectâ, gloriatio. *ibid.*
Hebræi fœminarum eruditioni infesti. 17
Hebræorum, de gratitudine quibusvis Præceptoribus a discipulis suis Præstandâ, *Canones*. 326. Nonnullorum putida *blasphemia*. 318. Aliorum in *Legem Divinam* effatum injuriosissimum. 210, 211. Institutum de primo *Ge-*

neſios capite, de *Canticorum Libro*, principioque & fine *Ezechielis*, ante trigeſimum ætatis annum non legendis, ex parte improbatum, ex parte laudatum, ſaltem excuſatum. 233.234

Heinſius (Daniel), cur *Fortunæ privignum* ſe dixerit? 367. Artis *Poëticæ* tum cognitione tum praxi in ipsâ *pueritiâ* inſignis fuit. *ibid.* Decimo octavo ætatis anno ad *Græcæ* & *Latinæ* linguæ profeſſionem evocatus. *ibid.* A *plagio Literario* abhorruit 158. *Caſauboni* de eo judicium. vid. *Caſaubonus.*

Heracliti in ſcribendo obſcuritas. 123. 124. Quam quem in finem affectaverit, explicatur. 123. *Epigrammata* in ipſum ſcripta. 124

Hermogenes Tharſenſis, quindecim annos natus, tantus modo *Sophiſta* fuit, ut juxta cum aliis magnis viris ipſum M. *Antoninum* Imperatorem ad auditorium ſuum pellexerit. 361. *Ars* ipſius *Rhetorica* quæ? *ibid.* Anno ætatis vigeſimo quarto mente captus eſt. 373.374

Hieronymus vigeſimo ſecundo vitæ anno ad *Presbyteriatum* evectus. 362. Quo caſu Librorum *Ciceronis* lectione abſtinendum eſſe duxerit? 211. Quibus cum majori ſedulitate, quam SS. Scripturis inveſtigandis tempore quodam incubuiſſet, a Deo judice in ecſtaſi flagellatus dicitur. 210. *Origenis* Opera impensè amavit. 259. Quot *Libros* evolverit? 13. *Librorum* lectione ſeipſum ſubtriſtem erigere ſolitus fuit. 52. Nimiæ in *ſcribendo* feſtinationis a *Voſſio* reus peractus. 65

Hieronymus Pragenſis ob Religionem Conſtantiæ perfidè exuſtus. 394. Ab ipſo nihilominus *Poggio Florentino*, Concilii *Conſtantienſis* Secretario, ſummopere laudatus. 394.395

Hilarii Pictavienſis humilis & modeſta eruditio. 345.

345. Distinguendus hic ab *Hilario Romano* & *Arelatensi*. *ibid.*
Homerus cur *vomens* pictus? 67. *Ilias* & *Odyssea* ejus quot versibus constiterint. 94. *Poëtarum* omnium Princeps fuit. 68. Octingentorum annorum operum ejus chartaceum exemplar *Genevæ* asservatum. 57. *Plagii* ab aliquibus postulatus. 151
Hoornbekius (Johannes) ut *Scriptor ineptus, & a pueris in trivialibus castigandus*, a nonnemine exagitatus. 396. Acri & maturo ingenio polluit. 371
Horti Adonii qui? 71. *Libri* cur iiscum comparati, & quales præcipue? *ibid.*
Hubmerus, Zwinglii discipulus, in Præceptorem suum maledicentissimus. 324
Humilis mens ad *Libros* cum fructu *legendos* summe necessaria. 224
Hyperius (Andreas) cur non nisi post mortem vulgari Scripta sua voluerit? 47
Hypatia Philosopha quæ? 18. Cunctos sui temporis Philosophos eruditione non tantum superavit, sed & omnes Disciplinas publice docuit. *ibid.*

I.

Jesuitarum fastus quomodo a Montaltio retusus. 405
Ignavia vulgaris *μισοβιβλίας* causa. 279. A legendis *Libris* variis obtentibus deterrere solita. *ibid.*
Index Expurgatorius sive Librorum prohibitorum apud Pontificios quando, a quibus, & quem in finem primum invectus? 277. 278
Indi cur peculiarem *chartæ* inesse spiritum putent? 55
Individua omnia sub *generibus* & *speciebus* suis com-

comprehensa. 81
Inauditi quid in scenam producere perquam hodie arduum. 161
Ineptiores ad scribendum non raro πολυχειφώτεροι. 29
Ingeniorum variæ semper propensiones & dotes. 306. *Facinora egregia* perpetua & *immortalia*. 54
Ingratus in Præceptores suos *Philosophi* nomine olim indignus. 326
Innovandi prurigo magnum ad aliorum *Conatus* despiciendos incentivum. 284. Multi plus nimio in eam propensi. 285. 289. Varia exinde tum in Remp. tum in Ecclesiam propullulantia incommoda. 294. &c.
Invidia suæ ipsius pœna. 413. Contemptus Librorum alienorum non minima causa. 382. Plurimorum præstantissimorum Librorum ruina. 383. Vix quisquam Eruditorum ei non expositus. 382. Animi labes turpissima, turbulentissima & damnosissima. 382. 383
Invidi ut aliorum Labores contemptibiles reddant, haud uno semper procedunt modo. 384. Quidam *clam* quidam *palam* efficere id tentant. *ibid.* & 407
Johannes Albertus, Megapolensis Princeps, puerorum in Scholâ examini haud interesse tantum voluit, sed & ipse eos, proposito diligentiæ præmio, examinavit. 272
Johannes (Apostolus) a singulari suâ in *scribendo* facilitate commendatissimus. 117
Johannes Picus, Mirandulanus Comes, septem aureorum millia coëmendis *Libris* impendit. Vid. *Ruveræus*. & 263
Josephus (Flavius) quatuordecim annorum adolescentus ab *Hierosolymæ* urbis primoribus super

ſuper penitiore Legum ſenſu conſultus. 363. Falſo linguam *Hebræam* non calluiſſe dicitur. *ibid.* Linguam *Græcam*, ſicuti alii pueri, in Scholis addidicit. *ibid.* Ab ipſis *Romanis* ſtatua ipſi erecta. 60

Jovinianus ab *Hieronymo* ob intricatum & involutum ſtylum ſalsè perſtrictus. 122

Irriſio quibuſdam caſibus ab ipſis *Rhetoribus* commendata. 404. Patrum nonnulli haudquaquam ab eâ alieni. 405. Optimum Scriptorum *ſuperbiæ* reprimendæ remedium. 405.406

Iſidorus Clarius Plagiariorum omnium impudentiſſimus. 156

Iſocrates quot annos uni ſcribendo Panegyriço inſumpſerit? 72

Itali cujuſdam Scriptoris intolerabilis faſtus. 316. 317

Itali quidam, linguæ aliâs *Romanæ* callentiſſimi, cur *Latinè* loqui renuerint? 70

Judæi cujuſdam impoſtūra plurimis hominibus exitialis. 287. 288

Judicare de ſapientiâ non debent niſi ipſi ſapientes. 434

Julianus Apoſtata vir eruditus. 259. *Chriſtianorum* hoſtis infenſiſſimus. *ibid.* *Librorum* æſtimator ſummus. 35. 259

Julius Cæſar ob nimium in Epiſtolis *Libriſque* legendis ſtudium a quibuſdam reprehenſus. 258. Unicâ voculâ tumultuantes ſuos milites compeſcuit. 136. Tam *literarum* quam armorum laude celebris fuit. 35

Juvenis centum annorum quis? 359

Juvenes eruditi ipſis *ſenibus* accenſendi. 372

Juvenum communis genius. 356. 358

K.

Κίτφον ὠιδεῖν quid? 102

L.

Labadæus (Johannes) Novator nuperus. 246. Artificia, ad bonos Scriptores piorum manibus exturbandos, ab ipso adhibita. *ibid.* Moliminibus suis nec frustra plane fuit, nec plane tamen, quod intenderat, effecit. 286. 288

Labeo Antistius βιβλιόφιλος. 257. 258. Ejus *αὐτογραφία*. *ibid.* Alteram anni partem legendis scribendisque *Libris* destinavit. 259. Consulatum ab *Augusto* oblatum generose recusavit. 259

Labienus (Historicus tempore *Augusti*) cur *Rabienus* dictus? 410. Qualis ipsi ob calumniandi audaciam pœna irrogata? *ibid.*

Lacedæmonii cur Literarum rudes esse maluerint, quam studiis vacare? 30

Laconismus genuinus quis? 188

Lambere fœtum quid? 108. Phrasiologia illa unde delumpta? 109

Latine & *barbare* loqui vel scribere quandoque idem. 401

Latinitas Lipsii ab *Henrico Stephano*, Sigonii ab aliis, *Montacutio*, *Rosweido* &c. adhuc aliorum a *Sanctio*, *Scioppio*, *Vossio* castigata. 398

Laudari a paucis & optimis glorioſum. 414

Laverna qualis apud *Romanos* Dea? 151. Cur *πραξιδίκη* dicta? 152. *Fures* ab hâc *laverniones* nuncupati. *ibid.*

Laurentius Medices in *Librorum* copiâ magis, quam in divitiis gloriari solitus. 261

Lectio Librorum quomodo *fructuosè* instituenda? 244. &c. *Desultoria* parum utilis. 244. *Humili* ad eam *mente* accedendum. 224. Ejusdem *Libri* nonnunquam *repetenda*. 237. Oratione semper & *precibus* sanctificanda. 240. 241. *Collatio* cum aliis super ea, quæ legimus, connectenda. 241. Ægri & dejecti animi fulcimentum sæpe est. 51. 52. Imò corporalis valetudinis restituendæ, vitæque longius producendæ nonnunquam adminiculum. 50. 51

Lectionis Librorum damnosa in quibusdam effecta. 29. Sacræ *Scripturæ*, quam aliorum, licet præstantissimorum *Librorum*, major semper ratio habenda. 210. Bene institutæ varii & insignes *fructus*. 50. 51. 229

Lectori ingenuo ut cogitationes quævis inutiles, ita & *pravæ* omnes *concupiscentiæ* ex animo revellendæ. 231. *Præjudicia* omnia tam *pro* quam *contra* Scriptorem legendum deponenda. 230. Non *pluribus* simul, sed *uni* potius Scriptori (imprimis tiro & minus peritus si quis sit) insistendum. 235

Leges Annariæ vel *Annales* apud *Romanos quæ?* 356. Illis etiam, qui præpropere *Libros* in vulgus emittunt, a nonnullis applicatæ. 357

Libellum PURE *legere* quid sit? 231

Libelli famosi Græcis & Jureconsultis, quomodo dicti? 408. Quidam ἀνώνυμοι, alii expressis nominibus insigniti. 410. Unde *Pasquilli* dicti? *Pœnæ* artificibus & distributoribus eorum decretæ. *ibid.* Illis qui certant nullâ responsione digni. 412

Libellis quid significatum olim volucrint Romani? 249

Libelli festinati & *horti Adonii* cum se invicem comparati. 69. 71

Liber ab *Erasmo* Episcopo cuidam oblatus ridiculè ab eo exceptus. 270. Quid ad exceptionem illam responderit *Erasmus?* 271

Liber remediorum *cujusque morbi* Salomoni falso adscriptus. 194

Libri ὀνοματολογία. 5. 6. Verè BONI descriptio non invenusta. 48. 49

Libri cur ἐνειλήματα & κυλίνδροι dicti? 5. Quomodo *convolvi* ab Antiquis soliti? 6. Jam contempti & neglecti, postmodum sæpe æstistimati. 423. *Improbatæ lectionis* apud Jurisperitos qui? 195. Unde *exarari*, *inarari*, *perarari* dicti? 111. Plumbo & pumice *lævigari* a Veteribus soliti. 7. 8. Literis *purpureis* aliquando scripti. 7. In symposiis olim, ad convivas recreandos, *lecti*. 52. 53. Ad scientias tum comparandas tum propagandas accommodati. 54. Nec non ad homines multos φιλοβίβλους ex remotissimis oris ad se suosque Autores attrahendos idonei. 53. 54. *Immortales* ut ipsi sunt, ita & Autores suos faciunt. 54. *Festinantius* exarati *citius* perire soliti. 71. Cum aliis Viris Doctis, antequam in lucem prodeant, communicandi, imo ad tempus nonnunquam seponendi. 107. 108. Ad *judicium* de iis ferendum quinam optime dispositi? 38. 39. Quidam sine *Doctoribus*, ut & Doctores nonnunquam sine *Libris*. 219. Ad *studium*, non ad *spectaculum* possidendi. 221. Magnatum multorum vitium huc pertinens. 219. 220 *Antiquiores* novioribus fere præferendi. 227. Ut & qui *mores* quoque formant iis, qui illustrando *intellectui* tantum inserviunt. 228. Omnes *imperfecti*. 425. *Sibyllini* cur in arcanis a *Romanis* habiti? 274. 275. Ab *Augusto* magni æstimati. *ibid.* *Proscripti* a quibusdam, ab aliis com-

combusti. 272. 273. *Aliorum* plurimi sub *propr is nominibus* a nonnullis editi. 148. 149. *In scribendis* iis non tam gloriæ *propriæ*, quam utilitatis *publicæ* ratio habenda. 47. Ingenti summâ a quibusdam coëmti. 262. Haud nimiopere expoliendi. 139. Quo casu præcipue utiles? 48

Librorum usus Reip. haud quaquam noxius. 30. Scriptio *difficilis.* 426. *Multorum* Scriptores plurimi. 12. Etiam e *sequiori* sexu. 14. 15. 16. Ingens *turba* unde? 23. Quæ uti olim *magna*, jam procul dubio *major.* 24. 25. *Describendorum* apud Veteres difficilis ratio. 25. 26. *Legendorum* optimus modus. 224. Multorum *depravatio* unde? 111. *Selectus* habendus. 226. 235. *Obscurorum* nullum pretium aut usus. 124. 125 *Censores* quinam fere rigidissimi? 418. *Æstimatores* plurimi. 258. Qui quinam vere sint, explicatur. 210. *Contemptores* contemnendi. 428. *Judices* ut quidam *malevoli* ita & alii *benevoli.* 412. Cum *millia* vel myriades aliquot quibusdam adscribuntur, quid tum per eos intelligendum? 25. 26. *Usus* quem in finem hominibus a Deo concessus? 48. Commendatio seria. 49. *Helluones* qui. 223. Editorum *mera multitudo* pro eruditionis πλήθει non habenda. 41. Ut laudabilis tamen *diligentiæ* indicium sæpe commendanda. *ibid. Potioribus partibus* debitè constitutis, *levibus* iis adhærescentibus *nævis* facile ignoscendum. 233. *Prophanorum* usus quatenus culpandus, laudandus, tolerandus? 201. &c. *Faciendorum* nullus finis. 28. 197

Libris conscribendis cur plurimi abstineant 42. 43. 45. Multi obscuro loco nati hoc solo illustres facti. 59

Linguæ, quibus exarati sunt *Libri*, ad fructuosam eorum lectionem necessariò addiscendæ. 225. &c. Singulæ peculiaria sua idiomata habent. *ibid.*

Lipsiensium Actorum Collectores laudati. 77

Literæ ceratis olim tabulis inscriptæ. 110

Literarum ignorantia Religioni & Reipublicæ noxia. 30

Loca S Scripturæ partim illustrata, partim vindicata. *Deuteronom.* 17. 18. p. 251. *Numer.* 19. 2. p. 318. 2 *Reg.* 4. 14. p. 194. 2 *Reg.* 20. 3. p. 196. 2 *Chron.* 11. 17. p. 196. *Job* 12. 12. p. 344. & 11. 2. 3. p. 343. & 15. 7. 8. 9. p. 374. & 32. 6. p. 356. *Ps.* 58. 5. 6. p. 341. *Ps.* 92. 7. p. 351. *Proverb.* 21. 13. p. 342. & 27. 17. p. 241. *Eccles.* 1. 9. p. 161. 302. & 12. 11. 12. p. 194. 197. 201. *Es.* 8. 1. p. 116 & 29. 1. p. 86. & 65. 20. p. 360. *Ierem.* 36. 23. p. 273. *Luc.* 1. 2. p. 40. & 14. 28. p. 72. *Ioh.* 21. 25. p. 28. *Act.* 8. 31. 202. & 19. 8. p. 272. 1 *Cor.* 14. 36. p. 343. *Ephes.* 4. 31. 32. p. 91. *Heb* 12. 1. p. 332. *Iac.* 1. 5. p. 240. *Iac.* 4. 6. 322

Ludovici XI. Galliarum Regis, de homine illiterato, multos Libros possidente, dicterium. 222

Lunulæ in Librorum *frontibus* olim designatæ. 9. Quod cur fecerint Veteres disquiritur. *ibid.*

Lutheri honorificentissimum de *Melanchtone* testimonium. 85. Amarulenta scribendi ratio nec sibi nec Ecclesiæ profuit, sed obfuit. 85. *Pathmos*, in quam, ad *scribendum* se accingens, secedere solitus fuit. 113

M.

Maccovius (Johannes) a *plagio* haud plane immunis. 157
Macrobius vix probatus, juxta nonnullos, Autor. 176
Magnum nihil aut perpolitum, quod non simul *arduum*. 72
Maimonidis (Mosis) laus. 362. *Doctoris justitiæ* titulus cur κατ' ἐξοχὴν ipsi inscriptus? *ibid.* *Petri Cunæi* de eo judicium. 363. Commentarii ejus in *Mischnas* quo ætatis anno evulgati? *ibid.*
Maledicta maledictis non retundenda. 87. 88
Malum Carmen quid? 407. Duplex ejus apud Jctos. genus *incantatorium* & *diffamatorium*. *ibid.*
Mamerci varii apud Autores obvii. 296. Hos inter excelluit *Mamercus* Catanæ *Tyrannus*, Cornelio Nepoti impensè laudatus. *ibid.* *Mamertus*, Episcopus Viennensis cum hoc aliisque non confundendus. *ibid.*
Manlius Torquatus cur summum sibi oblatum Imperium detrectârit? 34
Mansuetudo in scribendis *Libris* observanda. 83. 84
Manum de tabulâ tollere quid? 138. 139
Marckius (Johannes) valde adhuc juvenis Institutionibus publicis tum *Ecclesiasticis* tum *Academicis* magno suo merito admotus. 371. 372
Martialis qualis Poëta? 277. Lectio ejus improvidæ juventuti, ob *spurca* quædam & obscœna *Carminibus* ejus interspersa, haud temere commendanda. 276. Festivus ejus in *Attalum* lusus. 340
Materia, in quâ antiquitus scriptum, varia. 6

Matthæi Euangelium Hebraicum quanti a *Nicolao* V. PP. æstimatum? Vid *Nicolaus*.
Matthæi (Antonii) elogium. 60. Symbolum studiosorum peregrinantium *Albo* inscribi solitum. 331
Maturata Scripta non omnia præcipitata. 77. 78
Maximi Ægyptii in *Nazianzenum* ἐυεργέτην & præceptorem suum ingratitudo. 323
Meditatio in legendis *Libris* necessaria. 238
Melanchton ab ingratis suis discipulis tam vivus quam mortuus indignissime habitus 324. Eruditio ejus supra ætatem eximia, 363. Elogia a *Luthero*, *Simlero*, *Erasmo* aliisque ei scripta. 324. 364
Memoria tenacissima licet & ampliſſima nunquam tamen perfecta. 250. Exercendæ & excolendæ ei *Librorum lectio* minime adversa 36. Scriptorum & scribendorum *ordinatâ dispositione* mirificè juvari solita. 94
Menelaus, *Cornelius Nepos*, *Sallustius*, ob *brevitatem*, in sermone scriptisque suis curatè observatam, magno passim in pretio habiti. 139. 140
Μὶνις, μηνίσκος, Luna, lunula quid? 9. An vox *Maendag* vel *Mendag* inde derivata? *ibid.*
Mercurius Furum furtorumque patronus. 152
Mercurii Trismegisti πολυγραφία. 14
Methodi & *Ordinis* qualibus in *Libris* ratio præcipue habenda? 91. *Abusus* non *usus* est, si materia tractanda in multas nimis partes discerpatur. 96
Minium quale apud *Romanos* ornamentum? 8. Imperatorum Rescripta & Librorum *tituli* co fere conscripti. *ibid.* Quem in finem ab Ægyptiis Idololatris olim adhibitum? *ibid.*
Μισοβίβλων ingens turba. 270. Quinam pro talibus merito habendi? *ibid.* Specimen eorum

notabile. 270. 271
Μιτροβολίαι remedia tempestivè adhibenda. 416
Mitylinæi quâ præcipue pœnâ devictos a se hostes mulctarint? 35
Molinæi (Caroli) laus. 60. 61
Molinæi (Petri) spissus circa doctrinam de *Providentiâ Dei* error. 436 Laudabilis in publice eo *retractando* ingenuitas & candor. *ibid.*
Monachi cujusdam imperitissimi & stupidissimi exemplum. 305
Monachi varia olim *Athanasio* suppositurunt scripta, ut *ritibus* suis fidem conciliarent. 149
Montanus Hæreticus *φιλοσοφίδων* & sui plenissimus. 327
Morinus (Johannes) eo quod præmaturius nonnulla in lucem emisisset, postmodum pœnitentiâ ductus. 75. In admittendis Amicorum suorum censuris facillimus fuit. 87. Plagium *Petro Galatino* improperavit. 155
Mos, libros coram frequenti auditorio legendi, & e singulorum vultibus tum laudes tum culpas eorum observandi, apud *Antiquos* usurpatus. 107
Muhammed illiteratus non tantum, sed & legere ac scribere nescius fuit, imo ne ipsum quidem *Alcoranum* intellexit. 276
Muhammedani quidam *Duces* omnes, quos invenerunt, *Libros* flammis devoverunt; cujus instituti probabilis ratio redditur. 276
Μυσηρίζειν quid? 405
Multitudinis Librorum incommoda, obtendi nonnunquam solita, excussa & discussa. 36. *& seqq.*
Multiscientiæ imaginariæ ridicula vanitas. 351
Muretus (Antonius) adhuc puer discipulos prius habuit, quam præceptores. 364. Totum tempus perire sibi ratus erit, quo non aliquid discere,

ret aut doceret. 365. In *scribendo* facillimus & promptissimus fuit. 78. 79. Inclementissime etiam post mortem a *Iohanne Sauberto* est habitus. 386. 387

N.

Augerius (Andreas) usque adeo *Martialis* Libris infestus fuit, ut multa eorum volumina quotannis solemniter combusserit. 276
Nasutum esse, *naribus indulgere*, *nasum habere* quid proprie sit? 405
Ne sutor ultra crepidam in quos quadret? 39
Nepotiani laus. 158. 159
Nero, bipedum utut nequissimus, *optimus*, tamen Imperator haberi voluit. 118. 119. Festivè flatulentos quosdam homines ostentui habuit. 338. 339
Nicolai V. Pontificis singularis in quosvis, *Literatos* imprimis, munificentia. 264. *Literarum* studia maximopere per eum restituta. *ibid.* *Epitaphium* ei scriptum. 265. Quantam ei promiserit summam, qui Euangelium *Matthæi* Hebraicum adferre sibi posset? 264
Nihil dicitur, *quod non dictum sit prius*. 164
Nihil tam abjectum, quod non suos inveniat admiratores. 287
Volanus (Nicolaus) aliis Viris doctis gloriæ coronam eripere studens, ipse eam amisit. 343
Non omnia possumus omnes. 245
Norcia (urbecula) ubi sita? 433. Quot personis *Magistratus* ejus constet? *ibid.* Cur non nisi *illiteratos* ad capessendum eum honorem admittant? *ibid.*
Novellus homo quis? 60. Hic cum *novo homine* non confundendus. *ibid.*

Noviora cur *antiquioribus* præferri fere ſolita? 292. 293. Nonnunquam tamen ſub *antiqui* ſpecie magis ſe commendant. 434
Novati Hæretici faſtus. 327
Novarini (Aloyſii) de *Librorum* ſuorum editione diſcurſus pius & humilis. 431. 432
Novatoribus tempeſtive obviam eundum. 302
Novaturientium genius & vulgares mores. 297. 298. 299
Novus homo Romanis quisnam dictus? 59. 60
Nozum nihil ſub cœlo. 304

O.

Obſcuritas in *ſcribendo* quo caſu quadantenus excuſanda? 120. 121
Obſcuritatem affectantes quid intendere cenſendi? 118. 121
Officiperdi vel *officiperdæ* qui? 100
Officioſa a nonnullis ad propagandam fidem *mendacia* adhibita. 149
Ognius vel *Ogmius Hercules* quis? 54
Oculiferia ſcripta quæ? 102
Ὁλοχίρως φέρεσθαι quid? 238
Operis Auguſtini *de* Civitate Dei, *cum Notis* Ludov. Vivis, ob ſolvam *Brevitatem* in eo non obſervatam, infelix fatum. 135
Ophthalmii lapidis virtus. 152
Oratiuncula, pro reprimendo animi ſui tumore, Scriptoribus quandoque concipienda. 352. 353
Ordinatum nihil quod *præcipitatum*. 69
Ordo in *ſcribendis Libris* ſumme neceſſarius. 91. Qui in quo conſiſtat ſummatim exponitur. 92. Non *res* ad *hunc* ſed *hic* ad *rerum naturam* accommodandus. 96. *Seneca* & *Arnobius* minus ad eum attenti. 92. In Sacris *Scripturis* tra-

tractandis etiam obſervandus. 94. Ejus ut in *ſcribendo* ita etiam in *legendo* ratio habenda. 230

Origenis βιβλιοφιλία. 259. *Χαλκεντέρου* & *Adamantii* nomen unde ei adhæſerit? *ibid.* Ante ſexageſimum ætatis annum nihil *ſcribendum* dictavit. 75. Ob jugem *Librorum* tractationem nec cœnare, nec a cœnâ deambulare, nec quiete corpus reficere nonnunquam potuit. 260.

Oſiandri (Andreæ) *θεοσπορφία.* 350. Stupenda & intolerabilis ſuperbia. 351

Oſmanduas, Ægypti Rex, quid *Bibliothecæ* ſuæ inſcribi juſſerit? 51

Ornatus Librorum olim varius. 6. 7. 8. Non plane improbandus. 223

Oves Epictetianæ cordatis Scriptoribus imitandæ. 349

P.

PAcis colendæ & continuandæ impedimenta quæ? 304

Pagani S. Scripturæ Libris maxime infeſti. 273. Ut & omnibus iis, quos religionibus ſuis derogare exiſtimabant. *ibid.* *Solœciſmos* Chriſtianis objicere ſoliti fuerunt. 247

Palæmonis Vincentini faſtus. 295

Palavicini Hiſtoria *Concilii Tridentini* plurimis *ἀνεκδοτοις* referta. 141. 142

Papinii Statii elogium. 331. Extemporanea in *Carminibus* fundendis vena. 78. 79. Animus nimiopere elatus. 331

Paracelſi (Theophraſti) *ἀλαζονεία.* 315. 316. Odioſum in *Galeni* ſectatores dicterium. *ibid.*

Pareus (Philippus) laudatus. 389

Partium Studium quid non valeat? 300. 301
Pasquillus qualis Romæ statua? 408. In cujus memoriam erecta? *ibid* Ejus apud *Romanos* usus. 409. Libelli famosi cur denominari ab eâ soliti? *ibid.*
Patrum nonnullorum *lectio* cur tam tædiosa? 188. Genuinus intellectus, nisi aliorum quorundam prophanorum Scriptorum lectione intercedente vix impetrabilis. 203
Πάτταλον παττάλῳ ἐκκρούειν quid? 406
Paulus II. PP. Literarum & Literatorum osor. 271. Quosvis eruditionis æstimatores *hæreticos* dixit. *ibid.* Romanos a liberis suis bonis literis imbuendis absterruit. *ibid.* *Alexandri* M. & *Iohannis Alberti*, Principis Megapolensis, exemplum ei oppositum. 271. 272
Pelagius animi sui elatione in *hæresin* primum prolapsus. 327
Peradolescentulus quot annorum juvenis? 365
Personis parcendum non *vitiis*. 29
Περισσολογία ut in *scribendo* vitanda, ita & tractandorum *mutilatio* cavenda. 193
Perspicuitas in *scribendis* Libris sectanda. 115. Quousque extendere ea se debeat? 115. 116. Singularis in illâ persuadendi efficacia. 116. 117. Scriptionis dictionisque nitori & facundiæ non opponenda. 126. 127. *Ciceronis* supra alios Scriptores eximia. 126
Phantasiæ fœminæ *Homeri* Ilias & Odyssea ab aliquibus adscripta. 251
Φαντασιοπλήκτως ἐπιδείκνυσθαι quid? 349
Petilius Faustinus Virgilio *plagium* & *furta* objecit. 394
Plagii Literarii descriptio. 144. 145. *Mamerti*, Episcopi Viennensis, & *Martini Hellingi* de hoc querelæ. *ibid.* Ejus palliatio & incrustatio temere.

mere & frustra a nonnullis tentata. 170. &c.
Artificia in committendo eo adhiberi solita. 146.
Plurimi Viri docti ejus postulati. 150. &c.
Quidam e contra plane ab eo alieni. 157. 158. 159
Plagium, quo *Libri* sub *aliorum* illustrium Virorum *nominibus* publicantur, omnium pessimum. 150. Ratio ejus quando cesset? 182
Plato obscuritatis in scribendo amans. 117. 118. Ara & Statua ab *Aristotele* ei posita. 323. Βιβλιόφιλος fuit. 262. Tres *Philolai Pythagorici* Libros ingenti pretio emit. *ibid.* Quapropter falsè a *Timone* φιλαυθρώπῳ est exagitatus. 263. *Pyrrhonismo* nimium affinis fuit. 100
Plautus Latinissimus Autor. 292. 389
Plautinæ familiæ homo quis? 385
Plinius quot numero *Libros* legerit? 252. Quanti *Electorum* suorum *Libros* vendere potuerit? 264
Pœna indoctis Pastoribus a *Davide Burgundo*, Episcopo Ultrajectino, decreta & irrogata. 305. 306
Poëtæ Dithyrambici qui? 186
Poggius Florentinus quis? 394. A Laurentio Valla *bestialissimus*, *ab* Erasmo *impius*, *indoctus*, *obscœnus rabula* dictus. *ibid.* Honorificentissimum ejus de *Hieronymi Pragensis* vitâ & morte testimonium. 395
Pontificii quo respectu & jure in μισοβίβλων censum etiam referendi? 277. 278
Præcocium ingeniorum exempla plurima. 361. &c. Non minus hæc quam alia Reip. & Ecclesiæ utilia. 373. *Quintiliani* circa hanc rem error notatus & refutatus. 374
Præsumptio nonnullorum in præconceptis suis opinionibus propugnandis pertinax & cervicosa.

ſa. 295. 296
Primarium multis ad ſcribendos *Libros* incentivum. 25
Principes quidam in Viros eruditos perquam liberales. 265. Scribendis *Libris* addicti. *ibid.* *Libros* donariorum vice ſibi invicem mittere ſoliti. 267. Illiterati cur literatis a gnathonibus aulicis fere præferantur? 34
Probationibus artificialibus, ſi res *fidei* aſſerendæ ſint, plane potius abſtinendum, quam invalidis & non cogentibus decertandum 106
Prolixè ſcribentium vulgaris ſcopus. 138
Protagoras quantum temporis uni *Ialyſo* pingendo impenderit? 73
Prudentia, in ſcribendis Libris obſervanda, quibus partibus abſolvatur? 65. &c.
Pſylli & *Ophiogenes* quid? 385. Eorum apud Antiquos uſus. *ibid.* *Librorum* detractores iiscum comparati. *ibid.*
Ptolomæus Philadelphus L X X. Interpretum *Verſioni* concinnandæ quantam ſummam impenderit. 263. Peculiaris in ipſo *βιβλιοφιλίας* illius cauſa. 264
Pulchritudo Scriptionis in quo præcipue conſiſtat? 91. 92
Purpurei coloris ſupra omnes alios excellentia. 7. In exornandis *Libris* apud Antiquos uſus. *ibid.*
Purpurati cur Magiſtratus dicti? 7
Pyrrhonii & *Sceptici* deſcripti. 100
Pythagoras quale diſcipulis ſuis *ſilentium* impoſuerit? 137. Quâ ratione prolixæ ipſorum *Scriptioni* terminos fixerit? *ibid.* Ob unum problema inventum totum bovem DIs ſuis immolavit. 164

Q. *Quin-*

Q.

Quintilianus Senecæ, ob *corruptum* & *depravatum stylum*, irrisor. 394
Quot capita, *tot* sensus. 417. 418

R.

Ranutii Farnesii, Parmæ Ducis, mira ante annos industria. 366
Rebus ipsis non adscribendum, quod e mero eorum *abusu* consequitur. 37. 38. 208
Rebus potius tractandis, quam inutilibus *verborum amplificationibus* insistendum 184
Religiones passim apud Gentiles ab *antiquitate* commendabiliores. 293 294
Remedia, contra malum aliquid *tempestive* adhibita, semper fructuosiora. 416
Rerum Scriptorumque laus non in *mole* sed in *virtute* sita. 135
Respublicæ beatæ, quæ a Philosophis reguntur. 30
Rex illiteratus quo sensu *asinus coronatus?* 33
Rex Israelis cur Legis Divinæ exemplar propriâ manu describere debuerit? 251. 252
Rhodiginus contra *Vossium* defensus. 154. 155
Richardi de Buri, de *Libris* quantocunque pretio coëmendis, effatum. 263
Rigaltii (Nicolai) *Funus Parasiticum* opus juvenile quidem, sed eruditum. 364
Romanæ magnificentiæ admiranda varia. 56
Romane & *Latine* loqui an & quomodo nonnunquam differant? 401
Romanâ simplicitate loqui quid? 401
Rotunde & *eleganter* loqui *Horatio* idem. 387

Rubrica apud JC^tos. quid? 8
Ruveræus (Hieronymus) decennis tantum puer versibus suis Orbem attonitum dedit. 366

S.

Salix cur ἁλισίκακος *Homero* dicta? 66
Salmasii (Claudii) nimia in scribendo acrimonia notata. 84. *Nilus* de *Primatu Papæ* accuratissime ab ipso recensitus. 369
Sallustius cur *subtilissimus* Brevitatis *artifex* dictus? 140
Sallustiana brevitas quæ? 140
Salomo non fuit μισοβίβλος 194. 195. De *exorcizandi ratione* non scripsit. 194. Variorum gravium peccatorum reus fuit. 196. De statu ejus æterno discors Eruditorum sensus. 198
Saltationes inutres in *Romanorum* conviviis usurpatæ. 339
Sannazarius quomodo aliter dictus? 74. Quo seculo floruerit? *ibid.* Quot annos exarandis suis de *Partu Virgineo* Libris insumpserit? *ibid.* Ejus de *Invidiâ* concinnè dictum. 384
Satyram aliquando *non scribere* difficile. 314. Præsertim si cum *inflatis* hominibus res sit. *ibid.* & 404
Sauberti (Johannis) in *Librorum* suorum contemtoribus contemnendis generositas. 429. Nimia in *Antonium Muretum*, jam mortuum, amarulentia. 386. 387
Scaliger (Josephus) stupendâ memoriâ præditus. 94. Scriptorum alienorum censor rigidissimus. 84. Decimo septimo vitæ suæ anno *Oedipi Tragœdiæ* autor extitit. 366
Scientia inflans Deo perquam exosa. 322
Scipio Africanus absque *Xenophonte* suo somnum

nunquam cepit. 260
Schoockius (Martinus) ingratiſſimus optimi Præceptoris diſcipulus. 325. Valde juvenis Profeſſioni publicæ fuit admotus. 371. Styli juſto acrioris, in *fidei* adverſarios ſtricti, pœnitentiâ ductus. 325
Scribenda præcipue, quæ aut hactenus *non* ſcripta, aut *male* ſcripta, aut ab aliis *haud ſatis* elaborata. 142. 180
Scriptio omnis *Prudens*, *Solida*, *Perſpicua* &, quantum materia tractánda ferre poteſt, *Brevis* eſſe debet. 64. 65. &c.
Scripta nonnullorum cur infructuoſa nonnunquam, imo odioſa? 80. Quædam non differenda, ſed maturanda. 77. 78
Scriptionem inter & *dictionem* qualis differentia? 43
Scriptorum in *Libris* exarandis culpæ vel *commiſſionis* vel *omiſſionis*. 232. Quarum illæ ut merito reprehendendæ, ita *hæ* vel plane excuſandæ, vel facile condonandæ. *ibid.*
Scriptoris boni officium. 233. *Hoc* præſtare ſcribentis eſt, *candorem* Lectoris, *ſucceſſum* & *eventum* Dei. 430
Scriptori cordato ſi placere *omnibus* non detur, ſufficere debet, quod placeat *optimis*. 424
Scriptores multa *aliorum* allegantes teſtimonia plurimi. 175. &c. *Seniores* a junioribus ſuſpiciendi. 375. Μυζόνανθοι qui? 68. Quique in iis, quæ artis ſuæ ſunt, præcipue audiendi. 245. *Ipſi* potius quam *Epitomatores* eorum legendi. 236
Scriptorum moderncrum primaria induſtria in quo conſiſtat? 162. 163
Scriptorum nonnullorum laudabilis in conficiendis *Libris* cunctatio & cura. 74

Scriptoribus generoſis non tam *verbis* multa oſtentanda, quam *ipſo opere* præſtanda. 349.
Paci & concordiæ ſollicite litandum. 90. 91.
Vires ſuæ rite conſiderandæ. 71
Scythæ omnem dictionis ſuavitatem ſermonisque veneres olim rejecerunt. 184. 185
Scripturæ lectioni *aliorum* Scriptorum lectio non opponenda, ſed ſubordinanda. 207. 208.
Tractatio *methodice* etiam inſtituenda. 94. 95.
Genuina intelligentia unde haurienda? 202
Seceſſus in ſecretiorem aliquem *locum* Libros ſcribentibus valde utilis. 112
Secundæ curæ prudentiores. 348
Semel ſcriptum *decies* lectum. 251
Senes juvenibus ut plurimum ſagaciores. 374
Sepulchrorum effoſſionis qualis olim pœna? 169
Serenus Sammonicus quot *Libros* Gordiano Juniori olim legaverit? 24
Serpentes inflati an veneficarum incantationibus diſrumpi olim ſoliti? 341
Servius Sulpitius πολυγραφώτατος. 13
Simonii (Richardi) dentata in *Claud. Fraſſenium* invectiva. 397. Vulgaris adverſarios ſuos excipiendi & refellendi modus. *ibid.*
Silicæi [Martini] βιβλιοφιλία. 261. 262
Sinarum regnum unde tam celebre? 32. Stupenda in eo hominum naviumque multitudo. *ibid.*
Nulli ibi *nobiles* niſi literati. *ibid.*
Solœciſmi cur a Gentilibus veteribus Chriſtianis paſſim objecti? 392. Quinam maxime offendi iis ſoliti? 247. Nulli, ne quidem *Latiniſſimi* Scriptores eorum plane ſemper immunes. 390
Σπουδὴ βεβαίως quibus in rebus vulgo uſurpatum? 56
Stylus hominis quid? 116
Stylis ferreis Caſſianus Martyr a diſcipulis ſuis con-

confossus. 110
Stylum vertere quid? 110
Suber quale arboris genus? 340. Saltantium quorundam calceamentis cur insui olim solitum? *ibid.*
Subitanea raro satis examussitata. 69
Superbientium hominum *triplex* genus. 333. 334
Superbientium Scriptorum indoles. 317. &c. Conditio misera ac periculi plena. *ibid.* Ingrati passim in *Præceptores* suos discipuli sunt. 322. &c. Ad quasvis suscipiendas hæreses dispositi. 326. &c. In perditissimos vitæ mores propensi. 329. &c. Ad justum in studiis profectum faciendum inepti. 330. &c. Doctorum indoctorumque ludibrio fere expositi. 333. &c. Cum inflatis *utribus* jure comparandi? 340. Obtentus, quo velare *fastum* suum solent, discussus. 342
Suppositio Librorum apud Judæos, Gentiles, Veteres Christianos olim usurpata. 148. Eodem tamen animo & fine ab omnibus non instituta. 148. 149
Syllabarum aucupes qui? 185
Sylva Latinis & ὕλη Græcis quid? 78. 79

T.

Tartari cur *Libros* suos devorare soliti? 37
Tatiani Hæretici tumor. 328
Templi Hierosolymitani septa quæ? 235
Terentius plagii literarii suspectus, haud satis sollicitè maculam illam eluere laboravit. 160. A quibus in concinnandis suis *Comœdiis* dicatur adjutus? *ibid.* *Romam* ob suspicionem dictam deseruit, nec unquam eò rediit. *ibid.* Hominum suorum vitia blanditiis *Comitis* pulchre perstrinxit. 82

Tertullianus cujus operâ & ſtudio reſtitutus? 383
Theocritus cur a ſcribendis *Libris* alienior fuerit? 83
Theodoreti Hiſtoria *Eccleſiaſtica* cur minus nonnullis probata? 69
Theodorici, Gothorum Regis, aſinina ignorantia. 34
Theologiæ Scholaſticæ Scriptores puriori *Literaturæ* noxii. 227
Therapeutæ olim qui? 243. *Judæine* an *Chriſtiani* fuerint non uſque adeo manifeſtum. *ibid.*
Theſis juxta nonnullos Deus, *hypotheſis* Diabolus. 80
Thucydidis Hiſtorici præcipua virtus. 140
Titui Librorum nimis fere pompoſi, quandoque etiam mendaces. 101. Quomodo hi *Agellii* dicti? *ibid.* Quinam ambitionis hujus maxime rei? *ibid.* Ipſe *Eraſmus* a *Jacobo Stunicâ* ejus poſtulatus. 201
Turnebus (Adrianus) qualis Scriptor? 249. Singularis ejus in *Adverſariis* conficiendis induſtria & cura. *ibid. &c.*
Typothetarum Ζφάλματα ipſis *Scriptoribus* non imputanda. 179. 180
Typographiæ ars quando & a quo inventa? 25. 27. 28

V.

Valla (Laurentius) a *Poggio Florentino* irriſus. 105
Voppa quid? 421. Quo ſenſu vox hæc Scriptoribus etiam inermibus & parum inſtructis a *Ludovico Vive* accommodata? *ibid.*
Varro (Marcus) a Palæmone *porcus* dictus. 359. Summopere e contra a *Lactantio* laudatus. *ibid.*

ibid. Bibliothecæ *Palatinæ* olim præpositus. 266. Legendis *Libris* vitam quadantenus produxisse dicitur. 53
Victoria adversus *detractores* quænam optima & glorioſissima? 87. 88
Verborum in scribendo *nitor* haudquaquam condemnandus, e contra summopere commendandus. 402
Veritas fuco non indiget. 187. 188
Veritas lucem quærit, falsitas tenebras. 138
Veterum bene dicta nunquam sine fructu a recentioribus repetita. 161. 162
Virgilii laus. 68. *Bucolicorum* & *Æneidos* ejus *Libri* quot annorum spatio elaborati? 73. Rigidus nimis propriorum *Carminum* censor fuit. *ibid.* Opera ejus a Cæsare *Augusto* conservata. *ibid.* *Stylus* a nonnemine exsibilatus. 394
Virginum Literatarum totus cœtus. 15
Virgini cuidam *Philosophiæ* laurea decreta & collata. 17
Vita ipsa *Librorum lectione* quadantenus producta. 53
Umbilici Librorum quid? 10. Cur *cornua* ab aliquibus dicti? *ibid.* Proprius eorum usus. 11. *Ad umbilicum rem perducere* quid notet? 12
Vocabula propter *res*, non *res* propter *vocabula* adinventæ. 127
Voetius (Gisbertus) variis a quibusdam *calumniis* impetitus, ab aliis summis elogiis condecoratus. 325. 369. 370. *Stylus infans* & *eloquentia affectata* a *Jansenio* ipsi objecta. 396. Ab ingrato discipulo iniquissimè habitus. 325. Ipsis *juvenilibus* annis Patriæ & Ecclesiæ auxilio fuit. 370
Volsellis non gladio pugnare quid? 191
Vossius (Johan. Gerardi) in *Cælium Rhodiginum* justo

juſto iniquior. 145. &c. Quot Liberorum intra paucos annos jacturam fecerit? 17. *Plagii* a nonnullis inſimulatus. 155
Urſa an fœtum informem ejicere ſolita? 109
Uſſerius (Jacobus) laudatus. 368. Citiſſimos in literis humanioribus progreſſus fecit. *ibid.* Tertiodecimo ætatis anno in *Academicorum* ordinem eſt cooptatus. *ibid.* Octodecim vel novemdecim annos natus cum Jeſuita *Fitz-Symondo* ſuper *Religionis* controverſiis decertavit, eumque gloriosè devicit. *ibid.*
Uſus & *abuſus* rei rite diſtinguendi. 37. 208
Ut libri ſunt, quos frequenter terimus, tales ipſi fere ſimus. 226. 227
Utrium qualis olim in *ſaltationibus* uſus? 339. 340

W.

Welgelii (Valentini) faſtus. 317
Wicleſus (Johannes) quot *Librorum* autor? 14
Wirzius (Burchartus) ſupra ætatem literis imbutus. 364
Wittembergæ olim a *Caroloſtadio* concitati motus iniquè *Luthero* ab aliquibus adſcripti. 206

Y.

Ὑπηνέμια ἰχθῦες quid? 102
Ὑψηλὰ φορεῖν quid? 320

Z.

Zeno Stoicorum pater. 12. Πολύχαρμος fuit. *ibid.* Omnes tum moleſtias tum mundi illecebras contempſit, ut *ſtudiis* vacare poſſet. 245

Zenobia, Palmyrenorum Regina, eruditione & scriptis clara. 15
Zeuxis ingeniose factum. 162
Zoilus Amphipolites quis? 393. Cur *canis rhetoricus* & *Homeromastix* dictus? *ibid.* *Imperitiam* multosque errores alios *Homero* improperavit. *ibid.* Cruci, juxta nonnullos, est suffixus, juxta alios, sibi ipsi gulam fregit, vel morte aliâ violentâ periit. *ibid.*